614
Soc. 26037 d. 82
1-2

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SCHRIFTEN

DER

UNIVERSITÄT

ZU

KIEL

aus dem Jahre 1854.

Band I.

KIEL.

GEDRUCKT BEI C. F. MOHR.

1855.

Digitized by Google

Inhalt.

I. Index Scholarum per semestre aestivum habendarum.

II. Verzeichniss der Behörden, Commissionen, Beamten, Institute, Lehrer und Studirenden. Sommersemester.

III. Index Scholarum per semestre hibernum habendarum.

IV. Verzeichniss der Behörden etc. Wintersemester.

V. Chronik der Universität.

1) Personalnachrichten.

a. Anstellungen, Beförderungen und Ehrenbezeugungen.
b. Abberufungen, Todesfälle.
c. Habilitationen und Promotionen.

2) Von der Universität im Allgemeinen, und von den Universitäts-Instituten.

1. Zur Geschichte der Universität.
2. Die Bibliothek.
3. Das homiletische Seminar.
4. Die medicinische Klinik im academischen Krankenhause.
5. Die chirurgische Klinik im Friedrichshospitale.
6. Die Königliche Hebammenlehr- und Gebär-Anstalt.
7. Das physiologische Laboratorium
8. Das philologische Seminar.
9. Die Münz- und Kunst-Sammlung.
10. Das pädagogische Seminar.
11. Der botanische Garten.
12. Das mineralogische Museum.
13. Das chemische Laboratorium.
14. Das physikalische Institut.
15. Das Museum vaterländischer Alterthümer.

3) Vom Convict und den Stipendien.

a. Zur Geschichte des Convicts.
b. Vertheilung der vom Consistorio zu vergebenden Stipendien im Jahre 1854.

4) Chronik der Gelehrtenschulen.

5) Meteorologische Beobachtungen.

Digitized by Google

VI. Festreden, Memorien etc.

1. Solemnia natalitia regis Friederici VII. ab Academia Christiana-Albertina rite celebranda indicunt Rector et Senatus. Inest.: Forchhammeri topographia Thebarum heptapylarum. c. tab. geogr.
2. Imago Christiani III., oratio qua in solemnibus regis Friderici VII. natalitiis vota publica nuncupavit *C. N. T. H. Thomsen.*

VII. Dissertationen.

Medic. 1. *Th. Claussen*, De prolapsu intestini recti.
2. *A. Hübener*, Nonnulla de lienis functione.
3. *W. Ruge*, De hepatis abscessibus.
4. *W. Lange*, Casus carcinomatis osteoidis.
5. *L. Eckermann*, De intestinorum intra cavum abdominis dislocationibus.
6. *F. W. Schlaikier*, De pathologia ulceris chronici ventriculi.
7. *C. Boie*, De hepatis dislocationibus.
8. *Chr. Heider*, De febris scarlatinae . . . epidemia.
9. *Conrad Lorenzen*, Nonnulla de pathologia gangraenae pulmonum.
10. *Ern. Frandsen*, Arteriae subclaviae dextrae originis abnormis ac decursus casus.

Digitized by Google

1854. I.

INDEX SCHOLARUM

IN ACADEMIA

CHRISTIANA-ALBERTINA

PER

INSTANS SEMESTRE AESTIVUM

A DIE INDE XXIV. MENSIS APRILIS

USQUE

AD DIEM XV. MENSIS SEXTILIS ANNI MDCCCLIV

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

INEST FORCHHAMMERI PROF. LIT. ANTIQ. QUAESTIONUM CRITICARUM CAPUT I.
DE ARISTOTELIS ARTIS POETICAE CAP. 4. § 11.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

Digitized by Google

Digitized by Google

Commilitonibus literarum studiosis

S.

Quod Cicero in libri tertii de finibus bonorum et malorum capite vicesimo dicit, homines non solum ad discendum propensos esse verum etiam ad docendum, hoc ad antiquorum scriptorum vetustiores interpretes ita pertinere videtur haud paucos, ut vel prius atque magis ad emendandum inclinent quam ad intelligendum. Ita factum est, ut loci auctorum innumeri, quum intellecturum exspectarent, emendantium protervitate corrumperentur. Corrupta emendare falsaque rursus delere, quod hodie cautiores enituntur, tristis certe opera esset habenda, nisi recte tantummodo ab incorruptis atque veris recte intellectis posset proficisci. Quae quum ita sint, visum est artis poeticae locum ita interpretari, ut verum esse sui indicem et falsi appareat. — Liber ille Aristotelis saepe aureus vocatur. Jure quidem: nam quemadmodum in rerum natura ita in illo libro purum invenitur auri metallum. Dici enim vix potest, quantae in eo insint eruditionis divitiae. Ut taceam reliqua, suntne vel hodie disputationes de tragoediae praeclara definitione absolutae? Quam quoquo modo explices, non paulum intersit scire, quae quantaque meditatus, quibusque studiis praegressis, illam paucis verbis composuerit. Qui ex solius definitionis vocabulis sensum fore ut eruerent sunt opinati, vereor ne errarint; neque satis mirari potui, tot interpretes Platonem parum respexisse, quem cum in aliis tum in poeseos doctrina ab Aristotele minime neglectum, imo imprimis auditum exploratumque atque ita superatum esse alio programmate demonstratum est.

Sed de illa tragoediae definitione nunc non agemus; de tragoedia tamen. Philosophus exposuit, poesin esse μίμησιν, eamque imitari et in quibusdam (ἐν οἷς sc. metris et rythmis et verbis), et quaedam vel quosdam (ἃ sc. aut bonos aut pravos), denique quodam modo (πῶς sc. aut narrando aut agendo aut utroque); tragoediam cum Iliade congruere, quoniam utraque poesis bonos imitetur, cum comoedia, quo-

Digitized by Google

niam utraque agentes. Prioribus dicit temporibus maxime epicam excultam fuisse poesin: Homerum in Odyssea et Iliade bonos fuisse imitatum, in Margite pravos. — Dramaticam poesin denique agentes imitatam esse, ut tragoedia bonos imitando Iliadem eodem modo secuta sit, quemadmodum Comoedia pravos et ridiculos imitando Margiten. Postquam vero initium cepissent tragoedia et comoedia, qui ad alterutram poesin natura sua ferrentur, hos pro jambis comoedias, illos pro epicis carminibus tragoedias doçuisse, quoniam celsiores quam illae atque honoratiores fuerint hae poeseos species.

Jam in editione Aldina atque ceteris tantum non omnibus haec sequuntur: *τὸ μὲν οὖν ἐπισκοπεῖν εἰ ἄρ' ἔχει ἤδη ἡ τραγῳδία τοῖς εἴδεσιν ἱκανῶς ἢ οὔ, αὐτό τε καθ' αὑτὸ κρινόμενον καὶ πρὸς τὰ θέατρα, ἄλλος λόγος.* Quae in hunc modum vertit Ritterus, V. D. „Dispicere vero, an jam sufficiat tragoedia formis poeticae nec ne, sive hoc ipsum per se spectatur sive theatris adhibitis alius est disputationis.“ In Commentario „non ea, inquit, est (hoc vulgo existimant) loci sententia, alius esse disputationis num tragoedia, qua est tragoedia, satis culta sit an non sit: hoc enim certum fuisse Aristoteli ex § 12 apparet: *καὶ πολλὰς μεταβολὰς μεταβαλοῦσα ἡ τραγῳδία ἐπαύσατο, ἐπεὶ ἔσχε τὴν αὑτῆς φύσιν.* Declarat igitur, se anquirere jam nolle, an nova quadam poesis immutatione novisque *εἴδεσι* pro comoedia et tragoedia prolatis perfectius quidquam fieri et excogitari possit, quam tragoedia, sed haec ipsa quomodo paulatim culta sit explicatarum se esse.“ Haec Ritterus. Dissimilis G. Hermanni sententia, qui hunc sensum invenit: „utrum formae tragoediarum per se vel quod ad theatra adtineret, exhaustae essent, plane non pertinere ad hanc disputationem, quippe in qua de iis, quae experientia constarent, non de iis quae esse deberent, ageretur.“ Alter igitur novum genus poematum, alter novam formam tragoediae ab Aristotele indicari censet, quod tamen neget nunc considerari. Cum Hermanno consentiunt Düntzerus [1]), Hartungius [2]), Raumerus [3]), Eggerus [4]).

Sunt vero omnia, quae inde ab Aldi, qui primus locum corrupit, temporibus usque ad hunc diem de isto loco disputaverunt, vana atque irrita. Etenim quum codicum manuscriptorum genuinam lectionem, priusquam intelexissent, adspernarentur, fieri non potuit, quin emendando praeter verum in alia omnia abirent. De tragoediae vel de poeseos formis, sitne aut haec aut illa satis culta atque ad perfectionem perducta, an perfectius quidquam excogitari possit, Aristoteli ne in mentem quidem venit sive instituere quaestionem sive differre sive detrectare.

[1]) *Rettung der Aristotelischen Poetik.* 1840. p. 33.

[2]) *Lehren der Alten über die Dichtkunst.* 1845. p. 75.

[3]) *Historisches Taschenbuch.* 1842. p. 219.

[4]) Essay sur l'histoire de la critique chez les Grecs. Paris 1849. p. 183. 416. cf. p. 117. Eggerus tamen dubitat de lectionis vulgaris integritate.

Digitized by Google

Sed inspiciamus jam codicum scripturam. Pro Aldi conjectura, ab editoribus probata, *εἰ ἆρ' ἔχει* in omnibus Codd. legitur *παρέχει* (ne credas legi *εἰ παρέχει*); pro *εἰδόσι* in quibusdam legitur *εἰδόσι*, pro *κρινόμενον* in Codicibus legitur *κρίνεται ἢ ναὶ*, in aliis *κρίνεται ἦναι*, in aliis *κρίνεται εἶναι*. — Ut ab ultimo incipiamus, facile intelligitur et *ἦναι* et *εἶναι* ortum esse ex illo *ἢ ναὶ*, quod in Cod. Parisiensi, Urbinate et duobus Laurentianis legitur. Illae voculae quid sibi velint miror neminem vidisse. Scilicet dubitari non potest, in prototypo omnium qui exstant codicum eas suprascriptas

ἢ ναι

fuisse vocabulo *κρίνεται*, sic *κρίνεται*, ut indicaretur pro *κρίνεται*, (*κρίνε7*) legendum esse *κρῖναι*. (KPIN̄AI antiquitus male exarato pro KPĪNAI). Quibus ad liquidum perductis totus locus ex librorum auctoritate sic est constituendus: *τὸ μὲν οὖν ἐπισκοπεῖν παρέχει ἤδη ἡ τραγῳδία, τοῖς εἰδόσι ἱκανῶς ἢ οὐ αὐτό τε καθ' αὑτὸ κρῖναι καὶ πρὸς τὰ θέατρα, ἄλλος λόγος.* „Spectandi quidem facultatem jam praebet tragoedia, utrum iis, qui satis sciant nec ne ipsum per se respectuque theatri judicare, nil adtinet."

Quum inter ea, quae tragoediae omnique poesi dramaticae sint peculiaria, imprimis numeretur adspectus agentium, *ὄψις* sc. *τῶν δρώντων*, priora illa *τὸ μὲν οὖν ἐπισκοπεῖν παρέχει ἤδη ἡ τραγῳδία* vix indigere videntur interprete. Etenim expositis quae dramaticae poesi cum epica sint communia recte addidit philosophus, qua re altera ab altera differat, eo scilicet, quod tragoedia (atque comoedia) adspectum praebeat agentium. Eoque magis hoc loco nominanda erat illa tragoediae proprietas, quoniam in antecedentibus inter poeseos species eam vocaverat celsiorem et honoratiorem. Nam propter spectaculi naturam atque ornatum majori in honore habebatur tragoedia quam carmen epicum. Vid. cap. 6 § 4 „*ἔπει δὲ πράττοντες ποιοῦνται τὴν μίμησιν, πρῶτον μὲν ἐξ ἀνάγκης ἂν εἴη τι μόριον τραγῳδίας ὁ τῆς ὄψεως κόσμος.*

Quae quum sint simplicissima, atque vel a tirone ex Aristotelis verbis erui posse videantur, merito quis quaerat, unde tandem factum sit, ut Aldus illa atque qui illum secuti sunt homines doctissimi mutanda esse atque conjectura emendanda judicarint. Nec deest causa; nam praeter reliquorum difficultates fraudi illis fuit verbi *ἐπισκοπεῖν* usitatior significatio. Usurpant vero illud imprimis philosophi interque eos maxime Plato ipseque Aristoteles non tam ad oculorum visum quam ad mentis contemplationem denominandam. Quisquis igitur ab hac primi verbi significatione profectus locum legeret fieri non potuit quin Aldi conjecturam pro *παρέχει* legentis *εἰ ἆρ' ἔχει* arriperet. Arripuerunt tantum non omnes, male.

Sed video exemplis atque scriptorum auctoritate mihi probandum esse, *ἐπισκοπεῖν* idem esse ac oculis spectare. Ecce exempla. Xenophon in Memorab. II, 1, 22 ubi ex Prodici fabula Voluptatis habitum describit, eam dicit *κατασκοπεῖσθαι δὲ θαμὰ ἑαυτήν, ἐπισκοπεῖν δὲ καὶ εἴ τις ἄλλος αὐτὴν θεᾶται, πολλάκις δὲ καὶ εἰς τὴν ἑαυτῆς σκίαν ἀποβλέπειν.* Quem locum integrum apposui propter verborum ad visum

Digitized by Google

Denique conf. Philoct. 1010. — Adverbium ἱκανῶς non modo verbo ἔχειν jungi, sed etiam tum aliis verbis tum adjectivis satis notum atque innumeris locis probatum est. Quodsi ἱκανῶς φιλοσοφεῖν et ἱκανῶς φιλόσοφος apud Platonem legitur (de Rep. VI., p. 486 d.), dubitari non potest, quin recte dicatur οἱ εἰδότες ἱκανῶς; adverbio etiam postposito. Aristot. Metaph. E., 4. διώρισται γὰρ ἱκανῶς.

Quemadmodum in definiendo verborum sensu justa hucusque interpretatio parum adjuta fuit Lexicorum et Grammaticarum auxilio, ita etiam dictio „ἄλλος λογός" caret idonea explicatione. Nam quod plerique eam accipiunt, tanquam si auctor dixerit, quaestionem nunc motam esse alius disputationis, ad aliud tempus, aliumve locum remittendam, hoc falsum habeo. Etenim duplex in Graecorum „λόγῳ" in Romanorum „quaestione" inest significatio, altera quidem in alteram facile transitura. Brevibus tamen ita distingui possunt, ut aut sit ipsa rei quaestio, aut ipsa res in quaestionem vocata. Potest igitur ἄλλος λόγος aut ita accipi, ut significet, rem, in quam inciderit scriptor, esse alius quaestionis, aut ita, ut dicat eam rem cujus sit mentio facta, aliam esse ac eam de qua nunc agatur atque alienam a quaestione instituta. Alterum saepius apud philosophos legitur, ita quidem, ut ἔστω addatur. Aristoteles in Pol. libri 2, cap. 9 de Lacedaemoniorum civitate agens περὶ βασιλείας inquit, εἰ μὲν μὴ βέλτιόν ἐστιν ὑπάρχειν ταῖς πόλεσιν, ἢ βέλτιον, ἄλλος ἔστω λόγος. In Eth. Nicom. 1, 4 postquam dixit Pythagoraeos unum (τὸ ἕν) in bonorum ordine collocasse, hisce pergit: ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων ἄλλος ἔστω λόγος. Idem Aristoteles vario modo solet exprimere, exempli causa Pol. 2, 6 m. ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων — λεκτέον ὕστερον. Eth. Nicom. 1, 13 τὸ γὰρ ἐπὶ πλεῖον ἐξακριβοῦν (περὶ ψυχῆς) ἐργωδέστερον ἴσως ἐστὶ τῶν προκειμένων. Metaph. Δ. 30 f. λόγος δὲ τούτου ἐν ἑτέροις.

Alterum, scilitet rem quasi fortuito commemoratam omnino alienam esse a qnaestione instituta, iisdem vocabulis ἄλλος λόγος solent indicare, sed aut omisso verbo finito aut addito cum particula ἄν. Socrates sub finem prioris orationis hortatur judices ne aegre ferant, quod non, quemadmodum consuetudo sit reorum, lacrimis atque lamentis, adhibitis liberis infantibus multisque amicis, eorum misericordiam studeat excitare. Non ideo illud a se omitti, quod non habeat familiares aut liberos; esse sibi utrosque. Quid igitur est, — sic enim pergit — quod nil ejusmodi faciam? οὐκ αὐθαδιαζόμενος, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, οὐδ' ὑμᾶς ἀτιμάζων· ἀλλ' εἰ μὲν θαῤῥαλέως ἐγὼ ἔχω πρὸς θάνατον ἢ μή, ἄλλος λόγος. Deinde exponit veram causam esse, quod et se et judicibus et republica indignum sit, ejusmodi artibus justitiam a legibus ad misericordiam detorqueri. Socrates igitur illis verbis „ἄλλος λόγος" (Plat. Apolog. p. 34 c.) hoc dixisse apparet: qua sit in mortis periculo confidentia omnino non adtinere ad quaestionem.

Apud Plutarchum Symp. Sept. Sap. § 3 septem sapientes aliique multi narrantur a Periandro Corinthiorum tyranno ad convivium invitati Lechaeum convenisse

Digitized by Google

portum urbis occidentalem. Dum congregantur atque Thales cum amico in eo est, ut intret oecum, ecce, januâ prorumpit Alexidemus Milesius, Thrasybuli tyranni filius spurius, ira tremebundus, fremebundus, secum non intelligenda murmurans. Adspecto deinde Thalete, „quali, inquit, superbia adversus nos superbit Periandrus. Ad coenam invitatum me atque, discessu prolato, venientem ad lectum delegavit inhonoratum, scilicet Aeolos et insulanos et alios nescio quos majoris aestimans quam Thrasybulum; Thrasybulum enim manifestus est voluisse per me ignominia afficere.“ Thales, ut philosophus, hunc „Thrasymachum“ placaturus, „accidere tibi, inquit, videtur, quod Aegytiorum astronomi dicunt stellis, ut e loco tibi oriatur obscuritas atque humilitas; tune igitur minoris es quam ille Laco, qui quum in choro infimo loco ab „archonte“ (i. e. a chorostata ni fallor) fuerit collocatus, bene, inquit, inventum, quo et hic locus honoratus fiat. Qui locum in triclinio occuparint — sic enim mitigando persecutus est philosophus — eos minime decet, infra quos decumbant investigare, sed accumbentibus congruentes se praebere, statimque amicitiae principium et ansam in se inesse demonstrare; nam qui lecti loco non est contentus, eum accumbentis potius et ejus, qui invitavit, pigere et taedere videbitur, atque ipse utrique erit infestus.“ Alexidemus hisce minime commotus abiens: „ista nil ad rem, inquit; ceterum video etiam vos philosophos re vera esse honoris cupidissimos.“ Graeca haec sunt: λόγος ταῦτα ἄλλος ἐστί. Nam ita legendum esse mutato ἄλλως in ἄλλος, qui reliqua inspexerit facile videbit.

Non viderat Coraës, vir praestantissimus, qui in Heliodori Aethiopicorum libri 5 cap. 15 edidit καὶ λόγος ἄλλως ἦν. Narrat Heliodorus Charicleam a Nausicle Chemmin deductam Calasirin sacerdotem invenisse. Calasiris quum audivisset scire Nausiclem, cujus in potestate esset Theagenes, sponsus Charicleae, divinâ beneficentiâ dixerat sibi non defuturum esse, quo Persae domini avaritiae satisfaceret. Subrisit ad haec Nausicles, et, tunc, inquit, efficies ut credam, te posse repente tanquam ex machinatione ditescere, si pro hac (Chariclea) prius pretium, quo redimatur, deposueris. Promittit Calasiris, sed prius se precari deos oportere. Fit sacrificium Mercurio forensi, qui idem est mercatorum praeses [1]). Calasiris exta contemplatus injicit manus altari flagranti, et tanquam e pyra extraxisset ea, quae iampridem ipse ferebat, hoc tibi, inquit, pretium redimendae Charicleae, o Nausicles, Dii per nos offerunt. Et simul tradidit annulum quendam regium. Juvat hic enarrare, qualem illum descripsit auctor Emesenus. Erat enim res eximia et divina, circulus ex electro confectus, in pala sive funda amethystus Aethiopica relucens, tanta magnitudine, quanta oculus virginis, pulchritudine vero Ibericum et Britannicum longe superans.

[1]) *Τούτῳ γὰρ (τῷ Ἑρμῇ) ἦγε τὴν θυσίαν Ναυσικλῆς, ὡς ἀγοραίῳ τε καὶ ἐμπορικῷ διαφερόντως τῶν ἄλλων θεῶν αὐτὸν καθοσιούμενος* (l. l. 5, 13). Haec iis adscripsi, qui Mercurium forensem opinentur esse oratorum praesidium. Cf. quae diximus in Ephemer. antiq. *Zeitschrift für Alterthumswissenschaft* 1844 Nr. 133 sq.

Digitized by Google

Haec enim inerti flore et non splendente rubet similisque est rosae, quae primum ex baccis in folia finditur, et solis radiis rubescere incipit. Amethystus Aethiopica, pura luce ex profundo ad instar vernae serenitatis refulget. Si tenens eam circumverses, radium projicit aureum, non asperitate languidum, sed acri splendore relucentem. Atque potestas quoque ei inest genuina prae occidentalibus; etenim non falso sibi vindicat nomen, sed vere ebrietatem arcet ab eo, a quo fertur, sobrium eum servans in conviviis. — Quodsi omnes amethysti Indicae et Aethiopicae ejus sunt generis, omnes illa, quam Calasiris Nausicli offerebat, longe superabat. Gemma enim erat eximia arte a scalptore elaborata. Puer in ea pascebat oves, non admodum editae rupi circumspiciendi causa insistens atque pascua gregi tibia obliqua distribuens; illae autem parere videbantur fistulae signis. Dixisset quispiam, eas etiam aurea habere vellera, non arte illo decore addito, sed amethysto suo rubore in illarum tergis rutilante. Scalpti etiam erant agni lascivientes, alii circa pastorem petulantius sese in orbem intorquentes pastorale theatrum in clivo repraesentabant; alii ferociores etiam transilire annuli circulum videbantur.

Nausicles igitur stupefactus rei novitate, magis etiam delectatus praestantia lapidis non minoris aestimandi quam omnia quae possidebat bona ego quidem ludebam, inquit, o bone Calasiri, neque ad rem adtinuit, quod redemtionis pretium postulavi, nam animi sententia erat, ut tibi absque pretio filiam liberam dimitterem. Ex ultimis verbis quae typis distinximus Graece sic leguntur ἐγὼ μὲν ἔπαιζον, εἶπεν, ὦ ἀγαθὲ Καλάσιρι, καὶ λόγος ἄλλος ἦν ἡ τῶν λύτρων αἴτησις. Apparet et comma, post ἄλλος in editione Mitscherlichii positum, esse delendum, et Coraëm male ἄλλος in ἄλλως mutasse fisum Plutarchi loco supra tractato, atque jam restituto.

Sequitur, ut locos duos e Demosthenis orationibus laudem, quibus ἄλλος λόγος eodem sensu sed addito verbo substantivo cum particula ἄν legitur. Sunt hi: Philipp. III. p. 114 R. καὶ μηδεὶς εἴπῃ, τί δὲ ταῦτ' ἐστίν; ἢ τί τούτων μέλει τῇ πόλει; εἰ μὲν γὰρ μικρὰ ταῦτά ἐστιν ἢ μηδὲν ὑμῖν αὐτῶν ἔμελεν, ἄλλος ἂν εἴη λόγος οὗτος. De Synt. p. 168 εἰ μὲν γὰρ ἡσυχίαν ἔχειν ὑμῖν ἀπέχρη καὶ μηδὲν τῶν Ἑλληνικῶν περιεργάζεσθαι ὅπως ἔχει, ἄλλος ἂν ἦν λόγος· νῦν δὲ πρωτεύειν μὲν ἀξιοῦτε καὶ τὰ δίκαια ὁρίζειν τοῖς ἄλλοις. Cf. de Corona p. 240 εἰ δὲ μὴ ἠσθάνοντο ἕτερος λόγος οὗτος, οὐ πρὸς ἐμέ (ad quem locum Dissenius non debuisset citare Ciceronis de Nat. Deorum 1, 39 [leg. 40] alia ea est quaestio). Similiter apud Platonem de Leg. 1. p. 634 d. ὁ λόγος ἂν ἕτερος εἴη. Denique ut redeamus ad Aristotelem nostrum, est locus in Metaph. E. 4 difficillimus quidem, sed tamen qui mereat, ut adnotetur. Quum fieri possit ut res quaedam commemorata plane alia sit, ac ea quae nunc in quaestionem sit vocata (*eine andere Sache*, i. e. *welche die Untersuchung nichts angeht*), et tamen eadem alio tempore sit tractanda (*Gegenstand einer andern Untersuchung*); non mirandum est, idem quod

Digitized by Google

nunc ἄλλος λόγος vocetur, mox dici postea esse perscrutandum. Ita explicandus ille Metaphysicorum locus.

Unam video adhuc dubitationem esse tollendam. Nam credo fore, qui ante τοῖς εἰδόσιν dicant poni debuisse interrogandi particulam πότερον vel εἰ. Neutro opus esse docuit Heindorfius ad Plat. Phaedr. p. 270 d. διανοεῖσθαι περὶ ὁτουοῦν φύσεως, ἁπλοῦν ἢ πολυειδές ἐστιν. Theaet. p. 151 e. σκεψώμεθα, γόνιμον ἢ ἀνεμιαῖον τυγχάνει ὄν. Theaet. p. 161 d. τὴν δόξαν — ἐπισκέψασθαι, ὀρθὴ ἢ ψευδής. — p. 203 a. βασανίζωμεν — ἡμᾶς αὐτούς, οὕτως ἢ οὐχ οὕτω γράμματα ἐμάθομεν. — Alios locos Heindorfius laudat ad Plat. Gorg. p. 488 d. — Addimus adhuc unum Platonicum, quo praemissa est interrogatio verbo Theaet. p. 173 b. εὖ δὲ ἢ κακῶς τις γέγονεν ἐν πόλει — αὐτὸν λέληθεν. — Denique est Homericum Od. IV. 109 sq. οὐδέ τι ἴδμεν, ζώει ὅγ' ἢ τέθνηκεν. — Jam nostro loco si ante τοῖς εἰδόσιν legeretur sive πότερον sive εἰ, vel post τοῖς addica esset particula δὲ, certe non displiceret. At minime opus est, omniaque, ut nunc sunt, rectissime se habent.

Haec igitur est Aristotelis sententia: spectatores tragoediarum alii sunt liberi et eruditi, iique sciunt judicare et ipsam tragoediam per se et actam in theatro, alii vero sunt indocti et stolidi, ex mercenariis hominibus atque proletariis conflata multitudo, qui, quum nesciant tragoediam judicare, etiam nequeunt animum purgatum e spectaculo referre. Aristoteles in Pol. 8, 7 ὁ θεατὴς inquit διττός· ὁ μὲν ἐλεύθερος καὶ πεπαιδευμένος, ὁ δὲ φορτικὸς ἐκ βαναύσων καὶ θητῶν καὶ ἄλλων τοιούτων συγκείμενος. In hosce dictum sit (hoc enim vult Aristoteles) quod Plato in libris de Republica omni tragoediae vituperio vertens totum illud poeseos genus e civitate exterminari jubet. At qualis sit spectator ad tragoediam ipsam nil adtinet, neque ad doctrinam de arte tragica. Praeterea „spectaculum, inquit, omnium, quae ad tragoediam pertinent, maxime distat ab arte, atque poeticae minus est proprium reliquis. Nam tragoediae vis sine actione scenae atque sine histrionibus potest esse; insuper circa spectaculorum confectionem opificis ars potius versatur quam poetarum;" — ἡ γὰρ τῆς τραγῳδίας δύναμις καὶ ἄνευ ἀγῶνος καὶ ὑποκριτῶν ἐστὶν cp. 6 f. — cf. c. 14 § 1 et cap. 26 § 2 sq. τὴν μὲν οὖν (ἐποποιίαν) πρὸς θεατὰς ἐπιεικεῖς φασὶν εἶναί — τὴν δὲ τραγικὴν πρὸς φαύλους· ἡ οὖν φορτικὴ (i. e. τραγικὴ) χείρων δῆλον ὅτι ἂν εἴη. Ad haec respondet Aristoteles: Πρῶτον μὲν οὐ τῆς ποιητικῆς ἡ κατηγορία, ἀλλὰ τῆς ὑποκριτικῆς. — — κ. τ. λ. Tragoediam vero ipsam dicit et a philosophia et a virtute esse ipsa historia praestantiorem, hanc enim singula, illam vero ea, quae sint universa, tractare (c. 9); Athenis jam tragoediam suam naturam atque perfectionem assecutam esse (c. 4); unde ex Aristotelis doctrina efficitur, ut tantum absit, ut propter spectatorum vulgique inscitiam sit exterminanda, ut potius cives atque spectaturi ad tragoediae sublimitatem sint excolendi.

Omnia ista qui accuratius inspexerit atque cum Platonicis comparaverit, is Aristotelem videbit quemadmodum in aliis disciplinis ita etiam quod ad artem poe-

Digitized by Google

ticam attinet, in multis secutum esse Platonem, in multis vero iisque gravissimis ab eo dissentire, eumque refellere atque redarguere. Neque hoc fecit simultate quadam ductus, sed, ut ait ipse, amicus Platonis sed magis amicus veritatis. Et quoniam, ubi Plato princeps sane inter adversarios, non ubique Platonem nominat, non ideo occulte praeceptorem aggredi censendus est. Neque doctrinae differentiae neque obtrectatores atque calumniatores, quos pestes hominum appellat Cicero, ut pessimum genus et miserrimum, unquam Aristotelem a Platone ita alienarunt, ut occulte in eum ageret. Sed quod lectori occultum videatur, caveat ne illius quoque temporis hominibus occultum fuisse opinetur. Aristoteles vero ex omni suspicione exemptus est vel propter unum illud praeclare dictum: ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. — Est quaedam nefaria hominum eaque invida malignitas, turpis simul et stolida, quem Graeci φθόνον vocant, per omnia saecula grassata atque grassatura, qua, quos sentiant se praestantiores esse, eos non, ut creduntur, suae ipsorum naturae similes, sed inferiores etiam atque peiores insidianti susurro demonstrent. Iste erat φθόνος, quo humiles humiliter studebant infamare etiam Aristotelem. Major erat praeceptore philosophus: o ingratum discipulum! Comtus lautus amictus decentius incedere malebat: ecce hominem vanum inanem ambitiosum. Atque haec a philosophis et praeceptoribus profecta sunt, quos omni tempore magis decet et animi et corporis cultu discipulis exemplo esse, quam cum Horatio quemquam opinari se excusatum iri, se non rideri, se non vituperari eo quod rusticius tonso toga defluit et male laxus in pede calceus haeret. Hisce, quum immunditiam videantur amare, non verendum est, ne sibi opprobrio vertatur, quod olim Aristoteli.

Digitized by Google

SCHOLAE PROFESSORUM ORDINARIORUM.

EX ORDINE THEOLOGICO.

Dr. *C. Lüdemann*, h. t. Rector, 1) *publico* officio seminarii homiletici studia moderari perget diebus Jovis, horis X. et XI., 2) *privatim* a) seminarii catechetici exercitationes moderabitur diebus Mercurii horis X. et XI., b) Theologiae practicae partem alteram explicabit diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hora IV.

Dr. *N. Thomsen*, historiam ecclesiae Christianae universalem per partem ejus alteram h. XI—XII. enarrabit, quater *privatim* usque ad pacem Westphalicam, diebus autem Mercurii et Saturni *publice* inde a pace Westphalica usque ad nostra tempora; *privatim* praeterea philosophiam religionis universalem quater h. III—IV. exponet, item gentis Hebraicae historiam tradet diebus Mercurii et Saturni h. III—IV.

Dr. *Carolus Wieseler privatim* 1) potiora evangelii Joannei capita quater diebus Lunae, Martis, Veneris et Saturni h. X—XI. interpretabitur; 2) locos Isaiae prophetae gravissimos quater diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hor. XII—I. explicabit.

Dr. *G. Fricke*, h. t. Dec., *privatim* ethicen Christianam docebit quaternis dd. h. V. pomerid.; *publice* de Luthero ecclesiae Germanicae reformatore et doctore, ratione habita controversiarum nostra memoria gestarum disseret binis dd. h. XII.; *privatim* vitam Jesu ejusque vim dogmaticam adumbrabit quaternis dd. h. VI. pom.

EX ORDINE IURIDICO.

Dr. *J. Christiansen privatim* Institutiones atque antiquitates juris Romani quater per hebd. hh. X—XII. tradet.

Dr. *J. W. Planck*, h. t. Dec., *privatim* 1) jus criminale quinquies per hebd. hor. XI. tradet; 2) exercitationes practicas, quales in judiciis privatis hodie in usu sunt, moderabitur ternis scholis h. XII.

Dr. *A. C. J. Schmid* jus privatum ducatus Slesvici omnibus diebus non festis, h. IX—X., quater *privatim*, bis *publice* docebit.

Dr. *Guilielmus Girtanner privatim* exponet Doctrinam Pandectarum (excepto jure hereditario, quod proxima hyeme docebit) duce Puchta *(Pandekten, 7. Aufl.* 1854) et simul adhibiturus librum suum: *Rechtsfälle zu Puchta's Pandekten*, omnibus diebus non festis horis X—XI. et XII—I.

Digitized by Google

EX ORDINE MEDICORUM.

Dr. *G. H. Ritter privatim* Pathologiam generalem dieb. Lun. Mart. et Ven. h. IX. Diaeteticen iisdem dieb. h. X. docebit, *publice* de morbis infantum disseret h. auditur. commodis.

Dr. *W. F. G. Behn*, h. t. Prodec., *publice* exercitationes zootomicas et physiologicas habebit; *privatim* 1) Zoologiam quinquies p. hebd. hora XII. docebit, 2) quaternis scholis h. III. systema nervorum et organa sensuum demonstrabit.

Dr. *C. C. Th. Litzmann publice* theoriae artis obstetriciae partem alteram tradet diebus Lunae, Martis et Jovis h. VIII.; *privatim* clinicen obstetriciam moderabitur diebus Lun., Mercurii, Jovis et Saturni h. IX.

Dr. *E. F. Goetz* Pathologiae et therapiae partem II. docebit hora IX—X. Clinicen medicam moderabitur hora X—XII.

EX ORDINE PHILOSOPHORUM.

Dr. *H. Ratjen publice* diebus Lunae et Jovis hora pomeridiana III—IV. historiam literariam juris civilis adumbrabit. Bibliothecam publicam aperiet diebus horisque praescriptis.

Dr. *P. W. Forchhammer privatim* 1) Geographiam terrarum, quas Graeci Romanique incoluerunt, ternis diebus Lunae, Martis et Jovis h. XII—I. tradet; 2) exercitationes Archaeologicas instituet singulis diebus Veneris hh. XI—I. *Publico* officio seminarii philologici exercitationes moderaturus 1) interpretationi Aeschyli Promethei diebus Mercurii horis XI—I.; 2) interpretationi Taciti Annal. diebus Saturni horis XI—I.; 3) disputationibus sociorum diebus Martis horis II—IV. instituendis praeerit.

Dr. *C. Himly*, h. t. Dec., chemiam theoreticam docebit et experimentis illustrabit sexies per hebdomadem hora X—XI. Exercitationes chemicas et analyticas et pharmaceuticas in laboratorio academico sueto more horis XI—II. instituet.

Dr. *G. Karsten privatim:* 1) physicen experimentalem senis diebus hora IX. leget; 2) physices theoriae partem primam (physicen generalem) bis p. hebd. dieb. Merc. et Sat. h. X. docebit; 3) exercitationes practicas sueto more instituet; 4) mineralogiae systema ternis scholis exponet; *publice:* 5) meteorologiam et climatologiam d. Merc. h. IV. tradet; *privatissime* sed *gratis:* 6) colloquia physica moderari perget.

Digitized by Google

PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

IURIS.

Dr. *C. Christiansen privatim* Institutiones atque antiquitates juris romani tradet, quater per hebd. hh. X—XII.

MEDICINAE.

Dr. *F. H. Hegewisch* artem salutarem *privatissime* docebit.

Dr. *F. Weber privatim* quinquies p. hebd. h. VII. anatomiam pathologicam generalem et specialem docebit; *publice* ubi et quando id fieri poterit, sectiones, et inde exercitationes pathol.-histolog. instituet.

Dr. *P. L. Panum publice* de vicissitudine et connexu functionum vitae bis per hebdom. disseret; *privatim* physiologiam humanam et experimentalem octies per hebdom. docebit; *privatim* sed *gratis* auditoribus repetitoria physiologica bis per hebd. offert; *privatissime* omnibus diebus non festis horis pomeridianis exercitationes chemicas et physiologicas medicorum moderabitur.

Dr. *G. P. E. Kirchner privatim* 1) Pharmacologiae partem generalem die Martis, Jovis et Saturni h. XI—XII., 2) Organicam chemiae pharmaceuticae partem die Lunae, Mercurii et Veneris h. m. VIII—IX. docebit.

PHILOSOPHIAE.

Dr. *E. F. Nolte publice* Demonstrationes plantarum in horto botanico instituet h. III—IV. dd. Lun. et Jov., *privatim* Botanicen tradet quinis diebus h. VII—VIII. Excursiones botanicas hor. postmerid. III. die Merc. aut Satr. instituet.

Dr. *Karol. Müllenhoff privatim* grammaticam theodiscam diebus Lunae Mercurii hora III—IV die Martis hora IV—V, carmen der Nibelunge nôt diebus Jovis, Veneris, Saturni hora III—IV, Horatii epistolas diebus et horis definiendis bis per hebd. explicabit; *publice* linguam saxonicam et anglosaxonicam docebit.

Dr. *Gustavus F. Thaulow:* Paedagogiam et Didacticam quater leget *privatim* hor. VIII—IX.; Introductionem in philosophiam binis horis *privatim* diebus Martis et Veneris h. III—IV., (et quidem ita, ut prima parte notiones et ideae, in quibus philosophia et lingua nostra philosophica maxime versatur, explicentur, secunda parte historiae philosophiae progressus rationalis ejusque primaria capita doceantur, tertia parte nexus scientiarum philosophicarum internus explicetur); Psychologiam binis horis docebit *privatim* diebus Lunae et Jovis hora III—IV. *Privatissime* sed *gratis* Hegelii librum de aesthetica seu aliud Hegelii opus cum commilitonibus interpretabitur.

Digitized by Google

Dr. *K. W. Nitzsch privatim* 1) rerum publicarum formas, quibus principes populi inde ab antiquis temporibus usque ad nostram aetatem usi sunt, quater per hebd. hora X. antem. adumbrabit. 2) Medii aevi historiam tradet bis per hebdom. hora X. antem. 3) Res Ditmarsicas ex pagorum vicorumque Germanicorum historia illustrabit bis p. hebd. hora V. postmerid. *Publice* exercitationes historicas moderari perget.

Dr. *Frid. Harms* tradet *privatim* logicam et introductionem in philosophiam quaternis p. h. diebus hora IV.; encyclopaediam scientiarum naturae bis p. h. hora XII.; *publice* exercitationes philosophicas instituet; *privatissime* offert scholas de historiae philosophiae.

Chr. K. F. Molbech publice mythologiam Scandinavorum diebus Lunae et Jovis hora V. pomerid. enarrabit; *privatissime* sed *gratis* exercitationes linguae Danicae ternis p. h. horis pom. moderabitur.

Dr. *G. D. E. Weyer publice* astronomiam theoricam tradet diebus Lunae et Mercurii h. V—VI.; *privatim* 1) elementa matheseos leget diebus Lunae, Merc. et Saturni hora X—XI.; 2) de calculi differentialis et integralis applicatione ad geometriam et mechanicam disseret diebus Martis, Jovis et Veneris hor. V—VI.

DOCTORUM PRIVATORUM.

IURIS.

Dr. *Ernestus Friedlieb privatim* juris Germanici privati principia quinis diebus h. XII., juris encyclopaediam duce libro suo: *(Juristische Encyclopädie. Kiel, Akad. Buchhandlung,* 1853.) quaternis diebus hora IV. explicabit.

Dr. *Theod. Schütze privatim* 1) Institutiones atque antiquitates Juris Romani quinis per hebd. horis, quotidie, excepto die Saturni, hora XII—I.; 2) Jus hereditarium (duce *Puchta, Pandecten, Achtes Buch*) bis per hebd., diebus Mercurii et Saturni hora X. docebit; 3) *publice:* Historiam Juris Hereditarii comparativam, semel per hebd. die Saturni, hora IX., vel alia hora audituris commoda, tradet.

MEDICINAE.

Dr. *W. H. Valentiner* historiam evolutionis ovi hominis et animalium vertebratorum bis per hebdomadem enarrabit.

Dr. *Th. Valentiner privatim* docebit pathologiam et therapiam morborum cerebri, medullae spinalis et nervorum diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. VIII—IX.

Digitized by Google

Dr. *P. Jessen publice* diebus Martis et Veneris hora IX—X. Psychologiam docebit.

Dr. *A. N. Herrmannsen* geologiam petrefactis dilucidatam tractabit.

Dr. *Herm. Schwartz privatim* Operationes obstetricias explicabit bis per hebdomad. hora antemerid. VIII—IX.

Dr. *P. W. Jessen publice* medicinam forensem psychicam semel per hebdomadem diebus Mercurii h. X—IX. docebit.

Dr. *F. Esmarch publice* demonstrationes patholog. histologicas habebit; *privatim* 1) chirurgiae partem alteram sexies hora matut. VII—VIII., 2) histologiam quater per hebdomadem docebit.

Dr. *Carolus Bartels privatim* de morbis venereis bis per hebd. disseret; *privatissime* exercitationes practicas explorationis physicalis instituet.

PHILOSOPHIAE.

Dr. *Ludov. Meyn privatim* Geographiam Daniae et Ducatuum Slesvici Holsatiae Lauenburgi enarrabit quater per hebdomadem hora IX—X.; *publice:* Humboldtii Kosmon interpretabitur hora XI. die Saturni; *privatissime* exercitationes mineralogicas et crystallographicas moderabitur.

Dr. *K. Steffensen* historiam philosophiae Christianae enarrabit *privatim*, quinquies p. h. hora VIII. matut.

LECTORES LINGUARUM ET ARTIUM MAGISTRI.

S. Lubbren lector linguae anglicae *publice* diebus Mercurii et Saturni hora IX—X. King Henry IV. by Shakespeare leget. *Privatissime* scholas anglicas quotidie offert.

P. Guil. de Balle, publicus equitandi magister, artem equos subigendi docebit, et scholas habebit de externa forma equorum recte judicanda.

Th. Rehbenitz, artis delineandi magister publicus, eorum, qui opera ejus uti velint, in delineandi et pingendi arte exercitationes moderabitur.

Armorum tractationem, saltationem, reliquam gymnasticam discere cupientibus non deerunt magistri harum artium peritissimi ad easque docendas publico stipendio conducti.

Digitized by Google

Tabellarische Uebersicht der Vorlesungen,

nach den Stunden geordnet.

Sommerhalbjahr 1854.

Stund.	Montag.	Dienstag.	Mittwoch.	Donnerstag.	Freitag.	Sonnabend.
7—8	Kyle, Botanik. Pfeiffer, pathol. Anat. Eduard, Chirurgie I. Th.	Kyle, Botanik. Pfeiffer, pathol. Anat. Eduard, Chirurgie I. Th.	Kyle, Botanik. Pfeiffer, pathol. Anat. Eduard, Chirurgie I. Th.	Kyle, Botanik. Pfeiffer, pathol. Anat. Eduard, Chirurgie I. Th.	Kyle, Botanik. Pfeiffer, pathol. Anat. Eduard, Chirurgie I. Th.	Eduard, Chirurgie I. Th.
8—9	Liebmann, Entbindungskunst. Kirchner, spec. Th. I. Pfeiffer, Pathog. u. Diätet. Fr. Falkenhorst, Nervenkrankheiten. Hoffmann, Gesch. d. Phil.	Liebmann, Entbindungskunst. Pfeiffer, Pathog. u. Diätet. Fr. Falkenhorst, Nervenkrankheiten. Hoffmann, Gesch. d. Phil.	Liebmann, Entbindungskunst. pharmak. Clinicum. Fr. Falkenhorst, Nervenkrankheiten.	Liebmann, Entbindungskunst. Theatrum Pathog. u. Diätet. Fr. Falkenhorst, Nervenkrankheiten. Schwartz, geburtsh. Clinic. Hoffmann, Gesch. d. Phil.	Liebmann, Entbindungskunst. Kirchner, spec. Th. I. Fr. Falkenhorst, Nervenkrankheiten. Hoffmann, Gesch. d. Phil.	Liebmann, Entbindungskunst. Kirchner, spec. Th. I. Schwartz, geburtsh. Clinic. Hoffmann, Gesch. d. Phil.
9—10	Eduard, Schlesw. Privat-Recht. Pfeiffer, Pathologie. Kirchner, spec. Th. II. Fr. Falkenhorst, Nervenkrankheiten. Hoffmann, Gesch. d. Phil.	Eduard, Schlesw. Privat-Recht. Pfeiffer, Pathologie. Kirchner, spec. Th. II. Fr. Falkenhorst, Nervenkrankheiten. Hoffmann, Gesch. d. Phil.	Eduard, Schlesw. Privat-Recht. Liebmann, geburtsh. Klin. Kirchner, spec. Th. II. Fr. Falkenhorst, Nervenkrankheiten. Lachmann, Shakespeare's Dramen.	Eduard, Schlesw. Privat-Recht. Pfeiffer, Pathologie. Kirchner, spec. Th. II. Mag. Gregorii, Diätetik. Fr. Falkenhorst, Nervenkrankheiten.	Eduard, Schlesw. Privat-Recht. Pfeiffer, Pathologie. Kirchner, spec. Th. II. Fr. Falkenhorst, Nervenkrankheiten. Hoffmann, Gesch. d. Phil.	Eduard, Schlesw. Privat-Recht. Liebmann, geburtsh. Klin. Pfeiffer, Pathologie. Kirchner, spec. Th. II. Schütze, Gesch. d. Kirche. Fr. Falkenhorst, Nervenkrankheiten.
10—11	Mayer, Psychiatrie. Fr. Falkenhorst, Kasuist. Experimentalphysik. Kyle, Botanik. C. v. Bergenhielm.	Mayer, Psychiatrie. Fr. Falkenhorst, Kasuist. Experimentalphysik. C. v. Bergenhielm.	Mayer, Psychiatrie. Fr. Falkenhorst, Kasuist. Experimentalphysik. C. v. Bergenhielm.	Mayer, Psychiatrie. Fr. Falkenhorst, Kasuist. Experimentalphysik. C. v. Bergenhielm.	Mayer, Psychiatrie. Fr. Falkenhorst, Kasuist. Experimentalphysik. C. v. Bergenhielm.	Mayer, Psychiatrie. Fr. Falkenhorst, Kasuist. Experimentalphysik. C. v. Bergenhielm.
11—12	Liebmann, Geburtshülfe. C. Christiansen, Institut. Gärtner, Botanik. Lorentzen, Anat. Kl. Kirchner, Pharmakologie. Pfeiffer, Pathologie.	Liebmann, Geburtshülfe. C. Christiansen, Institut. Gärtner, Botanik. Lorentzen, Anat. Kl. Kirchner, Pharmakologie. Pfeiffer, Pathologie.	Liebmann, Geburtshülfe. Gärtner, Botanik. Lorentzen, Anat. Kl. Kirchner, Pharmakologie. Pfeiffer, Pathologie.	Liebmann, Geburtshülfe. C. Christiansen, Institut. Gärtner, Botanik. Lorentzen, Anat. Kl. Kirchner, Pharmakologie. Pfeiffer, Pathologie.	Liebmann, Geburtshülfe. C. Christiansen, Institut. Gärtner, Botanik. Lorentzen, Anat. Kl. Kirchner, Pharmakologie. Pfeiffer, Pathologie.	Wiener, Evangel. Luth. Gärtner, Botanik. Gött. und Klin. Th. II. Lorentzen, Anat. Kl. Kirchner, Pharmakologie. Pfeiffer, Pathologie.
12—1	Thomsen, Kirchengesch. C. Christiansen, Institut. Pfaundler, Chirurgie. Lorentzen, Anat. Kl. C. Christiansen, Institut.	Thomsen, Kirchengesch. C. Christiansen, Institut. Pfaundler, Chirurgie. Lorentzen, Anat. Kl. C. Christiansen, Institut.	Liebmann, Geburtshülfe. C. Christiansen, Institut. Pfaundler, Chirurgie. Lorentzen, Anat. Kl. Mag. Gregorii, Diätetik. C. Christiansen, Institut.	Liebmann, Geburtshülfe. C. Christiansen, Institut. Pfaundler, Chirurgie. Lorentzen, Anat. Kl. C. Christiansen, Institut.	Thomsen, Kirchengesch. C. Christiansen, Institut. Pfaundler, Chirurgie. Lorentzen, Anat. Kl. C. Christiansen, Institut.	Thomsen, Kirchengesch. C. Christiansen, Institut. Pfaundler, Chirurgie. Lorentzen, Anat. Kl. C. Christiansen, Institut.
1—2	Liebmann, Geburtshülfe. C. Christiansen, Institut.	Liebmann, Geburtshülfe. C. Christiansen, Institut. Mag. Gregorii, Diätetik.	Liebmann, Geburtshülfe. C. Christiansen, Institut. Mag. Gregorii, Diätetik.	Liebmann, Geburtshülfe. C. Christiansen, Institut.	Liebmann, Geburtshülfe. C. Christiansen, Institut.	Thomsen, Kirchengesch. C. Christiansen, Institut.

12—1	*Wiesseler*, Jesaja. *Planck*, Processpraktikm. *Girtanner*, Pandekten. *Behn*, Zoologie. *Forchhammer*, alte Geogr. *Friedlieb*, Deutsch. Privatr. *Schütze*, Institut.	*Wiesseler*, Jesaja. *Girtanner*, Pandekten. *Behn*, Zoologie. *Forchhammer*, alte Geogr. *Friedlieb*, Deutsch. Privatr. *Schütze*, Institut.	*Fricke*, über Luther. *Planck*, Processpraktikm. *Girtanner*, Pandekten. *Behn*, Zoologie. *Forchhammer*, philol. Sem. *Harms*, Encycl. d. Naturw. *Friedlieb*, Deutsch. Privatr. *Schütze*, Institut.	*Wiesseler*, Jesaja. *Girtanner*, Pandekten. *Behn*, Zoologie. *Forchhammer*, alte Geogr. *Friedlieb*, Deutsch. Privatr. *Schütze*, Institut.	*Wiesseler*, Jesaja. *Planck*, Processpraktikm. *Girtanner*, Pandekten. *Behn*, Zoologie. *Forchhammer*, arch. Ueb. *Friedlieb*, Deutsch. Privatr. *Schütze*, Institut.	*Fricke*, über Luther *Girtanner*, Pandekten. *Forchhammer*, philol. Sem. *Harms*, Encycl. d. Naturw.
2—3	*Panum*, prakt. Uebng. (2-7).	*Forchhammer*, philol. Sem *Panum*, prakt. Uebng. (2-7)	*Panum*, prakt. Uebng. (2-7).	*Panum*, prakt. Uebng. (2-7).	*Panum*, prakt. Uebng. (2-7).	
3—4	*Thomsen*, Religionsphilos. *Behn*, Nervensystem. *Ratjen*, jurist. Lit.-Gesch. *Nolte*, Pflanzendemonstr. *Müllenhoff*, Deut. Gramm. *Thaulow*, Psychologie.	*Thomsen*, Religionsphilos. *Behn*, Nervensystem. *Forchhammer*, philol. Sem. *Thaulow*, Einl. in d. Philos.	*Thomsen*, Gesch. d. Hebr. *Nolte*, bot. Excursionen. *Müllenhoff*, Deut. Gramm.	*Thomsen*, Religionsphilos. *Behn*, Nervensystem. *Ratjen*, jurist. Lit.-Gesch. *Nolte*, Pflanzendemonstr. *Müllenhoff*, Nibelungen. *Thaulow*, Psychologie.	*Thomsen*, Religionsphilos. *Behn*, Nervensystem. *Müllenhoff*, Nibelungen. *Thaulow*, Einl. in d. Philos.	*Thomsen*, Gesch. d. Hebr. *Nolte*, bot. Excursionen. *Müllenhoff*, Nibelungen.
4—5	*Lüdemann*, prakt. Theol. *Panum*, Physiologie. *Harms*, Logik. *Friedlieb*, jur. Encyclop.	*Lüdemann*, prakt. Theol. *Panum*, Physiologie. *Müllenhoff*, Deut. Gramm. *Harms*, Logik. *Friedlieb*, jur. Encyclop.	*Karsten*, Meteorologie u. Klimatologie.	*Lüdemann*, prakt. Theol. *Panum*, Physiologie. *Harms*, Logik. *Friedlieb*, jur. Encyclop.	*Lüdemann*, prakt. Theol. *Panum*, Physiologie. *Harms*, Logik. *Friedlieb*, jur. Encyclop.	
5—6	*Fricke*, christl. Ethik. *Panum*, Physiologie. *Molbech*, nord. Mythol. *Weyer*, Astronomie.	*Fricke*, christliche Ethik. *Panum*, Physiologie. *Weyer*, Differentialrechn.	*Nitzsch*, Dithmars. Gesch. *Weyer*, Astronomie.	*Fricke*, christl. Ethik. *Panum*, Physiologie. *Molbech*, nord. Mythol. *Weyer*, Differentialrechn.	*Fricke*, christliche Ethik. *Panum*, Physiologie. *Weyer*, Differentialrechn.	*Nitzsch*, Dithmars. Gesch.
6—7	*Fricke*, Leben Jesu.	*Fricke*, Leben Jesu.		*Fricke*, Leben Jesu.	*Fricke*, Leben Jesu. *Nitzsch*, histor. Uebungen.	

In später zu bestimmenden Stunden:

Ritter, Kinderkrankheiten. ***Behn***, zootom. u. physiolog. Uebungen. ***Karsten***, prakt.-physik. Uebungen. *Ders.*, physik. Colloquia. ***Ders.***, system. Mineralogie (3). ***Heyewisch***, Heilkunde. ***Weber***, pathol.-histol. Uebungen. ***Panum***, Lebensfunktionen (2). *Ders.*, physiol. Repetitoria (2). ***Müllenhoff***, Horaz Epist. (2). ***Thaulow***, pädagog. Seminar. ***Ders.***, Hegel's Aesthetik. ***Harms***, philosoph. Uebungen. *Ders.*, Geschichte der Philosophie. ***Molbech***, Dänische Sprachübungen (3). ***W. H. Valentiner***, Entwickl. des Eies d. Mensch. u. d. Wirbelth. (2). ***Herrmannsen***, Geologie. ***Esmarch***, Histologie (4). ***Ders.***, pathol.-histol. Demonstrat. ***Bartels***, vener. Krankh. (2). ***Ders.***, prakt.-diagnost. Uebung. ***Meyn***, mineralog.-krystallogr. Uebungen. ***Lubbren***, Engl. Sprache. ***de Balle***, Reitübungen. ***Rehbenitz***, Zeichnen- u. Malübungen. — (Vollständigere Titel der Vorlesungen finden sich im lateinischen Index.)

Digitized by Google

1854. II.

Verzeichniss

der

Behörden, Commissionen, Beamten, Institute, Lehrer und Studirenden

der Universität Kiel.

Sommersemester 1854.

KIEL.

Gedruckt bei C. F. Mohr.

Digitized by

I. Behörden.

Curator.

— — — — — —

Rector.

Prof. Dr. *C. Lüdemann.*

Consistorium academicum plenum.

(Reglement für das academische Consistorium vom 31. Juli 1801.)

Mitglieder: Sämmtliche ordentliche Professoren.
Protocollführer: der Syndicus.

Consistorium arctius.

(Anordnung wegen Einrichtung eines Privat- oder engern Consistorii bei der Universität Kiel vom 19. December 1781. Zur Declaration etc. vom 13. April 1792.)

Prof. Dr. *Lüdemann* als Rector.
Prof. Dr. *Fricke*
Prof. Dr. *Planck*
Prof. Dr. *Behn* (bis zum 24. Juni)
Prof. Dr. *Litzmann* (vom 24. Juni)
Prof. Dr. *Himly* (bis zum 24. Juni)
Prof. Dr. *Karsten* (vom 24. Juni)
} als Decane.
Prof. Dr. *Schmid* als juristischer Assessor.
Protocollführer: Der Syndicus.

Universitätsgericht.

Nach Verschiedenheit der Gegenstände der Rector oder das Consist. arct. oder das Consist. plenum.

Syndicus der Universität.

(Instruction für den Syndicus vom 29. August 1788.)

E. F. Christensen.

II. Academische Neben-Aemter und Commissionen.

1. Examinations-Collegium für das Convict-Examen.

(Kanzleipatent über die angeordneten Prüfungen etc. vom 3. Februar 1798.)

Sämmtliche ordentliche Professoren der philosophischen Facultät.
Das Convict steht unter Aufsicht des Consist. academ.

Digitized by Google

2. Commission für das Stipendium Schassianum.

(Rescript vom 13. November 1804 und Bekanntmachung vom 1. December 1804.)

Prof. Dr. *P. W. Forchhammer*; const.
Prof. Dr. *C. N. T. H. Thomsen*; const.
Etatsrath Prof. Dr. *H. Ratjen*; const.

Die Stipendien werden vom Consist. academ. vergeben.

3. Commission für das Stipendium philologicum.

(Regulativ, betreffend die künftige Verwendung des Königl. philol. Stipend. vom 10. April 1810.)

Prof. Dr. *P. W. Forchhammer*; const.
Prof. Dr. *K. W. Nitzsch*; const. } für das erste und zweite Examen.
Prof. Dr. *G. Karsten*; const. für das zweite Examen.

4. Commission für das Schulamts-Examen.

(Regulativ vom 10. April 1810, § 11, und Rescript vom 8. Juli 1820; Bekanntmachung vom 6. Februar 1844.)

Die Mitglieder der vorigen Commission, und ein jedesmal vom Consist. zu deputirender Professor der Theologie und ein oder zwei Professoren der Philosophie.

5. Richardi'sches Stipendium.

(Bestätigung des Stiftungsbriefes vom 6. Januar 1786.)

Wird vom Consist. academ. conferirt.

6. Herzoglich Oldenburgisches Stipendium.

(Rescripte vom 12. November 1814 und 9. Januar 1816.)

Wird vom Consist. academ. conferirt.

7. Administration der Convict- und Stipendien-Gelder.

Der Quästor.

8. Honorarienstundungs-Verein.

(Kanzleipatent vom 10. August 1817; Regulativ vom 2. Januar 1820; Bekanntmachung vom 30. April 1830.)

Geschäftsführer: Prof. Dr. *Thaulow*.

9. Deputirter der Universität zum Armendirectorium.

(Resolution vom 24. Mai 1793.)

Prof. Dr. *G. Karsten*.

10. Revisoren der Universitätsrechnungen.

(Instruction für den Quästor vom 17. September 1783, § 13.)

Etatsrath Prof. Dr. *H. Ratjen*.
Prof. Dr. *J. W. Planck*.

11. Administration der Professoren-Wittwenkasse.

(Instruction vom 24. Februar 1786.)

Der Quästor.

Digitized by Google

12. Bibliotheks-Commission.

(Instruction vom 18. November 1826.)

Als Bibliothekar: Etatsrath Prof. Dr. *H. Ratjen.*
Von der theologischen Facultät: — — —
Von der juristischen Facultät: — — —
Von der medicinischen Facultät: Dr. Prof. *C. C. Th. Litzmann.*
Von der philosophischen Facultät: — — —

13. Spruch-Collegium.

(Rescript vom 30. Juli 1777 und Reglement vom 19. November 1783.)

Ordinarius: Prof. Dr. *J. W. Planck.*

14. Commission für die Druckschriften der Universität.

Etatsrath Prof. Dr. *H. Ratjen.*
Prof. Dr. *P. W. Forchhammer.*
Prof. Dr. *G. Karsten.*

III. Officianten der Universität und Universitäts-Verwandte.

Quästor der Universität.

(Instruction vom 17. September 1783.)

Syndicus *E. F. Christensen;* const.

Aedil der Universität.

(Rescript vom 27. April 1792.)

Syndicus *E. F. Christensen;* const.

Universitäts-Copiist.

Ch. Spetmann.

Pedelle.

C. Conräder (quiesc.). *D. Biel. H. Jäger.*

Auditorienwärter.

Johann Feldmann.

Universitäts-Buchhändler: *C. G. L. v. Maack.*
Universitäts-Buchdrucker: *Mohr's* Erben.
Universitäts-Buchbinder: *J. G. L. Castagne.*

Digitized by Google

IV. Universitäts-Institute.

1. Universitäts-Bibliothek.

Bibliothekar: Etatsrath Prof. Dr. *H. Ratjen.*
Hülfsarbeiter: Cand. theol. *Hamann.*
Bote der Bibliothek: *Schnoor.*

(Die Bibliothek befindet sich im Schlosse und ist Mittwochs und Sonnabends Nachmittags von 3—5, an den übrigen Wochentagen von 11—1 Uhr geöffnet.)

2. Homiletisches Seminar.

Director: Prof. Dr. *C. Lüdemann.*

(Der von den Mitgliedern des Seminars wöchentlich gehaltene, mit den kirchlichen Anzeigen im Wochenblatt vorher publicirte Gemeinde-Gottesdienst findet statt: Donnerstags von 10—11 Uhr in der Klosterkirche, die Beurtheilung der homiletischen und liturgischen Leistungen: Donnerstags von 11 Uhr an im Auditorium No. 5.

Die Bibliothek des Seminars ist in der Wohnung des Directors und steht zur Benutzung täglich offen.

3. Katechetisches Seminar.

Director: Prof. Dr. *C. Lüdemann.*

(Der von den Mitgliedern des Seminars einer Abtheilung von Knaben aus den Oberklassen der Freischule wöchentlich ertheilte Religionsunterricht findet statt: Mittwochs von 10—11 Uhr im Audit. No. 5, die Beurtheilung der katechetischen Leistungen ebendaselbst Mittwochs von 11 Uhr an.)

4. Anatomisches Theater und Museum.

Director: Prof. Dr. *W. F. G. Behn.*
Prosector: Dr. *Claudius.*
Anatomiediener: *Maas.*

5. Chemisch-pathologisches Institut.

Director: Prof. Dr. *P. L. Panum.*

6. Pathologische Klinik im academischen Krankenhause.

Vorsteher: Prof. Dr. *E. F. Götz.*
Assistenzarzt: Dr. *C. H. C. Bartels.*
Rechnungsführer: Secretair *M. Bartel.*
Oeconom: *F. Rath.*

(Die Klinik wird von 10—12 Uhr Morgens gehalten.)

7. Chirurgische Klinik im Friedrichshospital.

Vorsteher: — — —
Interimistischer Administrator: Dr. *F. Esmarch.*
Assistenzarzt: Dr. *Thaden.*

Digitized by Google

Rechnungsführer: Secretair *M. Bartel.*
Oeconom: *H. J. Hancke.*

(Die Klinik wird von 12—2 Uhr Mittags gehalten.

8. Geburtshülfliche Klinik in der Hebammenanstalt und dem Entbindungshause.

Vorsteher: Prof. Dr. *C. C. Th. Litzmann.*
Assistenzarzt: Dr. *H. Schwartz.*
Oberhebamme: *M. C. Schwartz.*

(Die Klinik wird von 9—10 Uhr Morgens gehalten.)

9. Philologisches Seminar.

Geleitet von Prof. Dr. *P. W. Forchhammer.*

10. Münz- und Kunst-Sammlung.

Vorsteher: Prof. Dr. *P. W. Forchhammer.*

11. Pädagogisches Seminar.

Director: Prof. Dr. *G. Thaulow.*

(Freitags Vormittags 7 Uhr im Auditorium No. 3.

12. Zoologisches Museum.

Director: Prof. Dr. *W. F. G. Behn.*

13. Botanischer Garten.

Director: Prof. Dr. *E. F. Nolte.*
Rechnungsführer: Der Quästor.
Gärtner: *C. Dahle.*

(Der botanische Garten ist für Studirende an allen Wochentagen von 7—12 und 1—7 Uhr geöffnet. Für das Publicum ist der Garten vom Juni bis September Dienstags und Freitags Nachmittags von 4—7 Uhr zugänglich.)

14. Mineralogisches Museum.

Director: Prof. Dr. *G. Karsten.*

(Das Museum ist während des Baues des neuen Locales geschlossen.)

15. Chemisches Laboratorium.

Director: Prof. Dr. *C. Himly.*
Laboratoriumdiener: *Stephan.*

16. Physikalisches Institut.

Director: Prof. Dr. *G. Karsten.*
Diener des Instituts: *H. Kruse.*

Digitized by Google

17. Museum vaterländischer Alterthümer.

(Pertinenz der Universität.)

Director: Prof. Dr. *K Müllenhoff.*

(Das Museum ist regelmässig an den Hauptmarktagen für das grössere Publicum geöffnet; ausserdem nach vorgängiger Meldung beim Director zu besichtigen.)

V. Facultäten.

Decan der theologischen Facultät:
Prof. Dr. *G. A. Fricke* vom 1. Januar 1854 bis 1. Januar 1855.
Prodecan: Prof. Dr. *C. Wieseler.*

Decan der juristischen Facultät:
Prof. Dr. *J. W. Planck* vom 1. Januar 1854 bis 1. Januar 1855.
Prodecan: — — —

Decan der medicinischen Facultät:
Prof. Dr. *C. C. Th. Litzmann* vom 24. Juni 1854 bis 24. Juni 1855.
Prodecan: Prof. Dr. *W. F. G. Behn.*

Decan der philosophischen Facultät:
Prof. Dr. *G. Karsten* vom 24. Juni 1854 bis 24. Juni 1855.
Prodecan: Prof. Dr. *C. Himly.*

VI. Lehrer-Personale.

1. In der theologischen Facultät.

C. P. M. Lüdemann, R.*, Dr. theol., Prediger an der heiligen Geist- und Garnisons-Kirche, o. P.
C. N. T. H. Thomsen, Dr. theol. und phil., o. P.
C. G. J. Wieseler, Dr. theol., o. P.
G. A. Fricke, Dr. theol. und phil., o. P.

2. In der juristischen Facultät.

J. J. W. Planck, Dr. jur., o. P.
A. C. J. Schmid, Dr. jur., o. P.
W. Girtanner, Dr. jur., o. P.
B. C. S. Christiansen, Dr. jur., a. P.
E. S. H. Friedlieb, Dr. jur., Priv. D.
T. Schütze, Dr. jur., Priv. D.

3. In der medicinischen Facultät.

G. H. Ritter, R.*, Etatsrath, Dr. med. und chir., o. P.
W. F. G. Behn, Dr. med. und chir., o. P.

Digitized by Google

C. C. Th. Litzmann, Dr. med. und chir., o. P.
E. F. Götz, Dr. med., o. P.
F. H. Hegewisch, Etatsrath, Grossh. Oldenb. Leibarzt, Dr. med., a. P.
F. Weber, Dr. med. und chir., a. P.
P. L. Panum, R.*, Dr. med., a. P.
G. P. E. Kirchner, Dr. med. und chir., a. P.
W. H. Valentiner, Dr. med. und chir., Priv. D.
G. Th. Valentiner, Dr. med. und chir., Priv. D.
P. Jessen, Dr. med. und chir., Priv. D.
A. N. Herrmannsen, Dr. med. und chir., Priv. D.
P. W. Jessen, R.*, Professor, Dr. med. und chir., Priv. D.
H. Schwartz, Dr. med. und chir., Priv. D.
F. Esmarch, Dr. med. und chir., Priv. D.
C. Bartels, Dr. med. und chir., Priv. D.
M. Claudius, Dr. med. und chir., Priv. D.

4. In der philosophischen Facultät.

H. Ratjen, R.*, Etatsrath, Dr. jur. und phil., o. P.
P. W. Forchhammer, Dr. phil., o. P.
C. F. A. Himly, Dr. phil., o. P.
G. Karsten, Dr. phil., o. P.
H. M. Chalybäus, Dr. phil., o. P.
E. F. Nolte, Dr. med., a. P.
K. V. Müllenhoff, Dr. phil., a. P.
G. F. Thaulow, Dr. phil., a. P.
K. W. Nitzsch, Dr. phil., a. P.
F. Harms, Dr. phil., a. P.
C. K. F. Molbech, a. P.
G. D. Weyer, Dr. phil., a. P.
C. F. C. Steffensen, Dr. phil., Priv. D.
L. Meyn, Dr. phil., Priv. D.
S. Lubbren, Lector.
Schwob-Dollé, Lector.

Lehrer der Reitkunst: Kriegsrath *P. W. v. Balle*, R.*
Lehrer der Tanzkunst: *A. v. Wobeser-Rosenhain.*
Lehrer der Zeichnenkunst: *Th. Rehbenitz.*
Lehrer der Fechtkunst: *J. J. C. Maack.*

VII. Verzeichniss der Studirenden.

Name.	Geburtsort.	Studium.	Inscribirt.		Wohnung.
			Ostern	Mich.	
v. Ahlefeldt, E.	Saxdorff.	Jura.	—	53.	Brendtner, Vorstadt.
v. Ahlefeldt, F. W. A.	Sehestedt.	Jura.	—	53.	Petersen, Flämischestrasse.
Berg, E.	Ploen.	Medicin.	—	52.	Bertheau, Vorstadt.
Bleicken, M.	Keitum (Sylt.).	Medicin.	49.	—	Mordhorst, kl. Kuhberg.
Blieffert, F. J. A.	Itzehoe.	Jura.	54.	—	Blunck, Schlossstrasse.
Block, A. C. L.	Pötrau (Lauenburg).	Medicin.	—	53.	Will, Waisenhofstrasse.
Bohstedt, E. J. H.	Oldenburg (Holstein).	Philosophie.	52.	—	Höpfner, Flämischestrasse.
Boie, F.	Meldorf.	Medicin.	—	46. 53.	Mad. Brandis, Faulstrasse.
Boysen, E. E.	Westerhever.	Medicin.	52.	—	Andersen, gr. Kuhberg.
Braasch, C.	Meldorf.	Theologie.	—	53.	Mad. Brandis, Faulstrasse.
Breede, J.	Rantzau.	Jura.	—	51.	Jacobsen, Neuestrasse.
Brieger, A. W.	Apenrade.	Medicin.	—	52.	Baumann, Schlossstrasse.
Brockenhuus, W.	Schleswig.	Medicin.	53.	—	Krabbenhöft, Sophienblatt.
v. Bülow, W.	Bothkamp.	Jura.	52.	—	Marsily, Vorstadt.
Burchardt, J. R.	Kiel.	Jura.	—	51.	Burchardi, Sophienblatt.
Burmester, A.	Stendorf.	Philosophie.	53.	—	Oberg, Kuhfeld.
Carstens, P.	Augustenburg.	Medicin.	53.	—	Lüthge, Sophienblatt.
Christensen, A.	Schleswig.	Philosophie.	52.	—	Christensen, Brunswieck.
Claussen, A.	Heide	Jura.	53.	—	Paustian, Exercierplatz.
Claussen, F. W.	Bordesholm.	Medicin.	53.	—	Thiessen, Vorstadt.
Claussen, J. Th.	Osterhever (Eiderstedt).	Medicin.	52.	—	Nancke, Faulstrasse.
Creutz, F. J. Th.	Fleckebye.	Medicin.	—	49.	West, am Markt.
Delfs, Chr.	Schleswig.	Theologie.	—	53.	Werneburg, Faulstrasse.
Dittmann, Th.	Ploen.	Medicin.	51.	—	Klein, Schlossstrasse.
Dohrn, H.	Meldorf.	Jura.	52.	—	Wwe. Birnstiel, Vorstadt.
Dose, J. A. W.	Marne.	Medicin.	51.	—	Bendtfeldt, Dänischestrasse.
Dührssen, J.	Tellingstedt.	Medicin.	—	53.	Lamp, Faulstrasse.
Fick, E.	Haseldorf.	Theologie.	53.	—	Fick, Hassstrasse.
Fischer, G. H. E.	Neuhaus (Holstein).	Jura.	—	48.	Basedow, Kettenstrasse.
Föhring, H.	Hamburg.	Jura.	54.	—	Dittmer, Schuhmacherstr.
Gerber, O. A. F.	Rendsburg.	Philosophie.	—	48.	Krayenhagen, Langereihe.
Gottburg, W.	Schleswig.	Medicin.	47. 54.	—	Mannshardt, Schlosstrasse.
Gottschalk, E. M. F. L.	Ratzeburg.	Philosophie.	54.	—	Garbe, Kettenstrasse.
v. Graba, H.	Kiel.	Jura.	—	53.	v. Graba, Neuestrasse.
Grantz, A.	Eutin.	Theologie.	—	53.	Wolters, Schlossstrasse.
Groth, G.	Colmar (bei Glückstadt).	Jura.	51.	—	Mordhorst, kl. Kuhberg.
Haase, C. F. H.	Tönning.	Jura.	—	51.	Arp, Schülperbaum.
Hansen, C. J.	Barlt (Dithmarschen).	Theologie.	—	52.	Wichmann, Dänischestr.
Hansen, G. J. F.	Wilster.	Jura.	52.	—	Schlüter, Fleethörn.
Hansen, M. S.	Keitum (Sylt).	Medicin.	54.	—	Neil, am kl. Kiel.
Hansen, R. B.	Mildstedt.	Medicin.	50.	—	Niehuus, kl. Kuhberg.
Hanssen, H. C. W.	Meldorf.	Jura.	51.	—	Wolf, Schuhmacherstrasse.
Harder, H.	Wiemersdorf.	Theologie.	—	48.	Siegmund, Schuhmacherst.
Harries, D.	Haddebye.	Theologie.	54.	—	Klein, Schlossstrasse.
Hartz, J. G. Th.	Drelsdorf (Bredstedt).	Philosophie.	54.	—	Linde, kl. Kuhberg.
Hennings, P. D. Ch.	Meldorf.	Philosophie.	—	52.	Wolters, Schlossstrasse.
Heseler, H. C. E.	Lütgenburg.	Theologie.	51.	—	v. Brockdorff, Faulstrasse.
Hess, F.	Gr. Wesenberg.	Theologie.	47. 53.	—	Vollbehr, Faulstrasse.
Hirschfeld, E. G.	Gr. Nordsee.	Jura.	51.	—	Siegmund, Schuhmacherstr.

Digitized by Google

Name.	Geburtsort.	Studium.	Inscribirt.		Wohnung.
			Ostern	Mich.	
Holm, E. L. E.	Carbye (Schwansen).	Theologie.	50.	—	Petersen, Flämischestrasse.
Holm, H. C.	Glücksburg.	Medicin.	51.	—	Reimers, Holstenstrasse.
v. Holstein, N. Chr. E.	Schleswig.	Jura.	54.	—	Rathjen, Brunswieck.
Horn, J. F.	Glückstadt.	Philosophie.	52.	—	Horn, Küterstrasse.
Ibsen, L.	Kiel.	Medicin.	52.	—	Ibsen, Holstenstrasse.
Jenner, A. L. O.	Ploen.	Medicin.	51.	—	Fick, Hassstrasse.
Jenner, C. E. M.	Ploen.	Theologie.	—	53.	Zweig, Hassstrasse.
Johannsen, J.	Suckstorff.	Jura.	—	53.	Wendelburg, Vorstadt.
Jubl, K.	Neustadt.	Theologie.	—	47.	Bode, Langereihe.
Kahler, C. L.	Brügge.	Medicin.	—	53.	Koch, Nicolaikirchhof.
Kahler, O.	Heiligenhafen.	Theologie.	50.	—	Beckmann, Faulstrasse.
Kästner, E. W.	Burg (Fehmarn).	Medicin.	—	53.	Müller, Vorstadt.
Kardel, W. H.	Neumunster.	Medicin.	50.	—	Hansen, Walkerdamm.
Kauffmann, C. G. H.	Rendsburg.	Medicin.	52.	—	Schwensen, Sophienblatt.
Kedenburg, D. J.	Uetersen.	Theologie.	51.	—	Mordhorst, Langereihe.
Königsmann, H.	Haseldorff.	Jura.	54.	—	Schiff, Schlossstrasse.
v. Krogh, Th.	Glücksburg.	Jura.	53.	—	Jewe, Vorstadt.
Kuntze, G. C. Th.	Ratzeburg.	Jura.	54.	—	Bünsow, Hassstrasse.
Lebrecht, J.	Pflaumloch (Würtemb.).	Jura.	54.	—	Krayenhagen, Langereihe.
Levsen, C. C.	Glückstadt.	Philosophie.	54.	—	Geerdts, Schulperbaum.
Levsen, J. J. C. P.	Bredstedt.	Jura.	54.	—	Geerdts, Schulperbaum.
Lüders, C. Chr.	Glückstadt.	Jura.	53.	—	Lüders, Düsternbroock.
Lund, Th. J.	Hohn (Schleswig).	Theologie.	54.	—	Krayenhagen, Langereihe.
Martens, D. G. L.	Schönhorst (Kiel).	Theologie.	—	53.	Dose, Dänischestrasse.
Martens, J.	Neustadt.	Jura.	54.	—	Beckmann, Faulstrasse.
Martinsen, J. F.	Langenhorn.	Medicin.	50.	—	Nichuus, kl. Kuhberg.
Matthiessen, C. R.	Uetersen.	Medicin.	—	53.	Behrensen, Pfaffenstrasse.
Matthiessen, C.	Burg (Fehmarn).	Philosophie.	53.	—	Müller, Faulstrasse.
Matthiessen, L.	Fissau (Eutin).	Philosophie.	52.	—	Krabbenhöft, Sophienblatt.
Michelsen, J. C. W.	Rethwisch.	Jura.	52.	—	Bode, Langereihe.
Michaelis, M. R. J. H.	Altona.	Medicin.	—	50.	Kayser, kl. Kuhberg.
Mohr, W. J.	Wesselburen.	Jura.	53.	—	Bünsow, Hassstrasse.
Mohrdieck, M.	Horst.	Jura.	54.	—	Kretschmer, Vorstadt.
v. Moltke, W.	Itzehoe.	Jura.	—	52.	Kroll, Sophienblatt.
Müller, E.	Uetersen.	Medicin.	54.	—	Ströh, Dänischestrasse.
Müller, G.	Uetersen.	Medicin.	54.	—	Ströh, Dänischestrasse.
Müller, H.	Lensahn.	Medicin.	54.	—	Dose, Dänischestrasse.
Nissen, C.	Hadersleben.	Medicin.	54.	—	Steffen, Brunswieck.
Nissen, G.	Crempe.	Jura.	53.	—	Krabbenhöft, Sophienblatt.
Nissen, L. O. G.	Schleswig.	Jura.	—	52.	Klein, Vorstadt.
Nolte, J. H.	Kiel.	Jura.	—	49.	Nolte, Prüne.
Petersen, A.	Altona.	Theologie.	—	53.	Linde, kl. Kuhberg.
Petersen, J. P. J.	Klippleff.	Philosophie.	54.	—	Möller, Kettenstrasse.
Pfaff, C. W.	Kiel.	Jura.	—	53.	Göttsch, kl. Kiel.
Philipp, F.	Glückstadt.	Jura.	—	50.	Vollbehr, Dänischestrasse.
Philippsen, J. F. C.	Cappeln.	Medicin.	—	49.	Schlüter, Fleethörn.
v. Prangen, C.	Glückstadt.	Jura.	—	53.	Wichmann, Dänischestr.
Rathlev, A.	Kiel.	Jura.	—	53.	Schiff, Schlossstrasse.
Rathlev, O. Chr.	Cronshagen.	Jura.	—	51.	Pieper, Sophienblatt.
zu Rantzau, C. Graf,	Hohenhain.	Jura.	—	54.	Seeburg.
zu Rantzau, C. E. Graf,	Kopenhagen.	Jura.	—	49.	Seeburg.

Digitized by Google

Name.	Geburtsort.	Studium.	Inscribirt.		Wohnung.
			Ostern	Mich.	
Reiche, H.	Wandsbeck.	Jura.	54.	—	Blunck, Schlossstrasse.
v. Reventlow, W. Graf,	Farve.	Jura.	51.	—	Villa zu Dusternbroock.
Rheder, E.	Preetz.	Jura.	51.	—	Diedrichsen, Sophienblatt.
Richter, C. Th.	Itzehoe.	Theologie.	47. 53.	—	Meyer, Faulstrasse.
Riedell, J. F. C. E.	Hadersleben.	Medicin.	—	51.	Perbst, Küterstrasse.
Risler, W.	Ploen.	Jura.	51.	—	Engel, kl. Kuhberg.
Ritter, A. B. G.	Kiel.	Medicin.	—	50.	Ritter, Vorstadt.
Rolfs, W. F.	Wesseln (Heide)	Jura.	—	51.	Bruhn, Kettenstrasse.
Roll, L. C. A.	Hoyer.	Medicin.	—	51.	Linde, kl. Kuhberg.
Rudolphi, F.	Ratzeburg.	Medicin.	—	53.	Nolte, Prüne.
Ruperti, G. H.	Kirchosten (Hannover).	Jura.	53.	—	Jungjohann, Vorstadt.
v. Scheele, F.	Schleswig.	Jura.	—	53.	Sieck, Faulstrasse.
Schlüter, A. C.	Pinneberg.	Medicin.	—	53.	Leschke, Faulstrasse.
Schneider, A.	Barmstedt.	Medicin.	—	50.	Nell, Vorstadt.
Seeger, C.	Schleswig.	Medicin.	53.	—	Moll, Holstenstrasse.
Seeger, J.	Schleswig.	Medicin.	50.	—	Moll, Holstenstrasse.
Seestern-Pauly, W.	Schwarzenbeck.	Jura.	53.	—	Rinck, Vorstadt.
Seelig, A.	Hadersleben.	Jura.	—	51.	Wichmann, Dänischestr.
Spliedt, A. F. F.	Sieversstedt (Schleswig).	Medicin.	—	53.	Balemann, Holstenstrasse.
Springmann, H.	Leer (Hannover).	Philosophie.	54.	—	Schmidt, gr. Kuhberg 280.
Staacke, H.	Neustadt.	Medicin.	—	53.	Mohr, Schlossstrasse.
Stange, H. H. M.	Kiel.	Philosophie.	54.	—	Stange, Dänischestrasse.
Stender, C. F. W.	Schönberg.	Medicin.	53.	—	Basedow, Kettenstrasse.
Studt, H. H.	Mielsdorf.	Theologie.	—	53.	Niehuus, kl. Kuhberg.
Stuhr, F.	Hadersleben.	Jura.	—	51.	Korte, Katzenthor.
Tadey, C. L.	Friedrichsstadt.	Jura.	54.	—	Arp, Schülperbaum.
Tadey, H. T. J.	Friehrichsstadt.	Theologie.	54.	—	Arp, Schülperbaum.
Tagg, J. H. L.	Wilster.	Medicin.	—	53.	Engel, kl. Kuhberg.
Thor Straten, W.	Tolkschubye (Angeln).	Philosophie.	53.	—	Siegmund, Schuhmacherstr.
Tobies, P. H.	Friedrichsstadt.	Medicin.	51.	—	Reimers, Holstenstrasse.
Voege, A.	Lutterbeck.	Jura.	50.	—	Castagne, Schuhmacherstr.
Voege, H.	Ratjendorff.	Jura.	49.	—	Geerdts, Schulperbaum.
Vogel, F. E. J.	Flensburg.	Theologie.	54.	—	Möller, Kettenstrasse.
Volquardsen, A.	Meldorf.	Jura.	—	51.	Siegmund, Schuhmacherstr.
Volquarts, W.	Eutin.	Medicin.	—	47. 53.	Christern, kl. Kuhberg.
Wallichs, F. B. A.	Garding.	Theologie.	46. 54.	—	F. Becker, Walkerdamm.
Warns, H.	Lütjenburg.	Philosophie.	54.	—	Bode, Langereihe.
Westphal, E. F. C.	Itzehoe.	Jura.	54.	—	Baumann, Schlossstrasse.
Wiechers, C.	Altona.	Jura.	—	53.	Biller, Fischerstrasse.
Wiedemann, H.	Trittau.	Jura.	—	50.	Christern, kl. Kuhberg.
Wiggers, P.	Ploen.	Jura.	53.	—	Lehmann, Brunswieck.
Wittmaack, H.	Neuenkirchen.	Jura.	54.	—	Meyer, Faulstrasse.
Wöhler, O.	Basthorst.	Philosophie.	46. 52.	—	Harder, Brunswieck.
Ziesemer, C. H.	Kiel.	Theologie.	46. 52.	—	Ziesemer, Hassstrasse.

Theologie Studirende	23
Jura	58
Medicin	46
Philosophie	17
Zusammen	144 Studirende.

Digitized by Google

1854. III.

INDEX SCHOLARUM

IN ACADEMIA

CHRISTIANA-ALBERTINA

PER

INSTANS SEMESTRE HIBERNUM

A DIE INDE XVI. MENSIS OCTOBRIS ANNI MDCCCLIV

USQUE

AD DIEM XV. MENSIS MARTII ANNI MDCCCLV

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

INEST FORCHHAMMERI PROF. LIT. ANTIQ. QUAESTIONUM CRITICARUM CAPUT II.
DE SOPHOCLIS AIACIS VV. 2 ET 978.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

Digitized by Google

Portae hujus urbis, quae nomine dicuntur, re potius sunt limina non ad secludendos sed ad invitandos utrimque venientes et natura et arte facta et denique credam habitantium urbanitate. Quemadmodum qui intret, viis excipitur si non latis atque splendidis, mundis tamen nitidisque, ita egressuro nunc ante oculos obversantur arborum coronae in frondem luxuriantes, nunc trans lacum clivus dispersas domus interjectis secernens fruticetis, nunc in portu minutorum navigiorum sedula multitudo, majorum mali velisque contractis antemnae, pyroscapharumque tubuli nigra vomentes typhoia nubila, quae alto in aëre miscere tentant cum vapore Junoniis ulnis candidiori, denique trans mare portumque inter laetas segetes camposque apricos hic sub nemore opaco deversorium hospitale, illic collis abrupti scopulum imitantes arenae.

Nuper quum ob ambulationem postmeridianam limen transgressus eram, hortos illos intravi, quos boni ominis causa propter aëris salubritatem Salustianos nomines. Adspecto sinistra lacu, sive stomalimne, quam ipsius urbis nomine Kiliam appellant minorem, mecum reputavi, quanta sit patribus civitatis gratia habenda, quod lacum illum pulcherrimum, urbisque ornamentum tantum non omnibus vel maximis metropolibus frustra exoptatum, destruere noluerunt. Nam erant, qui aggerem injiciendo pontemque superstruendo paucorum commodis quam universorum saluti atque votis consulere mallent, non metuentes ne lacum transformarent in paludem regionisque amoenitatem nobilissimam in turpem deformitatem. Ut Oenoënses, in aqua administranda parum sapientes, ita Abderitae propter stagna paludesque crassumque inde aërem in malam abierunt — proverbiorum celebritatem. Laetans igitur, calamitatem istam defensam esse a civitate dilectissima, progredior. Ecce mihi obviam factus Nitzschius collega et amicus „audistine? inquit; Lobeckius Kiliae, at statim via ferrea profecturus.“ Ita sibi esse nuntiatum. Missa igitur ambulatione una cum collega secundum portus oram ad viam ferream me contuli, et mox senem venerabilem cum uxore cognovimus.

Digitized by Google

Dum Nitzschius amicum paternum et avitum alloquitur, ego, tanquam si Sophocleis verbis hospes egregius primum, qua in regione versaretur, esset edocendus, haecce mecum recitavi

χῶρον δὲ τόνδ' — ἔχει
σεμνὸς Ποσειδῶν, ἐν δ' ὁ πυρφόρος θεὸς
Τιτὰν Προμηθεὺς, ὃν δ' ἐπιστείβεις τόπον,
χθονὸς καλεῖται τῆσδε χαλκόπους ὁδὸς,
ἕρεισμα Κιλίας.

deinde dolens quod vix visum dimittere debebamus audacius addidi:

κρινοῦμεν ἡμεῖς,
εἰ χρή σε μίμνειν, ἢ πορεύεσθαι πάλιν.

Non erat opus. Nam post salutationes, quum me felicem praedicaram quod praeter exspectationem philologorum et aetate et doctrina principem oculis vidissem et paucis saltem cum eo colloquutus essem, solatus est vir praestantissimus: ne non visis visitatisque collegis — eos enim nominavit humaniter — regionisque amoenitatibus Kiliam relinqueret, discessum in diem posterum esse prolatum. Inde novum gaudium. Constitutum est, in umbroso illo nemore, quem nos Düsternbrook, Servius vero simpliciter lucum appellasset „a non lucendo," diem carpendo degere diem. Litore in excelsiori sub fagorum tegmine sedentibus patularum, ubi in portum atque in mare apertum prospicitur — hinc loco nomen — inter colloquia, quibus utile miscuit dulci, docta jucundis, horae fugerunt gratiores. Postridie ille profectus est; nos mansimus.

Scribenda erat Scholarum indici praefatio. Visum est in hospitis illustrissimi honestissimi memoriam ex iis locis, de quibus in Seminario philologico cum commilitonibus acceptissimis uberius disputatum erat, unum et alterum brevius tractare, Ajacis quidem Sophoclei. Nam recentiores passim a Lobeckianis recesserunt, passim quae ille dubia reliquerat, non ad liquidum perduxerunt. Statim ab initio nobis occurrit locus multum a multis tractatus, a nemine sive praegresso sive secuto rectius quam a Lobeckio. Sunt vv. 1 et 2.

Ἀεὶ μὲν, ὦ παῖ Λαέρτίου, δέδορκά σε
πεῖράν τιν' ἐχθρῶν ἁρπάσαι θηρώμενον.

Dubitant, ut ait Hermannus, interpretes, πεῖραν ἐχθρῶν utrum active an passive poeta dixerit, i. e. utrum, quas hostis struat insidias, observare Ulixes significetur, an ipse tentandi hostis opportunitatem quaerere. Lobeckio minime Ulixes hostibus insidias parare sed quid hostes machinentur praeripere visus est. Hoc enim et personae Ulixis et praesenti ejus negotio convenientius judicavit, illud quia iste τῶν ἀδήλων θηρατὴς (Philostr. Imag. 1, 862) magis cavendis quam instruendis insidiis nobilitatus sit, id quod Odyss. 4, 242 et tota Dolonia testetur, hoc quia nunc ipsum exploratoris,

Digitized by Google

non insidiatoris partes sustineat; ipsius scilicet verbi ἁρπάζειν usum a re venatica ut pleraque in oratione Minervae esse translatum. In Senec. Hippol. 39 canes venatici nare sagaci captant auras; apud Poll. V. 60 οἱ κύνες ἁρπάζουσι τὰ πνεύματα, in Plutarchi Symp. II., 1 ὀσμαὶ dicuntur ἁρπαζόμεναι ταῖς ὀσφρήσεσι. Haec atque alia, quae congessit Lobeckius, videntur potuisse interpretaturo satisfacere. Etenim si ἁρπάζειν ejus est qui tanquam canis venaticus vestigia alius captet, nostro loco πεῖρα non potest esse ejus qui venetur, sed est ejus, quem quis venetur i. e. Ajacis. Ajacis sive hostium conatus (ἐχθρῶν πεῖρα) recens impressa vestigia reliquerat. Ea indagare studet Ulixes. Quae quum ex verborum significatione et rerum connexu recte explicuit Lobeckius, nihilominus Schneidewinus, inter recentiores de Sophoclis tragoediis imprimis meritus, dissentit. Hisce V. D. locum nostrum interpretatus est: „Immer sehe ich dich danach jagen, irgend einen Anschlag gegen Feinde zu erraffen (?), rasch auszuführen.“ In quibus quod ἁρπάσαι dicitur esse „erraffen,“ hoc vero „rasch ausführen,“ non magis nobis placet, quam quod Ulixem illis versibus venatori, in sequentibus vero (vid. annot. ad. v. 7) cani venaticae comparari docemur. Sed de hisce nunc non agimus. Ex Schneidewini vero interpretatione, si recte Lobeckius argumentatus est, Ulixes est venator et indagator insidiarum suarum, i. e. quas ipse struxerit — quod fieri certe nequit.

Quoniam vero, si Lobeckiana spernuntur, ad vocabulum πεῖραν redit quaestio, videndum qua significatione a poetis vel, ne nimium vagemur, a tragicis seu potius ab ipso Sophocle sit usurpatum. Qua in re miror doctissimum Schneidewinum noluisse ea, qua callet sermonis Sophoclei cognitione, uti. Nam qui quae citavimus legerit, non credet profecto, vocabulum πεῖραν hac in ipsa tragoedia praeter nostrum locum ter legi, atque ter significare conatum Ajacis, nullibi vero conatum sive insidias in Ajacem. Duobus vero locis plane eandem rem, idem facinus significat, de quo, quamcunque eligas interpretationem, hoc loco est sermo. Primum Tecmessa v. 283 narrat se dehortatam esse Ajacem, ne non vocatus neque nuntio neque tuba excitatus istam moliretur πεῖραν:

τί χρῆμα δρᾷς,
Αἶαν; τί τήνδ' ἄκλητος, οὐδ' ὑπ' ἀγγέλων
κληθείς, ἀφορμᾷς πεῖραν, οὔτε τὸν κλύων
σάλπιγγος;

Altero loco v. 1036 Menelaus de eodem Ajacis facinore loquens deum dicit illud molimen exstinxisse:

κεἰ μὴ θεῶν τις τήνδε πεῖραν ἔσβεσεν, cet.

Tertio denique loco Ajax ipse ob priorem πεῖραν pudore et indignatione affectus, quaerendam dicit esse aliam πεῖραν, qua patri ostendat se non degenerem illi natum.

Digitized by Google

v. 465 πεῖρά τις ζητητέα
τοιάδ' ἀφ' ἧς γέροντι δηλώσω πατρί, etc.

Hisce reputatis luce videtur clarius apparere, Sophoclem nostro quoque loco πεῖραν retulisse ad adversariorum sive Ajacis conatum. Aeschylus in Sept. 499 simili sensu idem adhibuit vocabulum.

τοιοῦδε Φωτὸς πεῖραν εὖ Φυλακτέον.

Conferatur etiam Thuc. 1, 70 ἦν δ' ἄρα του καὶ πεῖρα σφαλῶσιν, ἀντελπίσαντες ἄλλα ἐπλήρωσαν τὴν χρείαν. Quod vero Sophocles τινα addidit, ad factam aliquam πεῖραν illud spectat, non universe ad futuras quascunque. Facta vero erat illa, cujus vestigia in mactatis gregibus cernebantur; a quo vero facta esset atque quam ob causam ignorabatur.

Ajax mentis compos factus, cognita ignominia, quam ex ovium trucidatione flagellatoque pro Ulixe ariete sibi contraxerat, manum sibi intulit. Ejus rei lugubris, quam vates eventuram indicaverat, rumore per castra Achaeorum disperso (cf. v. 998) accedit Teucer, frater mortui, atque e longinquo lamentis luctuque editis hisce pergit (v. 977, 978)

ὦ φίλτατ' Αἴας, ὦ ξύναιμον ὄμμ' ἐμοί,
ἆρ' ἠμπόληκας, ὥσπερ ἡ Φάτις κρατεῖ;

respondet Chorus

ὄλωλεν ἀνήρ, Τεῦκρε, τοῦτ' ἐπίστασο.

Ad vocem ἠμπόληκας G. Hermannus in edit. II. adnotavit haec: „hic quoque frustra haerent interpretes. Ἠμπόληκας est perfecisti. Nam ἐμπολᾶν significat negotiari, negotium transigere. Vide Hesych. in v. ἐμπολᾷ ejusque interpretes. Simillimum est apud nostros verbum vollenden, quo utimur de eo, qui vitae laboribus et molestiis defunctus est.“ Tertia editione probavit Hermannus Lentingii ad Eurip. Andromach. p. 244 conjecturam legentis ἆρ' ἠμπόληκά σ'. Num te morando prodidi? Ἐμπολᾶν plerumque esse emere, sed etiam venum dare. Laudantur Pollux 3, 124. 7, 9. Hesychius ἠμπόλησεν et Schol. Jen. ἀντὶ τοῦ ἀπημπόληκας, ἤγουν πέπρακας, προδέδωκας. — Cum hisce Hermanni consentit Schneidewinus, cujus haec est annotatio: „ἆρ' ἠμπόληκά σε; habe ich dich (durch meine Entfernung nach Mysien) verrathen und verkauft? Unterwegs war dem Teukros die Kunde von Aias' Tode zugekommen (999): nun macht er sich Vorwürfe, dass er nicht zugegen gewesen, um die That zu verhindern, vgl. 1006 f. (Die Lesart der Bücher ἠμπόληκας, welche Lobeck erklärt πέπραγας, habe ich mit Hermann's Emendation vertauscht, da andere Erklärungen so wenig als jene befriedigen.)“

Qua in re non video cur hi duumviri doctissimi subsistere voluerint in seriorum Grammaticorum verbi interpretatione. Sunt enim sat multi loci scriptorum im-

Digitized by Google

primis poetarum optimae notae, e quibus, quid sit ἐμπολᾶν eluceat. Etenim qui Aeschylum Sophoclem Aristophanem evolverit, facile videbit, verbum illud non significare venum dare, sed emere. Recte igitur Lobeckius hoc certe posuit: Scholion illud, quod hisce loco nostro adscriptum est: ἐκέρδανας· λέγεται δὲ καὶ ἐπὶ Φαύλου τροπικῶς ἀντὶ τοῦ περιπετοίηκας, a vero proxime abesse. Neque tamen dixerim ἠμπόληκας simpliciter explicari posse verbo πέπραγας. Res potius ita se habere videtur.

Ἐμπολᾶν significat emere. Vid. Hom. Od. 15, 456.

οἱ δ' ἐνιαυτὸν ἅπαντα παρ' ἡμῖν αὖθι μίνοντες
ἐν νηῒ γλαφυρῇ βίοτον πολὺν ἐμπολόωντο.

(nostrum einkaufen). Apud tragicos nego ullum locum inveniri, ubi ἐμπολᾶν vel ἐμπόλημα alio sensu ac emendi sit scriptum. In Sophoclis Trachiniis v. 538 ἐμπόλημα τῆς ἐμῆς Φρενός neque est „fructus bonae meae mentis“ neque „merx officii mei erga Herculem praestiti,“ sed eam ob causam Iole a Deianira sic vocatur, acerbissime, quoniam pellex cum reliquis captivis ab Hercule ipso uxori dono missa erat, scilicet ut videretur quasi pretium amoris, quo redimeret Deianirae animum, quae revera erat „damnosum onus“ quod contra jus fasque in domum uxor recipere debebat. Mentem alterius omnino non esse emendam, nedum emptoris commodo, alterius contumelia et noxa, iisdem fere verbis innuit Sophocles in Antig. 1064

ὡς μὴ 'μπολήσων ἴσθι τὴν ἐμὴν Φρένα.

Reliquos locos Sophocleos habent Schneideri et Ellendtii Lexica Soph. De Aeschyli loco mox videbimus. Ulixes in Eurip. Cycl. 255 victus emtionem βορᾶς ἐμπολήν vocat, cui in sequentibus opponitur ἀπεμπολᾶν, cum quo compares ἐξεμπολᾶν apud Herod. 1, 1.

Trapezitae atque negotiatores, denique avari emunt argentum, aurum, electrum. Inde factum, ut vel κέρδος ἐμπολᾶν legatur. Cf. Soph. Trach. 93. Ant. 1037. Atque quum, quicunque lucri faciendi causa aliquid vendat, idem lucrum emat, interdum videtur verbum ἐμπολᾶν fere idem significare ac negotiari, sive quod nos dicimus, „einen Handel, ein Geschäft machen, etwas erwerben.“ Inde illud Grammaticorum κερδαίνειν. Quemadmodum apud Homerum l. l., ita etiam postero tempore imprimis de earum rerum emptione usurpabatur, quae ad victum pertinerent. Maxime vero solemne videtur in militia fuisse Atheniensium. Etenim indicta expeditione bellica duces jubebant ut miles quisque in triduum cibaria secum afferret. Aristoph. Pac. 367 et Schol. — Vesp. 243. Acharn. 197. — Ea cibaria qui sibi emeret, σιτία τριῶν ἡμερῶν παρασκευάζεσθαι s. ἐμπολᾶν dicebatur. Quum vero qui ea emisset, quasi ad ultimum iter praeparatus mortique devotus esset, abiit verbum illud in proverbii usum. Per metalepsin subsequentis pro antecedenti ἐμπολᾶν omnia, quae quis bello gesserit, denique ipsum interitum vel reditum in patriam potuit comprehendere. Ex hisce facile intelliguntur quae Aristophanes habet in Pace v. 366 sqq.

Digitized by Google

ΕΡΜΗΣ

ἀπόλωλας, ἐξόλωλας

ΤΡΥΓΑΙΟΣ

ἐς τίν' ἡμέραν;

ΕΡΜΗΣ

ἐς αὐτίκα μαλ'.

ΤΡΥΓΑΙΟΣ

ἀλλ' οὐδὲν ἡμπόληκά πω,

οὔτ' ἄλφιτ', οὔτε τυρὸν, ὡς ἀπολούμενος.

Trygaeus, belli inimicus et osor, irridet deum mortem minantem: quemadmodum qui cibaria providerit moriturus sit, ita morituro primum cibaria esse emenda, polentam scilicet et caseum, quae joci augendi causa addit. Per se vero illa metaphora ridiculi quid non continuit. Agamemnonem in Aesch. Eumen. 601.

ἀπὸ στρατείας γάρ μιν ἡμπολκότα

τὰ πλεῖστ' ἄμεινον —

eum vocat tragicus poeta, qui plurima bello Troiano optime egerit. (Unde Hippocrateum quoque illud κάλλιον ἐμπολήσει ὁ ἄνθρωπος, a Lobeckio citatum, facilem habet interpretationem; quibus addas Aristoph. Pac. 448 ἐμπολᾷ βέλτιον (damit er mehr erwerbe), et Xenoph. Anab. 7, 5, 4. οὐ πλεῖον ἐμπολήσαι i. e. se ex praeda non plus percepisse.)

Locus Aristophaneus, quem transcripsi, unicus est, quo verbi eadem forma legitur ac nostro loco Sophocleo, ἡμπόληκα. Aristophanis aeque ac Aeschyli verba ad res militares pertinent. Etiam in tragoedia Sophoclea omnia in castris versantur. Non igitur mirandum, Teucrum quoque dictione uti castrensi. De morte fratris fortissimi e fama, quae castra Achaeorum pervaserat, jam certus factus atque lugubri lamentatione adcurrens, ἆρ' ἡμπόληκας inquit ὥσπερ ἡ Φάτις κρατεῖ; i. e. revera cibaria parasti i. e. revera iter postremum ingressus es ut fama fert? (Nostrates interdum hisce utuntur: er hat die Reise angetreten, er hat sein Bündel geschnürt, simil.) Quaerenti Teucro jam non per translationem, sed proprio verbo respondet Chorus: ὄλωλεν ἀνήρ. Denique iterum conferas locum Pacis, quo mutatis mutandis sibi respondent ἀπόλλυσθαι et ἐμπολᾶν. — De reliquis locis Aristophaneis, quibus hujus verbi derivata leguntur, imprimis de Thesmoph. 452, quo loco caveas, ne ἐμπολᾶν credas esse vendere, quum sit quod nos dicimus „einnehmen," fortasse alio tempore videbimus. — Unus e Scholiastis Sophoclis videtur cogitasse de verbo ἀναπολεῖν s. ἀμπολεῖν.

Digitized by Google

SCHOLAE PROFESSORUM ORDINARIORUM.

EX ORDINE THEOLOGICO.

Dr. *C. Lüdemann*, h. t. Rector, 1) *publice* seminarii homiletici studiis et exercitationibus praeerit singulis diebus Jovis, horis X. et XI.; 2) *privatim*: a) seminarii catechetici studia et exercitationes moderabitur singulis diebus Mercurii, horis X. et XI., b) Theologiae practicae partem priorem, quae praeter hujus disciplinae principia artem catecheticam et liturgicam complectitur, explicabit quaternis p. h. diebus, h. IV. — Vocis cantus liturgici legibus conformandae cura viro hujus artis peritissimo demandata est.

Dr. *N. Thomsen publice* diebus Mercurii et Saturni h. XI—XII. eam dogmatum Christianorum constitutionem, quam in epistolis Paulinis habemus, exponet; *privatim* quater per hebdomadem h. XI—XII. historiam dogmatum in ecclesiis evangelicis receptorum vigentiumque enarrabit, quinquies autem per hebdomadem h. III—IV. historiam ecclesiae Christianae universalem per partem ejus priorem tradet; *privatissime* denique, sed *gratis* exercitationes historico-theologicas moderabitur, diebus Saturni hh. VI—VIII.

Dr. *Carolus Wieseler privatim* 1) epistolam Pauli ad Romanos quater diebus Lunae, Martis, Veneris et Saturni h. X—XI. interpretabitur; 2) isagogen in libros Novi Testamenti historico-criticam quater diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hor. XII—I. docebit; *privatissime* sed *gratis* exercitationes biblico-theologicas singulis diebus Martis hora vespert. VIII—X. moderari perget.

Dr. *G. Fricke*, h. t. Dec., Dogmaticam Christianam docebit septies (quinis diebus *privatim*, binis dd. *publice*, senis diebus h. V. pomerid., singulis dd. Lunae h. VI.); *privatim* locos Veteris Testamenti Messianos ratione habita N. T. explicabit ternis dd. h. VI. (dd. Martis, Jovis et Veneris), *gratis*, sed *privatissime* exercitationes dogmatico-exegeticas Testamenti et N. et V. moderabitur singulis dd. Mercurii h. VI—VIII.

Digitized by Google

EX ORDINE IURIDICO.

Dr. *J. W. Planck*, h. t. Decanus, *privatim* 1) judiciorum privatorum ordinem sexies per hebd. hora XI. et die Mercurii hora XII.; 2) judiciorum publicorum ordinem diebus Lunae et Veneris hora XII. tradet.

Dr. *A. C. J. Schmid* jus criminale et processum criminalem ducatus Slesvici diebus Lunae, Martis et Mercurii hora X—XI., bis *privatim* semel *publice*, tradet. Processum civilem ducatus Slesvici diebus Jovis, Veneris et Saturni, hora X—XI., bis *privatim*, semel *publice*, docebit.

Dr. *Guilielmus Girtanner* 1) *privatim* exponet Jus Pandectarum duce Puchta (*Pandekten*, *Leipzig* 1853, 7. *Aufl.*) simul adhibiturus librum suum: *Rechtsfälle zu Puchta's Pandekten*, 2. *Aufl.*, *Jena* 1854; quotidie horis X et XI. additis quaestionibus et interpretationibus hora postae definienda; 2) *publice* docebit praecepta selectarum juris civilis doctrinarum diebus Mercurii et Jovis hora XII.; 3) *privatim* exercitationes de jure Pandectarum (*Civil-Practicum*) diebus Martis et Veneris instituet hor. XII.

Dr. *Guilielmus Eduardus Wilda*, *publice*: legem Saxonum (ex edit. J. Merkel. Berol. 1850) interpretabitur binis p. h. horis; *privatim*: jus privatum Germanicum commune, et particulare Holsatiae tradet denis p. h. horis adhuc definiendis.

Dr. *C. Neuner*, *privatim*: quaternis p. h. jus hereditarium Romanum, octonis Institutiones et historiam juris Romani tradet.

EX ORDINE MEDICORUM.

Dr. *G. H. Ritter publice* Encyclopaediam scientiae medicae tradet; *privatim*: Pathologiam generalem docebit.

Dr. *W. F. G. Behn publice* anatomiam comparatam tradere perget; *privatim* anatomiam corporis humani sexies p. h. h. II. docebit. *Privatissime* exercitationes anatomicas practicas omnibus diebus non festis h. IX—I. moderabitur.

Dr. *C. C. Th. Litzmann*, h. t. Dec., *privatim* 1) theoriae artis obstetriciae partem primam tradet diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. III. 2) Clinicen obstetriciam moderabitur diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Saturni h. IX.

Dr. *Aemil. Goetz* 1) de pathologiae et therapiae specialis parte I. disseret, sexies per hebdom. hor. IX—X. 2) Clinicen medicam diriget, quotidie hor. X—XII.

EX ORDINE PHILOSOPHORUM.

Dr. *H. Ratjen publice* diebus Lunae et Jovis hora pomeridiana III—IV. historiam literariam juris civilis adumbrabit. Bibliothecam publicam aperiet diebus horisque consuetis.

Digitized by Google

Dr. *P. W. Forchhammer privatim* 1) Aeschyli Septem c. Th. interpretabitur quaternis diebus Lun., Mart., Jov. et Ven. h. XII—I., 2) exercitationes archaeologicas instituet singulis diebus Mercurii hh. II—IV. *Publico* officio seminarii philologici exercitationes moderaturus 1) interpretationi Thucydidis dd. Merc. hh. XII—I., 2) interpretationi Horatii carminum dd. Saturni hh. XII—I.

Dr. *C. Himly* 1) chemiam theoreticam docebit et experimentis illustrabit hora X—XI.; 2) Exercitationes chemicas et analyticas et pharmaceuticas in laboratorio academico sueto more horis XI—II. instituet.

Dr. *G. Karsten*, h. t. Decanus, *privatim* 1) physicen experimentalem senis diebus h. V—VI. leget; 2) exercitationes physices practicas sueto more instituet; *publice* 3) crystallographiam die Merc. h. III—V.; 4) geographiam physicam die Sat. h. III—IV. tradet; *privatissime* sed *gratis* colloquia physica moderabitur.

Dr. *H. M. Chalybaeus* Logicam et Metaphysicam (duce libro suo: *Wissenschaftslehre, Kiel, Schwers) privatim* quat. diebus h. IX—X. docebit; historiam philosophiae antiquae quat. dieb. h. pomerid. IV—V. *privatim* tradet; *publice* disputationes philosophicas moderabitur.

Dr. *Georgius Curtius*, 1) praemissis de comparativa grammaticae graecae et latinae ratione prolegomenis grammaticam graecam docebit quinis lectionibus quarum quaternae *privatim* habebuntur, quinta pro *publica* erit, d. Lunae, Martis, Mercurii et Jovis h. X. 2) Sophoclis Antigonam *privatim* interpretabitur d. Lunae, Mercurii et Veneris h. XI. 3) Seminarii philologici sodalibus Homeri Iliadem interpretandam proponet reliquisque exercitationibus praeerit d. Martis h. XI—XII. et Jovis h. XI—XII.

Dr. *Guilielmus Seelig*, doctrinam de reditibus publicis *(National-Oeconomie)* explicabit diebus et horis adhuc definiendis.

PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

IURIS.

Dr. *C. Christiansen privatim* senis p. h. h. X—XI. jus criminale, quaternis p. h. h. (XI—XII.) jus ecclesiasticum tradet.

MEDICINAE.

Dr. *F. H. Hegewisch* artem medicam docebit *privatissime.*

Digitized by Google

Dr. *F. Weber privatim* 1) collegium casuisticum medicum et patholog. anatom. ter per hebdom. habebit; 2) anatomiam pathologicam organ. abdom. ter per hebdom. docebit (*gratis* auditorib. semestr. praeterl.) *publice* ubi et quando id fieri poterit, sectiones, et inde exercitationes pathol.-histolog. instituet.

Dr. *P. L. Panum publice* chemiam in physiologia applicatam bis p. h. hora II—III., *privatim* physiologiam vitae aegrotae quinquies p. h. hora XII—I. docebit; *privatissime* exercitationes chemicas medicorum et exercitationes histologicas in laboratorio physiologico quinquies p. h. hora IX—XII. moderabitur.

Dr. *G. P. E. Kirchner publice:* exercitationes formulas medicas concinnandi die Saturni h. XII—I. instituendas curabit; *privatim* 1) pharmacologiae partem specialem quater h. m. XI—XII. aut alia hora audituris commoda, bis autem die Martis et Veneris h. m. X—XII. docebit; 2) chemiam pharmaceuticam, praemissis chemiae generalis principiis, sexies h. p. III—IV. tradet.

PHILOSOPHIAE.

Dr. *E. F. Nolte publice* Terminologiam botanicam tradet die Saturni hor. IX.; *privatim* quaternis hebd. diebus h. IX. botanicen medicam s. cognitionem plantarum officinalium exponet; singulis diebus Merc. et Saturn. hora pomerid. II. de plantis cryptogamicis disseret.

Dr. *Karolus Müllenhoff privatim* 1) Taciti Germaniam diebus Lunae et Martis hora III—IV.; 2) Historiam poesis theodiscae usque ad seculum XIV. diebus Jovis et Veneris hora III—IV. enarrabit; *publice* exercitationes theodiscas diebus Mercurii et Saturni hora III—IV. moderari perget.

Dr. *Gustavus F. Thaulow privatim* philosophiam Historiae docebit dieb. Lun., Mart., Jov., Ven. hora III—IV., paedagogiam gymnasialem *(Gymnasialpädagogik)* dieb. Merc. et Saturni hora III—IV. *Publico* denique officio exercitationes paedagogicas practicas moderari perget.

Dr. *K. W. Nitzsch privatim* 1) historiam antiquam quinquies per hebd. enarrabit hora X—XI.; 2) historiam aevi Staufici bis per hebd. hora IV—V. *Publice* exercitationes historicas semel per hebd. moderari perget.

Dr. *Fridericus Harms* tradet *privatim* anthropologiam binis p. h. diebus hora XII.; physicam philosophicam bis p. h. hora XII.; *publice* disseret de philosophia inde a Kantio bis p. h. hora IV.

Chr. K. F. Molbech 1) *publice*, historiam poëseos Danicae ab ineunte seculo XVIII. binis horis pom. enarrabit; *privatissime* sed *gratis:* 2) grammaticam danicam, 3) linguam Islandicam docebit; 4) exercitationes danicas ternis horis pom. solito more moderabitur.

Digitized by Google

Dr. *G. D. E. Weyer publice* astronomiam physicam sive mechanicam tradet diebus Lun. et Merc. h. VI—VII.; *privatim* 1) trigonometriam atque stereometriam dieb. Lun., Merc. et Sat. h. X—XI. leget; 2) calculum differentialem et integralem docebit diebus Martis, Jovis et Veneris h. VI—VII.

Dr. *A. Dillmann* senis p. h. diebus introductionem in libros V. T. canonicos et apokryphos, quaternis interpretationem libri *Jobi* offert, ternis linguam Arabicam, binis Syriacam docebit.

DOCTORUM PRIVATORUM.

IURIS.

Dr. *Ernestus Friedlieb privatim* jus criminale docebit quinis diebus h. pom. IV.; quaternis lectionibus h. pomerid. V. jus ecclesiasticum tradet.

Dr. *Theod. Schütze privatim* 1) Jus commercii s. mercaturae sens. lat. *(Handels-, See- und Wechselrecht)* et commune et patrium, ter per hebd., dieb. Lun. Merc. et Ven., h. X. docebit; 2) Jus ecclesiasticum tam commune quam patriae nostrae adumbrabit bis per hebd., diebus Martis et Jovis, h. X.; 3) *publice*: Practicas in jure civili exercitationes semel per hebd., die Saturni h. X. aut alia hora commoda, moderabitur.

MEDICINAE.

Dr. *W. H. Valentiner* de morbis auris humanae bis per hebd. disseret.

Dr. *Th. Valentiner privatim* dieb. Lun., Mart. et Ven. h. VI—VII. tradet therapiam generalem et dieb. Merc. et Jov. h. VI—VII. de morbis infantum disseret.

Dr. *P. Jessen publice* pathologiam et therapiam morborum psychicorum dieb. Lunae et Jovis hora X—XI. docebit.

Dr. *Herm. Schwartz privatim:* de uteri morbis disseret, ter per hebdomad., *privatissime* 1) de rebus obstetriciis colloquia moderabitur; 2) operationes obstetricias in phantasmate exercendas explicabit.

Dr. *P. W. Jessen publice* psychiatriam forensem semel p. h. die Mercurii h. X—XI. docebit.

Dr. *F. Esmarch privatim* chirurgiam docebit quotidie horis pomeridianis III—IV.; *privatissime* cursum operationum ophthalmiatricarum instituendum offert.

Dr. *Carolus Bartels privatim* theoriam percussionis et auscultationis bis per hebd. docebit. *Privatissime* exerciationes percussionis et auscultationis practicas instituet.

Digitized by Google

Dr. *M. Claudius*, *publice* historiam evolutionis hominis et animalium vertebratorum, bis p. h. horis postmeridianis posthac definiendis, tractabit, semel p. h. de organo auditus disseret; *privatissime* repetitoria de anatomia h. commilitonibus offert.

PHILOSOPHIAE.

Dr. *Ludov. Meyn privatim* geographiam Germaniae quater per hebdomadem docebit hora IX — X.; *publice* Humboldtii Kosmon interpretari perget die Mercurii hora IV—V.; *privatissime* exercitationes mineralogicas et crystallographicas moderabitur.

Dr. *G. H. Handelmann privatim* quaternis per hebdomadem horis Europae historiam recentiorem, 1740 — 1815, *publice* coloniarum in America constitutarum ab Anglia, Gallia, Lusitania, Hispania defectionem, 1763—1826, bis per hebdomadem enarrabit.

LECTORES LINGUARUM ET ARTIUM MAGISTRI.

S. Lubbren, lector linguae anglicae, *publice* bis per hebd. exercitationes practicas anglice scribendi et legendi instituet. *Privatissime* scholas anglicas quotidie offert.

Schwob-Dollé, linguae gallicae lector, *publice* literaturam franco-gallicam saeculi XVII. docebit; *privatim* exercitationes franco-gallicas instituet.

P. Guil. de Balle, publicus equitandi magister, artem equos subigendi docebit, et scholas habebit de externa forma equorum recte judicanda.

Th. Rehbenitz, artis delineandi magister publicus, eorum, qui opera ejus uti velint, in delineandi et pingendi arte exercitationes moderabitur.

Armorum tractationem, saltationem, reliquam gymnasticam discere cupientibus non deerunt magistri harum artium peritissimi ad easque docendas publico stipendio conducti.

(L. S.)

Digitized by Google

Tabellarische Uebersicht der Vorlesungen,

nach den Stunden geordnet.

Winterhalbjahr 1854—55.

Stund.	Montag.	Dienstag.	Mittwoch.	Donnerstag.	Freitag.	Sonnabend.
8—9	Astron. stud. Urb. (8—9) Astron. stud. Urb. (8—9) Astron. stud. Urb. (8—9) Astron. stud. Urb. (8—9) Astron. stud. Urb. (8—9) Astron. stud. Urb. (8—9) Mechanik, Chemie (8—12) Physik, Chemie (8—12) Mechanik, Chemie (8—12) Physik, Chemie (8—12) Mechanik, Chemie (8—12) Physik, Chemie (8—12) Naturgeschichte, Mineralogie, Geologie, Geognosie, Botanik.					
9—10	Analysis, Lang. d. Mittelalters, Mineralogie, Geognosie, Botanik.	Physik, Chemie (9—12) Naturgeschichte, Mineralogie, Geologie, Geognosie, Botanik.	Physik, Chemie (9—12) Naturgeschichte, Mineralogie, Geologie, Geognosie, Botanik.	Analysis, Lang. d. Mittelalters, Mineralogie, Geognosie, Botanik.	Physik, Chemie (9—12) Naturgeschichte, Mineralogie, Geologie, Geognosie, Botanik.	Analysis, Terminologie.
10—11	Wunder, Kunstwerke, Sprache, Sittl. Gefühl, Gesch. d. Mittelalters, Geschichte, Kirchenrecht, Wechselrecht, Arzneim., Psychiatrie.	Lateinisch, Latein. Stil, Gesch. d. Mittelalters, Geschichte, Kirchenrecht, Arzneim., Psychiatrie.	Wunder, Kunstwerke, Sprache, Sittl. Gefühl, Gesch. d. Mittelalters, Geschichte, Kirchenrecht, Wechselrecht, Arzneim., Psychiatrie.	Lateinisch, Latein. Stil, Gesch. d. Mittelalters, Geschichte, Kirchenrecht, Arzneim., Psychiatrie.	Wunder, Kunstwerke, Sprache, Sittl. Gefühl, Gesch. d. Mittelalters, Geschichte, Kirchenrecht, Wechselrecht, Arzneim., Psychiatrie.	Wunder, Kunstwerke, Sprache, Sittl. Gefühl, Gesch. d. Mittelalters, Geschichte, Kirchenrecht, Wechselrecht, Arzneim., Psychiatrie.
10—11	Encyclopädie, Gesch. d. Philosophie, Logik, Metaphysik, Psychologie, Ethik

2—3	*Behn*, Anatomie. *Panum*, physiol. Chemie.	*Behn*, Anatomie.	*Behn*, Anatomie. *Forchhammer*, arch. Ueb. *Nolte*, Cryptogamen.	*Behn*, Anatomie. *Panum*, physiol. Chemie.	*Behn*, Anatomie.	*Behn*, Anatomie. *Nolte*, Cryptogamen.
3—4	*Thomsen*, Kirchengesch. 1. Thl. *Litzmann*, Theorie der Geburtshülfe. *Ratjen*, jur. Literärgesch. *Kirchner*, pharm. Chemie. *Müllenhoff*, TacitusGerm. *Thaulow*, Philos. d. Gesch. *Esmarch*, Chirurgie.	*Thomsen*, Kirchengesch. 1. Thl. *Litzmann*, Theorie der Geburtshülfe. *Kirchner*, pharm. Chemie. *Müllenhoff*, TacitusGerm. *Thaulow*, Philos. d. Gesch. *Esmarch*, Chirurgie.	*Thomsen*, Kirchengesch. 1. Thl. *Forchhammer*, arch. Ueb. *Karsten*, Crystallographie. *Kirchner*, pharmac. Chem. *Müllenhoff*, DeutscheUeb. *Thaulow*, Gymnasialpäd. *Esmarch*, Chirurgie.	*Thomsen*, Kirchengesch. 1. Thl. *Litzmann*, Theorie der Geburtshülfe. *Ratjen*, jur. Literärgesch. *Kirchner*, pharm. Chemie. *Müllenhoff*, Gesch. der Deutschen Poesie bis zum 14. Jahrh. *Thaulow*, Philos. d. Gesch. *Esmarch*, Chirurgie.	*Thomsen*, Kirchengesch. 1. Thl. *Litzmann*, Theorie der Geburtshülfe. *Kirchner*, pharm. Chemie. *Müllenhoff*, Gesch. der Deutschen Poesie bis zum 14. Jahrh. *Thaulow*, Philos. d. Gesch. *Esmarch*, Chirurgie.	*Karsten*, phys. Geogr. *Kirchner*, pharm. Chemie. *Müllenhoff*, DeutscheUeb. *Thaulow*, Gymnasialpäd. *Esmarch*, Chirurgie.
4—5	*Lüdemann*, prakt. Theol. *Chalybäus*, Gesch. d. Phil. *Friedlieb*, Criminalrecht *Weber*, pathol. Anatomie.	*Lüdemann*, prakt. Theol. *Chalybäus*, Gesch. d. Phil. *Friedlieb*, Criminalrecht. *Weber*, med. Casuistik.	*Nitzsch*, Gesch. d. Hohenstaufen. *Harms*, Philos. seit Kant. *Friedlieb*, Criminalrecht. *Meyn*, Humboldt's Kosmos. *Weber*, pathol. Anatomie.	*Lüdemann*, prakt. Theol. *Chalybäus*, Gesch. d. Phil. *Friedlieb*, Criminalrecht. *Weber*, med. Casuistik.	*Lüdemann*, prakt. Theol. *Chalybäus*, Gesch. d. Phil. *Friedlieb*, Criminalrecht. *Weber*, pathol. Anatomie.	*Nitzsch*, Gesch. d. Hohenstaufen. *Harms*, Philos. seit Kant. *Weber*, med. Casuistik.
5—6	*Fricke*, Dogmatik. *Karsten*, Experimentalph. *Friedlieb*, Kirchenrecht.	*Fricke*, Dogmatik. *Karsten*, Experimentalph. *Friedlieb*, Kirchenrecht.	*Fricke*, Dogmatik. *Karsten*, Experimentalph.	*Fricke*, Dogmatik. *Karsten*, Experimentalph. *Friedlieb*, Kirchenrecht.	*Fricke*, Dogmatik. *Karsten*, Experimentalph. *Friedlieb*, Kirchenrecht.	*Fricke*, Dogmatik. *Karsten*, Experimentalph.
6—7	*Fricke*, Dogmatik. *Weyer*, phys. Astronomie. *Th. Valentiner*, allg. Ther.	*Fricke*, Messian. Weissag. *Weyer*, Differentialrechn. *Th. Valentiner*, allg. Ther.	*Fricke*, dogm.-exeg. Ueb. (6—8). *Weyer*, phys. Astronomie. *Th. Valentiner*, Kinderkrankheiten.	*Fricke*, Messian. Weissag. *Weyer*, Differentialrechn. *Th. Valentiner*, Kinderkrankheiten.	*Fricke*, Messian. Weissag. *Weyer*, Differentialrechn. *Th. Valentiner*, allg. Ther.	*Thomsen*, histor.-theol. Uebungen (6—8).
8—10		*Wieseler*, bibl.-theol. Ueb.			*Thaulow*, pädag. Seminar.	

In später zu bestimmenden Stunden:

Wilda, Sachsenspiegel; *Ders.*, Deutsches Privat- und Holst. Particular-Recht. *Neuner*, Röm Erbrecht; *Ders.*, Institutionen und Rechtsgeschichte. *Ritter*, med. Encyclop.; *Ders.*, allg. Pathologie. *Karsten*, physik. Colloquia. *Seelig*, National-Oeconomie. *Hegewisch*, Heilkunde. *Weber*, casuist. Med.; *Ders.*, pathol. Anat.; *Ders.*, pathol. histol. Uebungen. *Thaulow*, paedagog. Uebungen. *Nitzsch*, histor. Uebungen. *Molbech*, Geschichte d. Dän. Poesie; *Ders.*, Dänische Gram.; *Ders.*, Isländ. Sprache; *Ders.*, Dän. Uebungen. *Dillmann*, Einleit. in d. canon. u. apokr. Bücher des A. T.; *Ders.*, Hiob. *W. Valentiner*, Ohrenkrankh. *Schwartz*, Krankh. des Uterus; *Ders.*, geburtshülfl. Colloquia; *Ders.*, geburtshülfl. Operationen. *Esmarch*, ophthalm. Operat. *Bartels*, Theor. d. Percuss. u. Auscult., nebst pract. Uebungen. *Claudius*, Evolutions-Gesch.; *Ders.*, anat. Repetit. *Meyn*, miner. u. chryst. Uebungen. *Handelmann*, neuere Gesch. Europ.; *Ders.*, Abfall der Americ. Colonien. *Lubbren*, Engl. Sprachübungen. *Schwob-Dollé*, Franz. Literatur des 17. Jahrh.; *Ders.*, Franz. Uebungen. *v. Balle*, Reitübungen. *Rehbenitz*, Zeichnen- und Malübungen.

Digitized by Google

1854. IV.

Verzeichniss

der

Behörden, Commissionen, Beamten, Institute, Lehrer und Studirenden

der Universität Kiel.

Wintersemester 1854—55.

KIEL.

Gedruckt bei C. F. Mohr.

Digitized

I. Behörden.

Curator.

— — — — — —

Rector.

Prof. Dr. *C. Lüdemann.*

Consistorium academicum plenum.

(Reglement für das academische Consistorium vom 31. Juli 1801.)

Mitglieder: Sämmtliche ordentliche Professoren.
Protocollführer: Der Syndicus.

Consistorium arctius.

(Anordnung wegen Einrichtung eines Privat- oder engern Consistorii bei der Universität Kiel vom 19. December 1781. Zur Declaration etc. vom 13. April 1792.)

Kirchenrath Prof. Dr. *Lüdemann* als Rector.
Prof. Dr. *Fricke*
Prof. Dr. *Planck*
Prof. Dr. *Litzmann*
Prof. Dr. *Karsten*
} als Decane.
Prof. Dr. *Schmid* als juristischer Assessor.
Protocollführer: Der Syndicus.

Universitätsgericht.

Nach Verschiedenheit der Gegenstände der Rector oder das Consist. arct. oder das Consist. plenum.

Syndicus der Universität.

(Instruction für den Syndicus vom 29. August 1788.)

E. F. Christensen.

Digitized by Google

II. Academische Neben-Aemter und Commissionen.

1. Examinations-Collegium für das Convict-Examen.

(Kanzleipatent über die angeordneten Prüfungen etc. vom 3. Februar 1798.)

Sämmtliche ordentliche Professoren der philosophischen Facultät.

Das Convict steht unter Aufsicht des Consist. academ.

2. Commission für das Stipendium Schassianum.

(Rescript vom 13. November 1804 und Bekanntmachung vom 1. December 1804.)

Prof. Dr. *P. W. Forchhammer*; const.

Prof. Dr. *C. N. T. H. Thomsen*; const.

Etatsrath Prof. Dr. *H. Ratjen*; const.

Die Stipendien werden vom Consist. academ. vergeben.

3. Commission für das Stipendium philologicum.

(Regulativ, betreffend die künftige Verwendung des Königl. philol. Stipend. vom 10. April 1810.)

Prof. Dr. *G. Curtius.*

Prof. Dr. *K. W. Nitzsch*; const.

Prof. Dr. *G. Karsten*; const. für das zweite und dritte Examen.

4. Commission für das Schulamts-Examen.

(Regulativ vom 10. April 1810, § 11, und Rescript vom 8. Juli 1820; Bekanntmachung vom 6. Februar 1844.)

Die Mitglieder der vorigen Commission, und ein jedesmal vom Consist. zu deputirender Professor der Theologie und ein oder zwei Professoren der Philosophie.

5. Richardi'sches Stipendium.

(Bestätigung des Stiftungsbriefes vom 6. Januar 1786.)

Wird vom Consist. academ. conferirt.

6. Herzoglich Oldenburgisches Stipendium.

(Rescripte vom 12. November 1814 und 9. Januar 1816.)

1. Προιτίδες. Τυδεύς. πανσέληνος. Μελάνιππος.	2. Προιτίδες. Ἀμφιάραος. ἄσημα ὅπλα.	2. Προιτίδες. Τυδεύς. Μελάνιππος.	3. Προιτίδες. Ἀμφιάραος. cf. III, 6, 8, 6.	4. Proetides. Hypseus.	6. Ζηνός (?). cf. Schol. Lycoph. 1204.	Astycratia.
2. Ἠλέκτραι. Καπανεύς. ἄνδρα πυρφόρον. Πολυφόντης.	6. Ἠλέκτραι. Καπανεύς. γίγας γηγενής.	1. Ἠλέκτραι. Καπανεύς.	6. Ἠλέκτραι. Παρθενοπαῖος.	5. Electrae. Dryas.	4. Ἠλέκτραι.	Cleodoxa.
3. Νῆϊται. Ἐτεοκλος. ἀνὴρ ὁπλίτης κλίμακα. Μεγαρεύς.	1. Νῆϊται. Παρθενοπαῖος. Ἀταλάντη.	3. Νῆϊται. Πωλυνείκης. (Ἐτεοκλῆς.)	4. Νῆϊται. Ἱππομέδων.	2. Neïtae. Eteocles.	2. Ἑρμάωνος(?).	Astynome.
4. Ὄγκας. Ἱππομέδων. Τυφῶν' πυρπνόον. Ὑπέρβιος.	5. Κρηναῖαι. Πολυνείκης. Ποτνιάδες πῶλοι Ἐτεοκλῆς.	4. Κρηναῖαι. (Ἱππομέδων.)	7. Κρηνίδες. Τυδεύς (?).	7. Culmina Dircaea. Menoeceus. Haemon. X, 651.	1. Ὀγκαίη. (ἐς ἑσπέριον κλίμα πήξας.)	Chias.
5. Βόρραιαι. Παρθενοπαῖος. Σφιγξ. Ἄκτωρ.	3. Ὠγύγιαι. Ἱππομέδων. πανόπτης.	7. Ὠγύγιαι. (Παρθενοπαῖος.)	2. Ὠγύγιαι. Καπανεύς.	1. Ogygiae. Creon. Echion X, 494.	7. Κρόνου.	Ogygia.
6. Ὁμολωΐδες. Ἀμφιάραος. σῆμα δ' οὐκ ἐτῆν. Λασθένης.	4. Ὁμολωΐδες. Τυδεύς. λέοντος δέρος. Τιτὰν Προμηθεύς.	6. Ὁμολωΐδες. Ἀμφιάραος (?). cf. Paus. 9, 8, 3.	1. Ὁμολωΐδες. Ἄδραστος.	3. Homoloïdes Haemon.	3. Ἀφροδίτης.	Chloris.
7. Ἑβδομαι. Πολυνείκης. Δίκη. Ἐτεοκλῆς.	7. Ἑβδομαι. Ἄδραστος. ἑκατὸν ἐχίδναι ὕδρα.	5. Ὕψισται. (Ἄδραστος.) (Διὸς ὑψίστου ἱερόν.)	5. Ὕψισται. Πολυνείκης.	6. Hypsistae. Eurymedon.	5. Ἄρεως.	Thera. (Νάξιρα.)

Multis dicenda essent, quae nunc uno obtutu facile perspici possunt. Nonnus quinque portas deorum stellarumque errantium appellatione, duas vero non modo nomine sed addita quoque regione plagarum coelestium designat, Electras atque Oncaeas. Sufficit haec de Oncaeis adscripsisse

Ἰσότυπον πρῶτον μὲν ἐς ἑσπέριον κλίμα πήξας
Ὀγκαίην ἐπέκειμε πύλην γλαυκώπιδι μήνῃ.

Hyginus filiarum Amphionis nominibus portas distinguit. Sola Ogygia cum aliis congruit. Uterque sane non magni auctor momenti. Tamen, ut ulterioribus quaestionibus satisfaciam, horum quoque recensum omissis argumentis sed rationes probabiles secutus ad reliquorum ordinem redegi. Nunc vero misso utroque qninque vetustiores accuratius comparemus.

Restituta Apollodori lectione omnes quinque dixi in tribus portis principalibus denominandis congruere. Addenda est quarta Homoloïdes. Atque has quatuor Electras, Proetides, Neïtas, Homoloïdes bene notandum est esse nominibus propriis et suis ab omnibus appellatas. Trium vero, Hebdomas dico, Boreas atque quae Minervae Oncae vicinae esse dicuntur, Aeschylus non nomina exhibet, sed duarum locum indicat, ultimam nonnisi numero designat. Quatuor vero e quinque auctoribus praeter Aeschylum etiam harum trium portarum unanimo fere consensu eadem nomina tradunt. Omnes enim habent et Crenaeas et Ogygias et denique, dicamus, Hypsistas. Nam quod apud Euripidem Hypsistarum loco numerantur septimae, eam ob causam pro ipso nomine numerus est, quoniam reliquis omnibus et inter se concordantibus et cum auctoribus laudatis, septimae non possunt esse nisi Hypsistae. Praeterea Statii culmina Dircaea certe supervacaneum est reliqua comparanti demonstrare non posse alia esse, nisi quae apud utriusque orationis auctores sint Crenaeae.

Quae quum ita sint, nunc nil restat, nisi ut demonstremus, quomodo cum illis quatuor testibus quintus atque vetustissimus, Aeschylus, consentiat. Ordinem, quem ipse praetulit, sequemur. Quartam portam, quam reliqui Crenaeam nominant, Aeschylus dicit vicinam fuisse Minervae Oncae. Quaenam fuerint Crenaeae ex iis, quae de situ portarum dixi, satis luculenter apparet. Est, quam ultimo loco descripsi, unica occidentem versus patens, atque, ut credendum est, solius fontis causa exstructa. Nam hiberno saltem tempore Dirces amnem tunc tumentem, rapidum transgredi non licuit. Fons vero quoniam in ipso fluminis erat alveo, ejusque in ripa orientali, Crenaeae dicebantur in Dirca esse. Schol. Eurip. Phoen. 1223 κρηναίαισι· ταῖς ἐν τῇ

Δίρκη. aliud Schol. ταῖς ἀπὸ τῆς κρήνης Δίρκης καλουμέναις. Scilicet praeter flumen etiam fons ille Dirces nomine nobilis erat. Ad fontem erat collis, seu collis curvatura, Graeco sermone qui ὄγκος appellabatur. Ejusdem formae globosae est collis ad Ladonem fluvium in oppidi Thelphusae vicinia, a quo regio Oncaeum (Ὄγκειον), atque Deus ibi cultus Apollon Oncaeates nominabatur. Neque deerant qui e nomine regionis etiam dei filium Oncum invenirent. Paus. 8, 25. Quoniam oppida sive πόλεις initio altiori loco condebantur, circum quas deinceps inferior urbis pars sive ἄστυ (ἄ-στυ) exstruebatur, ideo acropolis etiam seriori tempore simpliciter πόλις appellabatur e. c. Athenis. Arcades videntur pro vocabulo πόλις alio usi esse, scilicet ὄγκη vel ὄγκα. Ita enim accipienda sint, quae habet Etymologus: ὄγκαι· πόλεις ἐν Ἀρκαδίᾳ. Etiam Boeotis collis Cadmei pars quae versus Dircen in rotunditatem globatur, ὄγκα est appellata, indeque Minerva duxit nomen Ἀθηνᾶς Ὄγκας, cujus plane idem est significatus ac nominis Ἀθηνᾶς Πολιάδος. Quae de Phoenicia ejus nominis origine fabulantur antiqui, nihili sunt. Habent tamen ista suam explicationem mythologicam, ad fluviorum atque heroum, qui „Phoenices“ appellabantur, similitudinem, quos nemo ad gentem cognominem retulit. Cadmus dracone prope fontem in ipsius latibulo (χειά) interemto in colle sacra fecit Minervae Collatinae s. Collinae. Jam causa apparet, cur pro Crenaeis Statius scripserit Culmina Dircaea, Nonnus vero, Aeschylum secutus, Ὀγκαίη, Hyginus denique — nam χειὰ δράκοντος portae erat vicina — nomine „Chias“ eandem portam notarit. Addas denique, Nonnum quam accuratissime Oncaeae suae situm indicare; etenim non modo versus occidentem dicit eam patere, sed etiam in medio urbis muro occidentali. Nam hoc voluit, ni fallor, scribens haec h. l. iteranda

Ἰσότυπον πρῶτον μὲν ἐς ἑσπέριον κλίμα πήξας
Ὀγκαίην ἐπένειμε πύλην γλαυκώπιδι Μήνῃ.

Jam vides jure nos supra dixisse, Oncaeas atque Ogygias non esse easdem, neque Hesychii editoribus illud esse credendum. Tribus literis mutatis apud Hesychium legendum est: Ὄγκας Ἀθηνᾶς τὰς Ὀγκαίας πύλας λέγει (scil. Aeschylus, Sept. 471 sq.

τέταρτος ἄλλος γείτονας πύλας ἔχων
Ὄγκας Ἀθηνᾶς.)

Est haec eadem glossa, quae in Schol. Aesch. l. l. legitur: γείτονας πύλας τὰς τῆς Ἀθηνᾶς φησὶν Ὀγκαίας, ἀφ' ἧς καὶ αἱ πύλαι αὗται Ὀγκαῖαι ἐλέγοντο. Male igitur Hesychii editiones habent Ὠγυγίας pro Ὀγκαίας.

Proximum est, ut Ogygiae portae quaeramus qua in parte sitae fuerint, atque quo sub nomine apud Aeschylum lateant. Reliqui ex quinque quos dixi auctores consentiunt, quibus addas Hyginum inter Amphionis filias Ogygiam numerantem. Ogygus vetustissimus Thebarum rex nulla re magis celeber videtur, quam diluvio ab eo denominato; recteque ni fallor ita eum judicarunt esse quasi deum vel heroem inundationum, ut vel nomen inde explicare studerent. (Vid. Nork myth. Real-Wörterb.) Quae res utut se habet, hoc certe ex locorum natura apparet, nullam esse Thebarum portam, quae sive unum fuerit diluvium, sive saepius iteratum (nam „sane sciendum, et per diluvium et per ecpyrosin significari temporum mutationes“ Serv. ad. Virg. Eclog. VI. 41.), magis inundationi sit expositum, quam septentrionalis illa inter Neïtas et Proetides media collocata. Etenim ea unica est, quae necesse sit, ut vel torrenti pateat. Nam qui collem urbis medium secat atque in duas partes dividit, et cui Strophiae nomen vindicavimus, iste torrens non potuit nisi per portam in campum inferiorem descendere. Portam inundans in campum quem inundaturus est defluit. Quo igitur loco meliori jure dicamus sitas fuisse portas Ogygias? Ogygiae igitur sunt, quos Aeschylus maluit Boreas appellare. Recte is quoque et fortasse consulto: nam Parthenopaeum, ex Arcadia frigida atque nivosa venientem, huic portae fecit oppositum, scilicet e regione Sphingii montis, unde Boreas ineunte hieme non imbres sed primum frigus adflabat. Eam ob causam alio loco dixi in Parthenopaei clypeo Sphingem, frigoris constringentis daemonem, fuisse expressam (vid. Allgem. Monats. 1852, März). E Nonni recensu propter loci Tenerico campo vicini naturam Saturno (Κρόνῳ) hanc portam tribui. (Cf. Hellenica nostra P. I. p. 52. Paus. 9, 25, 5. Lycophr. Cess. 1204. c. Schol.)

Hisce expositis restant reliquorum auctorum Hypsistae, quae quemadmodum Euripidis, ita etiam Aeschyli sunt ἑβδομαι. Possent quidem Aeschyli septimae portae etiam aliae esse, atque ab Euripidis diversae. Sed Aeschyli haec una superest, cui nomen Hypsistarum tribui possit. — De situ paulo plus possit esse dubitationis. Nam postquam quinque portis a natura constitutis nomina sunt reperta, Homoloïdes atque Hypsistae ex utraque parte Electrarum fuisse certum est; quaeritur vero utra porta ex utra parte fuerit. Atque haec etiam mihi videtur quaestio posse cum quadam probabilitate dirimi. Etenim narrat Pausanias 9, 8, 6 Thebanorum pugna ad Glisantem prope Teumessium collem ab epigonis victorum partem in Thessaliam migravisse ibique collem Homolen occupasse. Hos vero deinceps a Thersandro, Polynicis filio, in patriam revocatos, eam portam, per quam reditum tulissent in urbem, a colle

isto Homoloïdas appellasse. Veri simillimum videtur, illos per eandem portam in urbem patriam rediisse, per quam egressi essent. Jam Glisantem e duabus portis via tulit, aut e Proetidibus aut ex iis, quae Electris essent orientem versus. Itaque credam eas fuisse Homoloïdes.

Accedit alia ratio. Docuit O. Müllerus (Orchomenos p. 233 sq.), Homoloïa inter sacra festaque fuisse antiquissima, sacerdotem Homoloïdem Jovi Homoloïo nomen dedisse, atque prope urbem regionem fuisse Ὁμολώιον, unde portae nomen in Schol. Eurip. Phoen. 1126 derivetur. Quid igitur? Nonne probabilius est collem Ὁμόλην ipsam fuisse partem Teumessi Thebas inter et Glisantem, quae et antiquissimis temporibus et hodie non modo Ismeni sed permultis aliis fontibus mirifice excellit? Pausanias, quum dicat Ὁμόλην illam fuisse καὶ εὐγεων μάλιστα καὶ ὕδασιν ἐπιῤῥεομένην, nonne videtur hunc ipsum quem novimus collem descripsisse? Equidem non dubito nomen ipsum collis ex ὁμ.. et ὅλος compositum nil aliud significare nisi aquarum abundantiam.

Denique tertium est, quo idem Homoloïdum situs fiat probabilis. Quamvis ex imperatorum nominibus propter scriptorum discrepantiam nil efficitur ad quaestionem de portis portarumque situ dijudicandam, tamen quaedam videtur inter diligentiores auctores, Aeschylum, Euripidem et Pausaniam esse consensio. Apollodorus contra vel, quem secutus esse videtur, Pherecydes omnia conturbat. Tres illi consentiunt, Capaneum Electras oppugnasse. Polynices quamvis ab alio ad aliam portam dimicasse dicitur, tamen ab omnibus in Dirces amnis vicinia collocatur. Juxta Ismenum duae sunt portae Proetides atque quas dixi Homoloïdes. Tydeus atque Amphiaraus durante pugna inter se quodammodo communicare videntur. Itaque Tydeus ad inferiorem Amphiaraus ad superiorem Ismenum dimicant, nisi quod Euripides stationes mutat.

Quae quum ita sint, Hypsistae recte vocantur, quae in summa erant urbis atque Cadmeae parte. Etenim quamquam Homoloïdes quoque in superiori totius regionis parte erant sitae, atque recte apud Statium celsae appellantur, tamen collis qui Electris est versus occidentem, altius assurgit, neque in urbis circuitu ulla est pars, in qua erecta porta rectius quam in hac sibi postulet nomen Hypsistarum.

Nomina appellativa in propria mutata, propria portis adsignata, portae suo quaeque loco collocatae sunt. Jam ipsius urbis partes, aedificia, monumenta Pausaniam maxime secuti brevius enumerabimus. Totam urbem monitum est fuisse torrente Strophia in duas partes divisam. Altera, quae est sita inter Dircen et Strophiam,

Cadmea est, si fabulis credendum, antiquior pars, a Cadmo condita; altera inter Strophiam et Ismenum inferior urbs est, ἡ κάτω πόλις, quae ab Amphione et Zetho Cadmeae addita esse dicebatur. Cadmea, solo ad fontem Dircaeum portamque Crenaeam leniter depresso, iterum divisa est, ut collis major altiorque, meridionalis, sit arx, septemtrionalis vero forum arcis, τῆς ἀκροπόλεως ἀγορά. Altera regio, quae est inter Strophiam et Ismenum, item est bipartita, meridionalis est collis Ismenius, reliqua tota, quae plures colles continuos minores comprehendit, propter monumenta ibi erecta Ampheion appellata esse videtur. Arrhian. 1, 8: καὶ παρελθόντες εἰς τὴν Καδμείαν οἱ μὲν ἐκεῖθεν κατὰ τὸ Ἀμφεῖον σὺν τοῖς κατέχουσι τὴν Καδμείαν ἐξέβαινον ἐς τὴν ἄλλην πόλιν· οἱ δὲ κατὰ τὰ τείχη, ἐχόμενα ἤδη πρὸς τῶν συνεισπεσόντων τοῖς Φεύγουσιν, ὑπερβάντες ἐς τὴν ἀγορὰν δρόμῳ ἐφέροντο. Potuit certe defendi illa quasi peninsula inter Ismenum et Strophiam. Urgentibus vero undique Macedonibus, eques Thebanus in campum (πεδίον) descendere coactus est, pedites, ut quisque potuit, petivere salutem. Conf. etiam Aeschyl. Sept. 528. — Βοῤῥαίαις πύλαις τύμβον κατ' αὐτὸν Διογενοῦς Ἀμφίονος. Quatuor igitur partes recte distinguuntur, binae sunt Acropolis, quae tota Cadmea nominabatur, altera arx, quam distinguendi causa „Cadmeam" κατ' ἐξοχήν appellaverunt et nos appellamus, altera est Agora arcis (nam sit nomen); binae sunt partes urbis inferioris, altera collis Ismenius, altera Ampheion. Paus. 9, 5, 2. Κάδμος δὲ τὴν πόλιν τὴν καλουμένην ἔτι καὶ ἐς ἡμᾶς Καδμείαν ᾤκισεν· αὐξηθείσης δὲ ὕστερον τῆς πόλεως, οὕτω τὴν Καδμείαν ἀκρόπολιν συνέβη τῶν κάτω γενέσθαι Θηβῶν· — 9, 5, 6: Ἀμφίων καὶ Ζῆθος — τὴν πόλιν τὴν κάτω προσῴκισαν τῇ Καδμείᾳ καὶ Θήβας ὄνομα ἔθεντο· — 9, 7, 4: Θηβαίοις δὲ ἐπὶ μὲν Κασσάνδρου πᾶς ὁ ἀρχαῖος περίβολος ἀνῳκίσθη· — 9, 7, 6: καί σφισιν ἡ μὲν κάτω πόλις πᾶσα ἔρημος ἦν ἐπ' ἐμοῦ πλὴν τὰ ἱερά· τὴν δὲ ἀκρόπολιν οἰκοῦσι Θήβας καὶ οὐ Καδμείαν καλουμένην.

Pausanias igitur, Potniis ad supremos Dirces fontes rivulosque, qui maxime sunt versus meridiem relictis, Cnopiam et Harma ad dextram positum e longinquo praetergressus, ante portas Electras Polyandrion observat, quo, qui contra Alexandrum dimicantes cecidissent, humati erant. Res narrata est ab Arrhiano Anab. 1, 7 et 8. Leakius Arrhianum male intellexit ideoque topographiam turbavit. Luce clarius est Alexandrum non rediisse ab Electris ad Proetidés, sed a parte meridionali in Cadmeae vicinia urbem obsedisse. Vallum duplicem Thebanorum, quem circum Cadmeam ejusque praesidium Macedonicum fecerant, maxime circum portas Cadmeae fuisse facile credas. Leakii certe adumbratio, quae vallum illum duplicem circum partem urbis

septemtrionalem habet, non debuit iterata esse in Kiepertii Atlante Graeciae. — Qui Arrhiani narrationem cum nostra tabula comparaverit, ei spero omnia fore perspicua.

Pausanias igitur per Electras (9, 8, 7) urbem ingreditur. Ingresso ad dextram est collis Ismenius prope amnem praeterfluentem Ismeni, cujus fontem Meliam supra videre possis, sed non accedere, nam est extra muros atque in altera ripa alvei profundi. In colle templum erat Apollinis Ismenii (cf. Pind. Pyth. XI. init. et Scholia). Oraculi quod in hoc erat sacrario et Pindarus mentionem facit et Sophocles in Oedipi Regis v. 21. — Tripodes, quos Daphnephori Apollini dedicare solebant, inter quos etiam erat Herculis (cf. Herod. 5, 59), in Thesauro collocatos fuisse Pindarus est auctor. Ni fallor cum hoc sacrario conjunctus erat fons per aquaeductum, qui exstat, a Melia derivatus. (Vid. quae de Thesauris scripsi in libello de muris cyclopeis adn. 6.) Longum est, omnia enarrare. Pausanias lapidem sedemque Mantus, nominat statuasque Heniochae et Pyrrhae, denique ad fontem Meliae sepulchrum Caanthi fratris, ab Apolline interfecti. —

Pausanias deinceps ab eadem porta iterum incipiens ad sinistram se convertit, et Cadmeam intrat. — Arcem nomine quidem non nominat, sed omnia, quae videt, monumenta satis docent in Cadmea nunc eum versari. Praeterea Arrhianus idem docuit. Monumenta, quae enumerat, haec sunt: domus Amphitruonis et thalamus Alkmenae, monumenta liberorum Herculis e Megara; lapis Sophronister, ara Apollinis, templum Herculis (Ἡράκλειον, cf. Arrhian. l. l.) cum Gymnasio et Stadio.

Sequitur regio, in qua ara atque statua Minervae Oncae, a Cadmo olim dedicata. Hic etiam hodie trans vallem leniter depressam a Cadmeae arce ad forum (ἀγοράν) aqua et subterraneis et nunc quidem supra vallem cameratis ductibus agitur. Sunt isti aquaeductus, de quibus Dicaearchus refert: *φέρεται δὲ καὶ ἀπὸ τῆς Καδμείας ὕδωρ ἀφανὲς διὰ σωλήνων ἀγόμενον, κατεσκευασμένον*, (Ulrichius ad verba *ἀπὸ τῆς Καδμείας* adnotat: „h. e. *ἐπὶ τὴν Κάδμειαν*“ — male.) Ad vallem inter arcem Cadmeae et forum spectant Arrhiani (1, 8, 6) verba *ὑπερβάντες ἐς τὴν ἀγοράν.*

In colle illo, in quo erat forum, domus Cadmi, thalamus Harmoniae et Semelae ostendebantur, deinde Dionysi Cadmei et altera Dionysi statua, nec non Pronomi, denique Epaminondae. Huic vicinum erat templum Ammonis, specula Tiresiae, sacrarium Fortunae, Plutum infantem ferentis. Sequuntur tria signa lignea Veneris, Uraniae, Pandemae et Apostrophiae. Postremo Cereris

Thesmophorae sacrarium nominat Pausanias, olim domum Cadmi atque ejus posterorum, quae sitne eadem, ac cujus supra sit mentio facta, in dubio relinquitur.

Transgressus torrentem Strophiam Proetidibus portis vicinum esse dicit Theatrum cum templo Dionysi. Reliqua sunt in hac urbis parte, quam Amphii nomine in Tabula topographica significavimus, domus Lyci cum Semelae monumento, deinde liberorum Amphionis monumenta templum, Dianae Eucleiae. Proxime adstabat Apollon Boedromius, et Mercurius forensis. Videtur etiam in hac inferiori urbis parte forum fuisse, nam plura indicat fora Sophocles in Oed. Reg. 20. Fortasse vero hic Mercurius forensis ad pontem adstabat, per quem trans Strophiam via in forum Cadmeae tulit, quemadmodum ex altera parte via per Neïtas ad forum illud ducens statua Jovis forensis erat ornata. — Sequitur Pyra liberorum Amphionis, (in Tabula topographica calami errore a monumento liberorum Amphionis nimis remota), et Minervae Zosteriae duae statuae ab Amphitruone dedicatae. Denique, proxime, in fallor, ad collem Ismenium, monumentum e terra excitatum Amphionis et Zethi (Ἀμφεῖον?). Extra muros atque portas Proetides, sed citra Ismenum credo, Melanippi nominat Pausanias sepulcrum, deinde Tydei, denique monumenta filiorum Oedipi. Quod dicit Tiresiae monumentum fuisse πέντε μάλιστα καὶ δέκα σταδίοις ἀπωτέρω, hoc ita accipio, ut sit citra Ismenum, remotum a via recta Chalcidensi. Sitne „Oedipodia“ ille fons, qui sub vico Hag. Theodoron profluit, adhuc mihi dubia res est. Certe non dubito, sepulcrum Hectoris fuisse in Insulis Beatorum, de quibus dixi. Dolendum est Pausaniam non indicasse quando Ismenum fuerit trangressus. Nunc regio sive vicus Teumessus non satis constat quo in loco fuerit.

Postquam iter Chalcidense descripsit Pausanias, ad Portas Proetides redit. Extra muros septemtrionales progrediens primum Jolai Gymnasium, Stadium atque Heroum, et ultra Stadium Hippodromon vidit. Hic in viam incidit a portis Ogygiis sive Boreis Acraephniam ferentem. Eam secutus atque ad urbem reversus, ea enumerat, quae sunt ad Neïtas extra muros. Nam quae essent intra muros, jam in describendo foro enumeraverat. Sunt vero inter portam et Dirces amnem haec: monumentum Menoecei, columna in memoriam pugnae singularis filiorum Oedipi. Tota vero regio appellabatur Syrma Antigonae. Jam igitur et illud apparet ex quo colle custodes Antigonam, fratrem sepelientem, observarint, Soph. Ant. 411. Transgressus deinde Dirces amnem Periegetes noster Pindari domum vidit atque Didymenae delubrum, ni fallor hodierno vico Pyri vicinum.

Hinc videtur ad portas Neïtas reversus (9, 25, 4) via Onchestia directa progressus esse. Themidis delubrum, Parcarum atque Jovis forensis inter portam et Dircam fuisse credo. Etiam Herculis Rhinocolustae statua ad rivum erat (cf. Hellenica nostra p. 339). Inde viginti quinque stadia abest lucus Cereris Cabiriae, cui vicinum est delubrum Cabirorum ad fluvium Thespiensem, qui per campum Tenericum descendens Ismeno jungitur.

Haec sunt, quae de Thebarum topographia hodie habeamus dicenda. Quemadmodum in historia fabulosa inest locorum et natura eorum descriptio, ita in iis, quae descripsimus, inest historiae fabulosae explicatio. Sed de hisce alio tempore agamus. Tragicorum atque reliquorum auctorum loci alii spero fore ut ad Tabulam nostram atque descriptionem exigantur, alii aut rectius explicentur aut emendentur. Nunc hoc tantummodo addam, urbis formam a Dicaearcho recte dici στρογγύλην i. e. ovatam, ambitum vero, quem tabula topographica exhibet, ad amussim esse eum, quem Dicaearchus hisce versibus firmavit:

Κεῖται δ' ἐν μεσογείᾳ πάνυ καλὴ
Πόλις, μεγάλαι Θῆβαι, σταδίων τὸ περίμετρον
Ἔχουσα τετταράκοντα καὶ προσέτι τριῶν.

Q. B. F. F. F. Q. S.

Ad audiendam orationem sollemnem, quae in gratulationis publicae communionem d. VI. mensis Octobris h. XII. in aula academica a N. Thomsen, Theol. et Phil. Doctore, Theol. P. P. O., habebitur, regios magistratus tam militares quam civiles, amplissimos, urbis hujus patres consultissimos, pastores summe reverendos, Lycei praeceptores doctissimos, cives academiae humanissimos, omnium denique ordinum incolas hujus urbis vel hospites ea qua decet observantia invitamus.

1854. VI.
II.

IMAGO CHRISTIANI III.

RESTITUTIONIS SACRORUM NOSTRORUM EGREGII TUTORIS ET ADIUTORIS

ORATIO

QUA

IN SOLLEMNIBUS REGIS AUGUSTISSIMI ET SERENISSIMI

FRIDERICI VII

NATALITIIS

DIE VI. MENSIS OCTOBRIS

AB ACADEMIA CHRISTIANA ALBERTINA CELEBRATIS

AUCTORITATE SENATUS ACADEMICI

VOTA PUBLICA NUNCUPAVIT

C. N. T. H. THOMSEN

THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTOR THEOLOGIAE PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

MDCCCLIV.

Rector magnifice!

Collegae spectatissimi, conjunctissimi!

Auditores omnium ordinum amplissimi, ornatissimi, humanissimi!

Festo hoc, quem regis natalem celebramus, die omnis nostra cogitatio exorditur quidem ab augustissima ejus persona, qui regiam dignitatem jam obtinet, Friderico VII., et a beneficiis, quae ejus summa benevolentia nobis contingere gaudemus. In historiae serie autem praesentia praeteritis ita juncta sunt, ut in illis haec reviviscant, et potissima quaeque nostri regis beneficia ipsam hanc ob causam necessario in conservandis augendisque iis bonis, quae majoribus ejus debemus, versantur. Igitur ab hoc die et a Friderici VII. laudibus minime est alienum ad antiqua illa recurrere, quae praesentium rerum initia et fundamenta continent. Jam vero inter omnia bona, quae per Illustrissimam domum Oldenburgicam in Daniae regnum atque ducatus Slesvici et Holsatiae collata sunt, vix majus invenias sacrorum Christianorum emendatione, quam Oldenburgici nostri reformatorum tempore studiosissime susceperunt et postea usque ad nostram aetatem constanti opera servaverunt. Ita enim effectum est, ut cum reliquo evangelicorum numero apertum habeamus reditum ad simplicem illam et uberrimam veritatem, qua initia Christianae religionis pollebant, participes et libertatis animorum, et justae disciplinae atque culturae ingeniorum, geminae virtutis protestantismo simul insitae. Maximi faciendum est praeterea commune hoc emendatae religionis vinculum, quod inimicitia de rebus religionis populos ditione regis nostri unitos sejungi non patitur, atque intimae concordiae optima radix inter eos viget. Igitur Christianus III. rex, cui maxime debemus sacra ad normam apostolicam reformata in regno et ducatibus, praecipue dignus videbitur, cujus memoria hoc festo die renovetur atque cum pietate nostra erga Fridericum VII. consocietur.

In

delineanda Christiani III., restitutionis sacrorum nostrorum egregii tutoris et adjutoris, imagine

jam versabitur oratio nostra.

Tres Daniae et ducatuum principes tempore Lutheri et sociorum ejus ecclesiae secundum evangelii normam instaurandae operam suam navaverunt, Christianus II.,

Fridericus I., patruus ejus, et Christianus III. noster, Friderici filius. Neque Christianus II. autem, neque Fridericus Christianum nostrum in his coeptis suis aequaverunt. — Christianus II., magnis ingenii dotibus praeditus, sed parum eruditus, vehemens praeterea et violentus, eodem tempore in Suecia episcoporum et papae auctoritate pro dominatione sua utebatur, quo in Dania, contra nobilitatis et procerum cleri nimiam potentiam plebejorum fautor, citius, quam ullus alius temporis illius princeps, Friderico Sapienti, Saxoniae electori, avunculo suo, in adjuvanda sacrorum emendatione socium sese adjunxit. Theologos Vitebergenses Hafniam vocavit; leges promulgavit, quae coelibatui clericorum, ambitioni et avaritiae eorum, paparum denique in ecclesia Danica dominio adversabantur; scholas emendare studebat. Paullo post autem pro inconstantia ingenii sui atque ob auxilium a Carolo V. imperatore, fratre conjugis suae, et a papa impetrandum, episcopis denuo plus tribuit. Postea in exilio Christianus primo Vitebergae una cum uxore sacris emendatis totum se dedit, tum denuo fluctuabatur animo et ad ecclesiam Romano-catholicam propius accessit, ne gratia imperatoris excideret, donec tandem inter diuturnam captivitatem suam Sonderburgi et Kallundburgi in persuasione evangelica omnino confirmabatur. — Fridericus, Christiani nostri pater, adolescens olim, opera fratris sui, Joannis regis, canonicatum ecclesiae Coloniensis ad Rhenum adeptus erat, quo aditus ad episcopale fastigium ei patebat. Maluit autem, clericatus honoribus et theologicis studiis derelictis, regimen ejus partis ducatuum nostrorum, quae ipsi destinata erat, obtinere. Christiani II. pro sacrorum emendatione conatus Fridericus, princeps admodum cautus et ab omni praecipiti consilio abhorrens, non adjuvisse, sed silentio praetermisisse videtur. Anno millesimo quingentesimo vicesimo tertio Fridericus, ut, Christiani II. exulis loco, ad regiam dignitatem eveheretur, fide data sese obstrinxit, in Dania et Norvagia se tuiturum esse ecclesiam Romanam et papae auctoritatem, graviter vero puniturum Lutheranos. Nihilominus vix dubitari potest, Fridericum jam tum doctrinae evangelicae assensum praebuisse. Anno proxime insequenti enim edicto sancivit, ut in ducatibus evangelici prorsus eadem libertate cum Romano-catholicis uterentur, et ab eo inde tempore causae evangelicae in ducatibus aperte opitulari non cessavit. Etiam in Dania autem per Joannem Tausenium, academiae Vitebergensis discipulum, et socios ejus causa evangelica brevi tantopere aucta est, ut jam anno millesimo quingentesimo vicesimo septimo in comitiis regni Otthiniae habitis plena sacrorum libertas et aequalia cum catholicis jura evangelicis publica lege confirmarentur, abs quo inde tempore ultimis Friderici annis ecclesia evangelica juxta Romano-catholicam in Dania sese constituit, atque hierarchiae et ecclesiae catholicae auctoritas magis magisque imminuta est.

Christianus III. contra jam inde ab adolescentia omne studium suum causae evangelicae ita devovit, ut nihil ei praeponeret, quam ob causam, teste Catharina a Bora, Lutheri conjuge, rex Christianissimus postea a Luthero ipso judicatus est. Ex

eorum numero Christianus est, quos Lutherus in comitiis Vormatiensibus anni millesimi quingentesimi vicesimi primi fiducia et constantia professionis suae in perpetuum sibi et evangelicae parti conciliavit. Interfuit enim his comitiis Christianus, qui tum annum aetatis duodevicesimum agebat, cum custode adolescentiae suae, magno illo Joanne Ranzovio, qui, hoc tempore nondum triginta annos natus, nihilominus jam et litterarum optime peritus et virtute militari insignis erat, nuper ab itineribus per Europam et Asiam usque ad Hierosolyma factis redux. Non minus quam Christianus Ranzovius quoque Vormatiae tota mente evangelicae causae se addixit. Inprimis procul dubio Christianus et Ranzovius paullo post patrem Christiani Fridericum et ipsum evangelicis propensum reddiderunt, ita ut jam anno post concilia Vormatiensia Hermanno Tastio liceret, Husumae inter magnum auditorum numerum doctrinam evangelicam praedicare.

Fuerit initio Christianus paullo juvenilior, sicuti e. c. Vormatiae monachum, Luthero infensum, inter concionem, ab ipso coram imperatore et ordinibus imperii habitam, ridicula gesticulatione iterum atque iterum in genua procumbentem, fune, quo praecinctus erat fraterculus, alligavisse et hoc modo, quominus denuo surgeret, prohibuisse dicitur. Ab omni turpitudine vero quovis tempore longe remotus erat noster, atque etiam quicquid virum minus decere videatur, celeriter exuebat. — Cum pater Fridericus Christianum per tempus regni sui praesidem ducatuum esse voluisset, princeps juvenis jam his decem annis virtutem suam prudenti et indefessa opera probavit, qua, adjutus per egregios consiliarios, Joannem Ranzovium et Detlevum Reventlovium, causam evangelicam ubique fere in ducatibus firmabat. Nemo cogebatur ad sacra emendata amplectenda, imo si qui, in monasteriis praecipue, vetera sacra retinere volebant, hoc iis omnino licebat, sicuti etiam episcopis, capitulis episcopalibus et monasteriis ducatuum possessiones et jura eorum illaesa manebant. Ut desiderio evangelicae veritatis, quo jam sua sponte hominum animi movebantur, satisfieret, edocerentur homines atque ad meliora excitarentur, confirmabantur et constituebantur autem auctoritate principum evangelicae veritatis nuntii in singulis urbibus. Mittebantur praeterea Vitebergam, qui ibi studiis theologicis operam darent; vel ex interiore Germania denique theologi evangelici laude conspicui maxime in septentrionalem Slesvici partem vocati sunt, ubi Christianus dux Haderslebiae sedem suam habere solebat. Horum virorum disciplina ad percipiendam doctrinam evangelicam clerici vicinarum regionum uti debebant, et praeterea jurejurando adstricti sunt, se Zwinglianam et anabaptisticam doctrinam devitaturos atque Christiano duci fideles futuros esse. Jure suo Christianus et socii ejus inprimis anabaptismum vitari volebant, qui quidem eo vergebat, ut internus spiritus sancti impulsus sine omni normae externae et adjumentorum externorum vera auctoritate et vi in religione valeret, facile etiam rerum civilium perturbandarum studiosus. Doctrina Zwinglii de sacra coena autem, quae virtutem hujus non nisi in memoria Christi et spiritus sancti interna operatione ponit, ana-

baptismo affinis videbatur et anabaptistis probari solebat. Hae lites tum in nostris regionibus praecipue per Melchiorem Hoffmannum, pellificem Suevum, exstiterunt, qui, postquam in Suecia et Livonia ad imagines ex aedibus sacris ejiciendas plebem excitaverat et Vitebergae Carolostadio, viro tum similiter turbulento et de sacra coena cum Zwinglio fere concordi, se conjunxerat, denique Kiliae sedem suam fixit, et a rege Friderico ibidem orator ecclesiasticus constitutus est. Vitebergensium admonitio et aliorum, etiam in his nostris regionibus, scripta contra Hoffmannum et libros ejus, stulta spe apocalyptica inflatos, effecerunt, ut Flenopoli anno millesimo quingentesimo undetricesimo synodus sive colloquium cum Hoffmanno institueretur, cui cum theologis evangelicis ducatuum, Christiano duce et consiliariis ejus, etiam theologi evangelici Dithmarsi et Hamburgenses intererant, Bugenhagenius denique Vitebergensis, qui tum ecclesiam Hamburgensium evangelice ordinabat et de compluribus Germaniae septentrionalis ecclesiis similiter meritus est. Hoffmannus, ex his terris relegatus, postea anabaptismum professus est, et anabaptistarum paullo meliorum antesignanus evasit.

Post mortem Friderici patris, anno millesimo quingentesimo tricesimo tertio Christianus moderationem suam gravissimo exemplo probavit. Cum episcopi regni Danici enim Christianum, Lutheranum insignem, regem fieri nollent, in fratrem ejus Joannem proni, puerum duodecim annorum, quem veteri ecclesiae conciliari posse sperarent, et eam ob causam electio regis in annum proximum dilata esset: Christianus neque nobilibus Daniae, neque, multo minus etiam, Lubecensibus obsecundavit, qui utrique operam suam ei pollicebantur ad regiam dignitatem vi et bello civili occupandam. Tum vero Lubecenses, apud quos paullo ante optimatium pars una cum ecclesia Romano-catholica magna clade devicta erat, praetexentes causam Christiani II. captivi, urbes Daniae et rusticorum Danicorum multitudinem ad foedus contra clerum et nobiles provocaverunt et bellum in Dania moverunt, quo omnia perturbabantur. Etiam cleri proceres jam ad Christianum confugere coacti sunt, abs quo petebant, ut regia auctoritate hos motus profligaret. Cum ita per legitimam senatus Danici auctoritatem rex constitutus esset, munus sibi demandatum suscipere non dubitavit, susceptum una cum Ranzovio suo strenue fortiterque exsecutus est, et partam sibi potentiam deinde egregie tuebatur. Recte Rankius Christianum pro solito nostratium ingenio res arduas non nisi cunctanter aggressum, in perficiendis iis autem postea constanter versatum esse dicit, ita videlicet, ut juris et officii sui evidentia consilia sua firmaret. Plus semel vel nimis juste et aeque egisse videatur in fratrum suorum minorum natu jure defendendo etiam contra liberorum suorum atque regni et ducatuum commoda et jura.

Post victoriam illam reportatam rex ante omnia certamen de rebus ecclesiae et religionis dirimendum censuit. Nulla promissione veteri ecclesiae obstrictus, jure suo hierarchiam Romano-catholicam, quae jam non nisi paucorum hominum ad seditionem proclivium utilitatibus serviebat, uno ictu compressit. Summo consensu reliquorum

praeter episcopos ordinum regni tum in comitiis Hafniensibus anni millesimi quingentesimi tricesimi sexti in evangelicam ecclesiam religionis publica legis auctoritate sancitae jura contulit. Anno post, a rege vocatus, permissu electoris Saxonici, Joannis Friderici, Joannes Bugenhagenius Pomeranus, vir integer, placidus et circumspectus, probatus rerum ecclesiasticarum moderator, Hafniam venit. Ordinatio ecclesiastica, sive liber ordinum ecclesiasticorum, a theologis Danicis et Slesvicensibus ad typum jam inter Lutheranos receptum compositus, a Luthero ipso et denique a Bugenhagenio intentissima cura perlustratus, regia auctoritate hoc tempore promulgatus est. Evangelicae veritatis summam simpliciter et dilucide nuntiare, ita ut ab omnibus percipi possit, hac ordinatione ecclesiastica jubentur oratores sacri. Manet ex antiquis institutis, quidquid in usum evangelii converti posse videbatur, reliqua removentur. Singulis coetibus ecclesiasticis conceditur, ut ipsi antistites sacrorum suorum libere sibi eligant, modo electi publico examine probentur. Similiter quoque sacrorum antistitibus electio praepositorum et superintendentium sive episcoporum suorum salva confirmatione regia permittitur. Bugenhagenius autem novis his episcopis ordinatione evangelica episcopale munus tradidit. Scholis, et iis, quae in classicis auctoribus studiisque humanioribus versantur, et vulgaribus, magna cura impendebatur, neglectis quidem rusticorum liberis. Universitas litterarum Hafniensis vero e Bugenhagenii consiliis et ejus ope a rege magna liberalitate restituta et aucta est, et ita quidem, ut litteris humanioribus quoque multum tribueretur. Inter alia hoc inprimis curavit rex, ut plena bibliorum sacrorum in linguam Danicam versio conficeretur. Cum denique ipsam regiam dignitatem suam evangelice inaugurari vellet, se et reginam suam Bugenhagenio administrante regie coronari et ungi jussit. Possessiones et reditus veteris ecclesiae rex ad ecclesiae evangelicae ministros, scholas, nosocomia, ptochotrophia et alios publicos usus transferri volebat. Huic regis consilio obstabat quidem nobilitas, quae, magna illa urbium et rusticorum clade atque veteris episcopatus sibi aemuli interitu multo magis etiam quam antea praepotens reddita, ex ecclesiae possessionibus et reditibus quantum poterat ad se rapiebat, sicut etiam patronatu ecclesiastico suo facile abutebatur. Neque admonitionibus neque proprio meliore exemplo Christianus hanc nobilitatis licentiam semovere poterat, licet semen, quo postea vincerentur abusus illi atque adeo ipsa nimia potentia nobilitatis profligaretur, in ecclesiasticis et scholasticis institutis Christiani jam lateret. Quantopere exoptaverit rex, ut omnia in civitate secundum pietatis et verbi divini normam ad salutem publicam dirigerentur, e legum ejus tum severitate tum clementia intelligimus. Videmus enim regem poenas contra perjuria graviores reddere et luxum vestimentorum acriter cohibere, usuras autem parum probare, ita ut vix admittantur, inter annonae inopiam denique colonis ex publico penu sementis copiam suppeditare. Eodem tempore, quo in regno, in ducatibus emendatio sacrorum ad finem perducta est. Hic quoque, in comitiis Rendsburgensibus anni millesimi quingentesimi quadragesimi secundi, ordinatio illa ecclesiastica, secundum

versionem ejus Germanicam, publice sancita est; praepositi constituti sunt; bona et instituta veteris ecclesiae in novos usus transierunt. Caeterum pauci ii, qui in regno et ducatibus adhuc sacris catholicis dediti erant, non turbabantur, vel adeo, si e terris Christiani migrare volebant, ad hoc exsequendum adjuvabantur. — In reliquas praeter Lutheranam protestantium partes etiam Christianus noster duriorem se praebuit. Cum anno millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio centum et septuaginta fere homines, doctrinae evangelico-Calvinianae sive reformatae addicti, inter quos feminae gravidae et infantes erant, ob cruentam Mariae reginae Anglicae vexationem profugi, tempore hiemali Helsingoeram navi appulissent et in Dania perfugium suppliciter sibi peterent: rex eos, quia ecclesiae Lutheranae sese adjungere nolebant, sine mora longe a finibus Daniae secedere jussit, quamvis legatos eorum, Joannem a Lasco inprimis, comiter excepit atque viatico donavit. Noviomagus, qui aulae regiae illo tempore a sacris concionibus erat, eo facilius regi persuadere poterat, Calvinianismum gravem esse haeresin, recens in Dania institutae ecclesiae evangelico-Lutheranae perturbandae aptissimam, cum doctrinam Calvini Hoffmannianis somniis affinem regi visam esse verisimile sit. — Quod Christianus inter bellum Smalcaldicum foederatis suis pro exercitu auxiliari contra imperatorem pecuniam mittere satis habuit, plene excusari potest foederatorum illorum parum attento studio pro causa regis, pacto cum imperatore praeterea, quo rex paullo ante huic sese obligaverat. Inopiam, bello Smalcaldico ortam, qua Lutheri vidua premebatur, e principum evangelicorum numero Christianus noster muneribus, ei concessis, levavit.

Ut autem recte aestimemus Christianum, etiam privatam vitam ejus paullo accuratius contemplemur, oportet. Inde a prima juventute castissimo et felicissimo matrimonio sociatus erat Dorotheae Lauenburgicae, quae, licet a dominandi cupiditate non satis libera fuisse dicatur, et ipsa tamen laude dignissima videtur. Ab omni luxuria victus et vestimentorum aliorumque similium rex abhorrebat, quamvis regiam dignitatem suam in his quoque minime negligebat. Liberorum suorum sanctam educationem maximi faciebat, et in partes ejus ipse venire solebat. Benignum omnibus sese praebebat, ita ut ab iis, quibuscum versabatur, liberaliter amaretur potius, quam serviliter timeretur. Precibus ad Deum missis quemvis diem et incipiebat et finiebat; in omni paullo graviore casu praeterea ad eas recurrebat. Solebat ipse domi suae praesentibus etiam ministris domus orationes habere de evangelica veritate et Christianae pietatis officiis; a sacris publicis autem ne graviore quidem valetudine se retineri passus est. Cum orationibus evangelicis cantu sacro, per Lutherum in lingua vernacula instituto, inprimis gaudebat. Lectioni multum temporis tribuit, ita ut diem, quo nihil legisset, turpiter sibi periisse doleret; lecta autem ad verbum memoriter pronuntiare poterat. Cum bibliis sacris et Lutheri aliorumque similium libris de religione historicorum monumenta inprimis adamabat, ex quibus vitae humanae et regii muneris regulas sibi hauriebat. Neque minus mathematica et astronomica scientia mirum in modum oblectabatur;

reliqua quoque studia humaniora minime negligebat. Loco helluationum et aleae ei colloquia et disputationes cum viris doctis, theologiae, rerum civilium et caeterarum disciplinarum gnaris, erant, lectio propria et praelectio aliorum, psalmorum cantus et reliqua musica, cujus harmoniae nostro reipublicae bene constitutae jucundissima imago videbantur. Duo symbola Christianus usurpare solebat, quibus etiam aedificia sua saepe ornabat. Alterum hoc est:

Zu Gott mein Trost allein,
Sonst andern kein!

alterum autem hoc: *Ach Gott, schaff' Deinen Willen!* Respondet hisce conjugis Dorotheae symbolum verbis: *Alles von Gott.*

Defunctus est Christianus III. placidissima morte anno millesimo quingentesimo undesexagesimo, aetatis suae quinquagesimo sexto, inter librorum divinorum, cantus sacri et precum ad Deum solatia, admonitiones denique, quibus publicam salutem civitatis proceribus commendavit. Paucis diebus post patruelis ejus, Christianus captivus, cujus captivitatem noster jam dudum, quam primum sine periculo fieri posse videbatur, laxaverat, subito exstinctus est, ut ferunt, dolore ob mortem Christiani III.

Jam si ad nostra tempora et Fridericum VII. redimus, est sane quod gaudeamus illa, quae a Christiano fundata sunt, nostri quoque regis auctoritate et cura nobis conservari, et una quidem cum iis bonis, quibus decursu temporum aucta sunt. Ecclesia publice adscita manet ipsa illa evangelico-Lutherana, quae a Christiano III. ad nos pervenit, ita tamen ut per eam non impediamur ab omnium, ubicunque exoriantur, bonorum et verorum communione, sed ad hanc ipsam excitemur, ut praeterea aliis dissentientibus dissensionis suae libertatem facile concedamus. Ut haec autem fiant et recte fiant, ante omnia scientiae et litterarum lumine opus est, atque sedibus litterarum, academiis. Gratulemur igitur nobis maxime hoc nomine, quod Fridericus VII. academiam nostram Christiano-Albertinam similiter sustentat et auget, atque Christianus III. olim Hafniensem. Augustissimi regis summa benevolentia et munificentia ipso hoc anno egregia incrementa aedificiorum et apparatuum, quae ad academiam pertinent, nobis contigerunt. Laetabundi insuper salutamus et exspectamus tot viros clarissimos et doctissimos, disciplinarum gravissimarum praeceptores eximios, quos regis cura, vere paterna, hoc anno exoptatissimos nobis constituit collegas. Gratias ob tanta beneficia ex intimo corde regi nostro agimus, gratias agimus ante omnia Deo, quem precamur, ut salvum faciat regem! — Dixi.

1854. VII.
MEDIC. I.

DE

PROLAPSU INTESTINI RECTI.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

AUCTORE

TH. CLAUSSEN

ARROËNSI.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

1854.

Imprimatur.

Dr. *Stromeyer*,

h. t. Dec.

PRAEFATIO.

Chirurgia nostrae aetatis non modo alacrigue progressibus, sed praecipue ex praestat, quod physiologiam morborum chirurgicorum satis rospicera simpliciores therapiae medico-chirurgicae principia instituit. Item aetiologiam accuratius persecutaet ex- fiorem redderet studium. Hinc methodus empericatiua initio curas fracturarum aut methodus antiphlogistica glacie praecipue perficienda, modo idoneum membri situs servetur, primum locum obtinent. Quibus adiunctis methodum meliorem, in luxationibus curandis antagonistica musculorum functione inprimis nitentes, commendatae sunt. Certior hemiotomiae indicatio, praecautior operationis methodus, simplicior cura medicinalis chirurgica operationem insequens. Ad curam prolapsus uteri faciendam idoneorum usus externus et internus cum cachexiei chirurgicae, non modo mechanicae, sed dynamicum quoque morbo recidivo impertitus affirmati, conjunctus est. Quod, quotenus praecipue ad prolapsum recti infantilis spectat, paucis exponere licet.

Recti cum omnibus membranis prolapsus, quippe qui apud infantes fere solus observari potest, gravis quodlibet est intestinorum prolapsia, quam pars solo tantum sphincterum ani posita prohibatur et simul superior ejusdem pars in inferiorem demittatur. Prolapsus tamen nonnam tubulosum saltem ani gerit servabatur. Cruciatus vero est quidquoque vesicalis inflammati morbus et severitti maxime infantibus metastasis inferunt vel morbo longinqua debilitatis.

AETIOLOGIA.

Causae prolapsus recti infantilis diei solent alvus adstricta et persaverans, nimia flatulentii volumina, praecipue quum tenuiores in eas repellantur vel obstipi in vesica irritanda, diarrhoea persaverans caque inter dentitionem. Praeterea nimia vesicalis, tussis commotio, vomitus, nimia vitium exercitatio in cacre adhaerentis prolapsum efficiae consentit. Tandem denique hydrocephalus et hydrorrhachitides. At primaria inter causas causa raro consuescentiae. Sed vero haec nimia vel parum sphincteris ani, vel nimia laxitudo in causis supra dictis id inest, quod ad intestinali morbum humanum constitutionem proclivem reddat, per se tamen causae propter sphincteris ani vim et naturam prolapsum recti acere nunquam possunt, firmando siquidem vim vi satis nutrit. Qui tamen prolapsi infantilis contentionibus et tenbrorniae denique conserit, victus vim suam amittit. Item ad diarrhoeae longinquae

adsunt, sphincter contrahendi facultate privetur necesse erit, quum istae non solum omnium intestini membranarum ejusque maxime mucosae, verum etiam ipsius sphincteris relaxationem efficiant.

Nam si infantium anum intestini prolapsu laborantium accurate exploraveris, facile tibi persuadebis, talem sphincteris relaxationem obtinere. Istiusmodi infantibus non raro duo, tres vel quatuor digiti sine impedimento in rectum induci possunt, sphinctere ne ullum quidem contrahendi vestigium prae se ferente, ne infantibus quidem ullum dolorem sentientibus. Contra sanis infantibus, si unus digitus inducitur, et quiritatio accitur et magna sphincteris contractio. Facilitas, quacum digiti in anum induci possunt, minor major est quoad prolapsus magnitudinem et morbi temporis spatium. Postquam prolapsus diutius mansit, si anum paullum diducis, plicae facillime evanescunt et orificuim magis minus aperitur.

DIAGNOSIS.

Intestini recti prolapsus disquisitio multis difficultatibus non est subjecta neque prolapsus apud infantes cum quoquam alio malo mutetur vix licet. Primum parva recti pars in desidendo mucosus tamquam nodulus obditus cernitur, qui post dejectionem alvi regreditur; fit vero non raro, ut pars semper rediens magis magisque augeatur et dejectione alvi facta, ante ani orificium ramaneat. Tum interdum prolapsus plures digitos exstat, subruber est et si attigeris, dolore afficietur, rotundus est vel oblongus, cujus exitus in inferiore parte positus dejectioni servit. Sin vero una intestini paries prolapsa est, excrementa aut post aut ante partem prolapsam abeunt.

Quando prolapsus nondum diu permansit, tunica mucosa naturam normalem conservat, quando longinquior fuit et continuo vel aëri vel vestium tactui obnoxius densatur, pallescit et firmior fit. Saepe fit, ut in membrana mucosa et excoriationes formentur et ulcera, neque raro prolapsus, dum negligitur, inflammationem et gangraenam subit.

Prolapsus recti quamvis molestum malum, tamen, ni cum aegro tenesmo et assiduo, cum gravioribus casibus raro conjunctus, sine dolore exit. Periculosus autem erit in prolapsus incarceratione per ani sphincterem, quod si fit, inflammatio aut gangraena partis prolapsae ingruunt, quod tamen ita rarissimum est, ut relaxatio sphincteris ani ejusque paralysis creberrimae sunt.

PROGNOSIS.

Prognosis alia erit, prout malum majus aut minus vel prout magis aut minus longinquum erit. In universum apud infantes prognosis non est infausta. Abit prolapsus saepe amotis causis, in quibus erat ad malum dispositio vel plerumque brevi

sanatur, sive sphincter ani puero adulto firmior fit, sive curatione idonea amissa contrahendi facultas restituitur.

THERAPIA.

Proposita est curationi prolapsus reductio et retentio. Quare, qui posteriorem finem assequi velit, id cogitare debet, ut causam, ex qua ortum sit morbum, tollat.

A. *Repositio.*

Prolapsus si parvus et recens, reduci potest levi manus pressione, si diutius perseveravit et insigni est magnitudine, aegrotum fac cumbere, ita ut clunes sublimes sint corpus prorsus versum, quo musculi abdominales relaxentur vel fac eum ante te sistere, ita ut deorsus versus femora varicet. Medicus tum nates facit diduci, par digitorum oleo bene unctorum, alterum utrique lateri, proxime ab orificio ani apponit, sic sensim paulatimque semper istam intestini partem referre studens, quae ultima prolapsa est, donec repositio omnino perfecta erit. Quod si factum est, unus digitus sequatur, ut prolapsam partem in normalem locum prorsus referat. Denique aegrotans per tempusquoddam in positione aequa sit necesse erit, ne intestinum denuo prolabatur. Prolapsui plures digitos exstanti talis curatio plerumque non sufficit. Tum dexteri digitus index in prolapsus orificium inferendus est, quocum pars prolapsa intus inflectenda, cum sinistri digitis margo retinendus est, index paulum retraheneus et denuo altius inducendus, ut repetita versatione prolapsus referatur. — Difficilior fit vel irrita repositio non raro eo, quod infantes inter reponendum vehementer clamant, respirationem cohibent et premunt vel alias commotiores videntur. Quando prolapsum intestinum persiccum erit, repositio facilior fiet, si oleo unctum fuerit. Sin vero scybala dura repositioni obstant, haec antea clysmate amovenda sunt. Quando, quod rarissimum fit, incarcerationis signa ingruunt, spincter ani a latere aut in posteriore angulo insecandus est, ubi timendum non est, ne postea incontinentia alvi remaneat, dum haec ingruet, si incisio erit in anteriore angulo facta. Quae ratio speculi ani adhibendi rationi multum praeferenda est. Acres inflammationes intestini exstantis requirunt sanguinis detractiones, hirudines et ad anum appositas et ad ipsum intestinum, fomentationes frigidas, denique reductionem quam celerrimam, quippe quae ad inflammationem dissolvendam plurimum valet. Fomentationes calidae et relaxantes nec non cataplasmata non modo nil prosunt, sed potius nocent, quippe quibus partium relaxatio et intumescentia majores etiam fiunt. Gangraena intrante partem gangraenosam deseces vel naturae committas amovendam, cui idoneis etiam remediis adesse studeas.

B. *Retentio.*

Repositione facta observandum est, ne intestini prolapsus iterum obtineat, quod optime fit, dum causas impugnamus. His remissis apud infantes cum prolapsus repositione malum non raro in novis casibus ultra abit, intestinum vero normalem

conditionem et firmitatem recuperat. Quo crebrior vero obtinuit prolapsus, eo facilior redit, denique continuus fit, cui amovendo idonea curatio adhibenda est. Quae si fausta esse debet, ei proposita erit praeter causas amovendas non solum intestini prolapsi relaxationi resistere, verum etiam illam sphincteris ani inhibere. Ad hunc effectum eumque primarium et remedia pharmaceutica, qualia sunt in usu, referenda sunt et trita sanandi ratio chirurgica accommodanda est.

Primum igitur aut diarrhoeae, si quae adsunt aut obstipatio alvi perseverans et si quae alia obstant, tollenda sunt, universa denique atonia sanandi ratione instituta, remedia interna et tonica adhibente, amovenda est. Qua ratione creberrimum, topicis remediis simul adstringentibus adhibitis, sanatio perfecta fuit, tum ubi sphincter ani non erat nimis laxus. Diarrhoeae inflammatoriae, qualis in scrophula mesaraica observatur, mercurius dulcis cum magnesia usta optime respondet. Ceterum ani lavationes cum aqua frigida, clysmata frigida, aquae fusiones (franco-gallico dictae douches), injectiones decoctorum corticis chinae, radicis ratanhiae, corticis quercus et salicis caedemque vini rubri, aquae chalybeatae sunt adhibita, solutiones ex acido tannico, ex alumine crudo, pulveres adstringentes ad inspergendum commendantur, sacculi insuper substantiis adstringentibus impleti, spongiae vino rubro unctae insinuantur. Denique glacici particulae in intestinum immissae utilissimae fuerunt. Sic sphincteris ani relaxatio tolli potuit. Stromeyer illustrissimus ad eundem finem solutionem argenti nitrici concentratam adhibuit, quacum proximam ani regionem maxime bis in die illini fecit et sic in casibus non nimis vehementibus faustos eventus assecutus est.

Sphincteris vero relaxatio praecipue adultis persaepe tam magna est, ut partes immissas retinere ille non possit. Quod si instat, quin curatio chirurgica et tutissima et celerrima ad effectum eat dubitari vix potest, quum demum aliam quamvis sanandi rationem irritam afferas.

Ne intestinum repositum statim relabatur, spongiam cum T-fascia religandam imponi utilissimum est. Sic non solum levis pressio et continua exercetur, quae prolapsum retinet, verum etiam liquores et corroborantes et adstringentes ei applicari possunt. Ani tenacula Goochii, Juvillii et Richteri a recentioris aetatis chirurgis fere omnibus inutilissima refutata sunt. Aut enim ferri non possunt, quum epistomium, quod demum est in posterioris utriusque tenaculo, in intestinum immissum semper ut corpusculum alienum irritationem noxiam inferat, aut sphincter, cujus contrahendi facultas jam prius debilitata, magis etiam dilatatur et relaxatur.

His dictis, singulas operandi rationes percurrentibus, hae videntur maxime observandae, adultis quidem plurimum accommodatae.

I.

Prolapsus ani undique sanandi ratio, quam proposuit Dupuytren, haec est: Capessantur parvae plicae radiatae circum ani orificium, sublevantur et per longitudinem nec non pro numero, qui sufficit aequisque intervallis, forficula Cooperiana e

membrana mucosa excidantur. Prout relaxatio major minor utrinque bis vel pluries particulae exsecandae sunt. Cujusque plicae diametros semidigitalis sit. Quo facto, prolapsus reponitur. Ipsius operae nequaquam periculosae perpaulli sanguinis profluvii ansae exitus semper faustus esse dicitur.

Dupuytren hujus sanandi rationis effectum sic sibi informat, ut putet, substantiarum jacturas, quas susceperit aegrotans, ani orificium plicare, extensionem imminuere et vehementer intestini prolapsui obsistere. Quod quamvis post cicatrisationem suppetat licet, quum demum post tempus quoddam speratum foret, cicatrisatio tamen in omnibus casibus nunquam reputari potest, in quibus intestini prolapsus diu ante cicatricium telae formationem, immo unum vel duo dies post excisionem abiit. Quodsi evenit, certe ad contractionem sphincteris ani, quippe quae rediit, solam pertinet, quum contractionem jam inter operandum observare potueris.

II.

Praeferenda videtur Roberti sanandi ratio illi, quam exercuit Dupuytren, cui recidiva non prorsus abesse dicitur. Prolapsu reposito, inde a posteriore ani margine duas facit incisuras ad summum os coccygis versas, exstirpat sphincteris partem intra incisuras positam cum cute imposita et suturas applicat.

III.

Ferrum candens adhibitum idem efficit atque excisio. Applicantur quatuor ferra candentia circum ani marginem eo loco, ubi tunica mucosa et integumentum commune altera in alterum init, quod sufficere solet, quo sanatio instituatur. Ustio longitudine semidigitalis esse praecipitur. Accire censetur haec ratio inflammationem levem, qua tela submucosa cellulosa, ut se contrahat, incitetur et intestinum prolapsui proclive retineatur.

Quamvis verisimile sit, cauterisationem isto mode ad telam cellulosam pertinere, effectus tamen ultra locum ferro adtactum certe non longe procul extendetur, nec satis resistere potest levis illa inflammatio intestini partis prolapsui, quamvis cicatrisatio postea idem efficiat licet. Simul cum intestinum prolabi cessavit, quod non raro statim post operationem fit, convinci potest, utrum sphincteris ani contractio redicerit annon, eo quod digitum in aegroti anum inducis. Digitus tum constrictionem per sphincterem percipit, cujus vestigium antea non erat animadvertendum. Nonnunquam unius digiti inductio spincteris contractionem accit, qua alter digitus, quominus impetret, cohibetur. Immo interdum contractio parva temporis intervalla post digitum reductum remanet et infans, dummodo satis adultus, ut quod sentit, dicat, contrahendi sensationem in ano profitetur.

Attamen hanc encheiresin tam commendandam, quam simplicem mala sequntur. Remanent enim crebrum fissurae in recti mucosa et molestae et longiquae. Item et perseverantes exulcerationes et acerrimae oriri videbantur, quarum superficies

lardea, margines firmi et elevati. Quae cauterisationes ad cutem solam ani pertinentes, continentes paullas lineas, supra dictis praeferendae erunt et certe prorsus sufficient.

IV.

Maxime commendatur quinque vel sex ligaturarum applicatio, quae altera post alteram infantibus imponendae sunt, quippe quibus sensatio et inflammandi proclivitas major est, quam magis adultis. Cum filo acus curva extrinsecus oblique intus infigitur et rursus intrinsecus extra et hoc modo sexta pars prolapsus ambitus adstringitur. Acu amota, filum quam firmissime adtrahitur et nodo chirurgico nectitur. Tertio vel quarto die filum vetus extrahendum est et novum simili modo apponitur. Post septem dies partes ligatura inclusae per suppurationem detruduntur et tum alia pars subligari potest. Quando priorem applicationem periculosi casus non sunt secuti, secundo vel duo ligaturae apponi possunt. Numquam tamen licebit, ut totus prolapsus semel subligetur. Tum enim, si hoc feceris, eadem signa exstare possunt, qualia in hernia incarcerata. Simul atque totus prolapsus detrusus erit, remediis internis nondum opus erit. Morbus vero sanatus dici poterit. Sin opus erit, aegroto et inter sanationem et postea radicis rhei ope aut olei ricini desidendi facilitas praestanda est.

V.

Salmon per prolapsum acus, quales in osse leporino sanando usitatae sunt, priusquam operatur, perfigit et tum cum forfice plures mucosae partes amovit. Parcet tunicae musculari, quod, ni fiat, desidendi difficultates remanere putat. Sanguinis profluvium paululum esse solet et facile cohibendum, cum vulnus acubus extra teneatur. Acus apositae per horam manere praescribuntur, ne repositione facta, sanguinis profluvium ingruat. Acubus remotis, repositio fit, ut supra dictum est.

Attamen remedium in manibus habemus, quod vehementer excitans in systema musculare notum est, cujus usus operandi necessitatem multis in casibus supervacuam reddere diceretur, strychninum. Schwarz commendat extractum nucis vomicae remedium specificum contra quemque intestini recti prolapsum. Solvit unum vel duo grana in aquae drachmis duabus. Praebet infantibus post quatuor quasque horas sex usque ad decem guttas, infantibus natu majoribus ad quindecim guttas. Adhiberi etiam potest strychninum methodo endermatica, proxime ab ano apponendum, pueris maxime, quibus applicari potest inter anum et scrotum. Ratio cujus vis rectior ad finem ieret.

Quatenus electropunctura ad malum sanandum utile sit, experientia demum magis cognosci debet, quamvis iis, quae adhuc alias istiusmodi experimenta assecuta sunt, id compertum haberemus, electricitate musculi contractionem posse restitui, cujus aditus tam facilis, quam est sphincteris ani.

THESES.

Amputationes et exarticulationes chirurgia perfectiore et perfectissima rariores et rarissimae erunt vel fuerunt.

Cordis foetus pulsatio atque placentae strepitus sic dictus auscultatione, si percipiuntur, certissima sunt graviditatis signa.

Venaesectione in encephalorrhagiae curatione carere non possumus.

Morbi oculorum plurimi non topici, sed universales.

1854. VII.
MEDIC. II.

NONNULLA
DE
LIENIS FUNCTIONE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

ADOLPHUS HÜBENERUS
HEIDENSIS.

KILIAE.
EX OFFICINA C. F. MOHR.
1854.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *Behn*,

h. t. Dec.

Functio lienis usque ad nostram aetatem omnino fere ignota fuit, hac de re variae in medium prolatae sunt sententiae, quarum pleraeque in perversis praemissis positae erant, et omni veresimilitate carebant.

His omnibus praetermissis, priusquam meam hac de re sententiam accuratius exponam, tantum referam, quomodo reperta quaestionis microscopicae et chemicae in liene a Koelliker et Ecker et a Gerlach et Schaffner intelligantur.

Ex quaestionibus microscopicis satis patet, partes, quas invenit microscopium, tantum duplici modo interpretari posse, aut ad metamorphosin retrogressivam corpusculorum sanguinis, aut ad eorum neoformationem esse referendas.

Paucis mihi liceat referre reperta quaestionis microscopicae, quibus adducti contrarii hujus vel illius conjecturae susceperint defensionem.

In vesiculis Malpighii, in vasibus sanguiniferis, praecipue autem in pulpa lienis ex Koelliker praeter alia haec inveniri solent elementa:

1) nuclei;

2) cellulae, quae nucleos continent, nec raro corpora rotunda, in quibus demum aqua adposita membranam et nucleum distinguere potes;

3) corpuscula sanguinis;

4) cellulae, quae praeter nucleum, qui raro tantum deest, plures ad decem omnino non, aut parum mutata corpuscula sanguinis continent;

5) flava, rotunda et irregularia graua magnitudine, quae parum ab ea corpusculorum sanguinis differt, et dispersa, et in rotundos cumulos congregata;

6) cellulae, quae variam eorum granorum copiam continent, quae supra descripsimus, interdum corpusculis sanguinis, quae varia stadia evolutionis praebent, immixta.

7) Inter flava et fusca grana, quae in cumulos congregata sunt, et magnos, flavos aequales glomerulos et globulos formationes intermediae reperiuntur, quae interdum etiam in cellulis continentur, nec raro tam perfecte cellulas explent, ita ut demum,

aqua adposita, membrana distingui possit. Hos globulos ex singulorum granorum conglutinatione prodire, aqua, acido acetico, et alcalibus adhibitis, facile cognoscis, materia enim conglutinante his reagentibus soluta, in grana, ex quibus exorta sunt dilabuntur;

8) praeter haec flava grana saepe etiam magna copia granorum, quae colore carent, varia magnitudine, et libera, et in cellulis inclusa conspicitur.

Paucis ante annis Koelliker, cui de histologia corporis humani tam eximias debemus quaestiones. ex his observatis prodire contendit, in liene permulta sanguinis corpuscula iuterire. Eodem fere tempore Ecker, Koellikeri quaestionum plane ignarus, similes rationes observabat, quibus ad eandem pervenit sententiam. Hujus conjecturae praecipuum argumentum est hoc. Cellulae corpuscula sanguinis, aut grana pigmenti continentes non solum in liene reperiri solent, sed etiam in renibus, hepate, cerebro, peritonaeo, ubicunque extravasatum sanguinis existit, si commutationes, dicunt, quas ineat sanguis effusus, persequeris, eaedem tibi occurrunt formationes, quas supra descripsimus et ea de causa cellulas corpuscula sanguinis continentes etiam in liene ejusdem esse originis, ideoque lienem organum esse habendum, in quo permulta sanguinis corpuscula intereant.

Cellulae corpuscula sanguinis continentes a Koelliker et Ecker in liene detectae et modo supra relato explicatae, a Gerlach et Schaffner, qui iisdem quaestionibus studebant, alio modo interpretatae sunt. In his enim sanguinis corpuscula originem ducere existimant, et itaque lienem esse organum, quod ad sanguinis corpuscula excolenda, conferat. Non resolutionis stadium significare illas cellulas, dicunt, sed novae formationis momentum, in cellulis enim colore carentibus endogena formatione gigni sanguinis corpuscula, nucleis jam antea exortis.

Quod nunc attinet cellulas, quae sanguinis corpuscula continent, in cellulis exorta, aut jam exculta a membranis circumdari, cogitari possunt. Ad hanc quaestionem decernendam, necessarium erit, et decursum evolutionis harum cellularum persequi, et inquirere qua conditione etiam in aliis locis, quam in liene exoriantur.

Pulpa lienis, ut jam antea commemoravimus, continet nucleos et cellulas varii contenti, modo sanguinis corpuscula continent, modo eodem tempore grana flava, fusca, nigricantia, varia forma et magnitudine, reperiuntur quoque cellulae, in quibus nihil aliud, nisi grana pigmenti percipiuntur. Quae quum variae cellulae sine dubio varia stadia evolutionis significent, quam quaeque percurrat, necesse sit, et haematinum, ut ex quaestionibus a Scherer de pigmentis urinae institutis veresimile est, vi oxygenii ex proteino proficiscatur, quis sit earum ordo, facile intelligitur. Ex his necesse est, cellulae grana pigmenti continentes, ex iis prodeant cellulis, quae corpuscula sanguinis contineant, neque ex his sanguinis corpuscula exoriantur,

Hoc haec sententia a Gerlach defensa jam satis refutata mihi esse videtur, inquiramus autem, causas, quas ipse profert. In hepate embryonum easdem reperimus,

inquit, cellulas, quae sanguinis corpuscula continent, nunquam autem in liene, quae post partum in liene inveniuntur, easdemque magnitudinis diversitates praebent, quas postea in liene ostendunt. Ecker in quaestionibus hac de re institutis semel in foetu hominis, pluries in foetibus oviuin cellulas vidit, sanguinis corpuscula continentes, in plurimis aliis autem harum nullum vestigium invenit. Quae quum non constanter observari soleant, recte Fcker conjectatur, has cellulas esse originis pathologicae, in tenera enim hepatis structura facile gigni possunt extravasata. Praeterea non veresimile est, quum in tot et tam variis locis reperiantur, in omnibus his locis originem sanguinis corpuscula ducere. Quamvis haec sententia originis corpusculorum omnino sit rejicienda, tamen his factis uon repugnat opinio, in liene non solum interire corpuscula sanguinis, sed etiam in hoc organo procreari.

Si utramque sententiam accuratius consideramus, neque iis assentire possum, qui endogena quadam cellularum formatione in liene gigni putant sanguinis corpuscula, quae alio modo, ut postea exponam, mihi videntur exoriri, neque iis, qui in lienem sanguinis corpusculorum interitum collocant.

Recordemur breviter, quae sint conditiones et quomodo exoriantur corpuscula sanguinis. Unius cujusque cellulae organicae conditiones sunt proteinum et pinguis, e quibus quum exortae sint cellulae, in systemate vasorum vi oxygenii expositae, eas ineunt transmutationes, quas supra exposui. Quum dispositio ejus generis glandularum, quod *Blutgefässdrüsen* nominamus, sit ejusmodi, ut sanguinis motus retardetur, necesse sit, quid sequitur? Cellulae illae, ex quibus prodeunt sanguinis corpuscula ob retardatum sanguinis motum diutius vi oxygenii sanguini, ut ex Magni quaestionibus patet, mechanice immixti exponuntur, ideoque sanguis, quem continet vena lienalis majorem copiam recentium corpusculorum sanguinis ostendere, necesse est. Quum autem non solum, si adsint proteinum et pinguis, oxygenio evolutio corpusculorum sanguinis efficiatur, sed etiam eodem modo jam exculta eas supra commemoratas ineant transmutationes, quae ad eorum interitum spectant, copia aucta sit, non necessarium est, sanguis autem, quem vena lienalis continet, materiis decompositis, quae ad partem quidem bilificationi inserviunt abundat. Ea de causa hoc opprobrium, quod fecerunt hanc sententiam repugnantes, non auctam copiam corpusculorum percipi, est nullius momenti, quum eadem ratione, qua nova exoriantur corpuscula, vetustiora intereant.

Vidimus, materiis datis, et evolutionem et interitum corpusculorum sanguinis oxygenio effici. Itaque necessarium est, hunc processum ubique locum habere, quo corpuscula sanguinis oxygenio exposita sint, breviter in toto systemate vasorum sanguiniferorum, in liene autem, aliisque glandulis, exempli causa in glandulis lymphaticis, quum diutius ob vasorum dispositionem oxygenio exposita sint, commutationis majorem gradum assequuntur. Hujus rei analogon in respiratione invenimus. In inferioribus enim animalibus tota corporis superficie oxygenium in sanguinem recipitur, et materiae ejus vi decompositae forma acidi carbonici etc. exernuntur, si nunc in superioribus

animalium classibus exoriuntur organa, quae harum materiarum decompositarum excretionem suscipiunt, tamen nihilominus tota corporis superficies excernere non desinit.

Ex his satis liquet, in liene non solum corpuscula sanguinis interire, sed etiam novas exoriri, porro lienem non esse unicam sedem hujus processus, sed eum ubique locum habere, quo oxygenio exponantur eae cellulae, ex quibus prodeunt corpuscula sanguinis.

Anatomicae recentioris temporis quaestiones ad eam nos perducunt sententiam, ut lienem maximam nostri corporis glandulam lymphaticam esse, putemus. Lien ad maximam partem e vasibus constat sanguiniferis, quibus vasa lymphatica ita immixta sunt, ut glandularum lymphaticarum similis inde oriatur structura. Vesiculae Malpighii, quarum parietes vasorum sanguiniferorum ramificationi inserviunt, ex Schaffner ita cum vasibus lymphaticis conjunctae esse videntur, ut eorum amplificationes appareant. Pressas enim vesiculas semper in una, eademque directione contentum evacuare vidit. Itaque etiam ex his conjecturam facere licet, lienem non esse organon, in quo solum intereant corpuscula sanguinis, sed etiam ad ea excolenda conferat.

Si pathologicas respicimus rationes, illis quoque ea, quam de lienis functione proposuimus, sententia probari videtur. Omnibus enim in morbis, in quibus minor est actio hujusce organi, sanguinis corpusculorum copia minuitur, et inexcultis et vetustis praevalentibus. Quod inprimis in febre intermittente nobis obviam venit, quae cum tanta lienis sese conjungere solet intumescentia, quantam nullo alio in morbo observare possumus. Quamquam non negari potest, contagium in sanguinem receptum, normalem cellularum sanguinis formationem, impedire posse, tamen praecipuam hujus facti causam in affectione lienis, quaerendam esse, existimo. Eximiae exstant Henrici Meckelii quaestiones, qui in febre intermittente eandem invenit sanguinis mutationem, sanguis enim inexcultis et vetustis corpusculis abundabat, quae et impeditam novam formationem, et impeditum interitum significare videntur.

Post lienis denique exstirpationem in animalibus institutam glandularum lymphaticarum intumescentia, et inprimis earum, quae in mesenterio positae sunt, observari solent. Hoc factum facile ex sententia a me prolata intelligitur. Glandulae enim lymphaticae, quum eandem, ut lien habeant functionem, hoc organo remoto, ad partem quidem ejus partes suscipere necesse est, unde auctum glandularum lymphaticarum volumen.

THESES.

1) Calcaria phosphorica non assimilatur.

2) Symptomatum complexus, quem in morbis contagiosis invenimus, praesentia materiarum decompositarum in sanguine provocatur.

3) Sectio alta non omnino est rejicienda.

4) Aucta secretione colatoriorum et inprimis hepatis saepe morbi eruptionem impedire possumus.

1854. VII.
MEDIC. III.

DE

HEPATIS ABSCESSIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

GUILIELMUS RUGE

HEIDENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

1854.

Imprimatur.

Dr. *W. F. G. Behn*,

h. t. Prodec.

Doctrina illa, quae de hepatis morbis agit, inter obscuriores pathologiae partes numeranda est. Nam de hepatis morbis quae ab antiquioribus medicis observata et tradita sunt, eorum pauca firma ac probata sunt, et novissimis demum temporibus anatomiae et physiologiae experimentis accuratius institutis aliquam pathologicorum hepatis affectuum cognitionem nacti sumus, quae tamen ea scientia, quae nobis de ceterorum organorum pathologia est, multo minor est. Quo minus hepatis morborum naturam et processum facile et penitus perspiciamus, partim eo impedimur, quod illius glandulae physiologica, ratio satis intellecta non est, partim quod hepatis secretum, fel, dum vivitur, a nobis explorari non potest, partim quod hepar ipsum tam difficilem aditum habet, ut manibus explorari vix possit,

Casu hepatis abscessus quodam, qui hieme proxima hic observatus est, cujus postea mentio erit facienda, commoti, hunc processum pathologicum accuratius explicare tentavimus.

Hepatis igitur abscessus etsi saepissime describitur, tamen in rariorum morborum numerum referendus est. Saepissime nihil est nisi primariae hepatitidis parenchymatosae eventus, praeterea potest a metastasibus, quae vocantur, profectus esse. Quae variis processibus excitantur, primum processibus pathologicis ventriculi, canalis intestinalis, ductuum biliferorum, velut ulceribus, carcinomatibus harum particularum et operationibus, quae in his particulis exercentur, tum suppurationibus quae in aliis corporis particulis oriuntur. Ut variae sunt causae hepatis abscessuum ita horum pathologica anatomicaque conditio varia est. Si ab hepatitide parenchymatosa abscessus ortus est, hepar amplificatum esse solet. Admodum raro evenit, ut si mors aegroti sive per vim sive aliis morbis adducta inciderit, priora abscessuum stadia observandi occasio tibi offeratur. Tum in locis nonnullis, quum non tota glandula in hepatitide parenchymatosa sed singulae particulae tantum aegrotent, hae hyperaemiacae et tumidae inveniuntur. Parenchyma illud marcidum et molle et gelatinoso exsudato infiltratum est. Quo majus exsistit plasticum illud exsudatum, eo apertius primarius parenchymatis

vidit, quo tempore ejus conditio haec inventa est. In poplite dextro animadversus est tumor ad pugni magnitudinem accedens, fluctuans et eodem tempore, quo pulsus radialis, eademque celeritate palpitans, qui moveri et trahi non potuit et a superiore tibiae condyli parte oriri visus est. Accedit, quod totus poples valde distensus fuit, et tumor ad suram usque propagatus est. Arteria femorali compressa pulsatio omnis sublata est et, quum illa premeretur, tumor ipse et poplitis distensio evanescere et extingui visa sunt. Postquam tumor ictu percussus est, quod cute detracta effectum est, materies, quae inclusa fuit, quaeque sanguine nigro commixta, remota et effusa est, atque specillum per foramen intrusum in tibiae ossa periostio denudata et confraga incidit. Priusquam horae partes sexagesimae decem decurrerent, cavea rursus repleta exstitit, tumor aeque distensus eademque amplitudine apparuit et palpitare tam vehementer perseveravit, quam antea solitus erat. Etiam quum premeretur tumor, fieri solitum est, ut pars ejus materiae, quam tumor continuit, effunderetur itaque tumoris latitudo imminueretur. Ipsa genu articulatio minime fuit afflicta, etsi natura sequitur, ut id quoque, quum tumor in poplite situs esset, multum fuerit impedimentum, quominus genu flecteretur, quod quoad permissum fuit et perfici potuit, libere neque cum ullo aegrotantis dolore potuit effici. Plurium medicorum consilio habito, ea sententia probata est, morbum illum aneurisma per anastomosin habendum esse, et, quia genu articulatio nondum afficta exstitit, illud inter medicos convenit, ut arteriam femoralem substringandam esse arbitrarentur. Quod die decimo mensis Martii perfectum est, neque cum nimio labore nec difficulter eo perventum est, ut arteria, ubi musculorum cruris adductorum canaliculum intrare incipit, substringeretur. Aegrotantis status bonus permansit, et quum die decimo sexto post operationem factam ligatura decideret, ambitus, quem tumor in poplite effecit, digitis duobus coarctatus et reductus est. Iam vulneris illius pars maxima coaluerat, quum die quarto, postquam ligatura decidit, haemorrhagia subito e vulnere exsisteret minor, quae profusio per sequentes dies bis repetita est, et tertium incidens multum sanguinis effudit. Per quatuordecim dies comprimendi auxilio advocato et continuo adhibito id cautum et prohibitum est, ne iterum atque saepius sanguinis profusiones inciderent, et effectum est, ut vulnus totum coalescens cicatrice obduceretur. Interea tumoris amplitudo augeri et crescere incepit, etsi pulsatio in eo postea animadversa non est. Remedia, quae tumorem resorberent et extinguerent, multa et diversa usurpata et adhibita sunt. Ita plures menses evanuerunt, per quos homo aegrotus saepius e naribus sanguinem profundens inventus est; denique febris hectica orta est simulque glandulae inguinales dolore hominem afficere et intumescere inceperunt. Qualis quum aegroti conditio inveneretur, medici mox desierunt sperare fore ut homini pedem servare possint et amputatione membrum circumcidere aggressi sunt. Quum iterum sectura in summo tumore facta exploraretur, ossis hypertrophia non exigua occurrit, quae tactu horrida et aspera apparuit. Ex hoc secturae vulnere sequentibus diebus massa quaedam efflorescere

incepit, quae spectem fungi meeullaris praeberet; mox suppuratio orta, qua genu quoque articulatio affecta est. Aegrotans simul catarrho gastrico laborare incepit, qui magis magisque aggravavit, atque deliria jam saepius animadversa sunt. Diebus aliquot interjectis gravitas horum malorum nonnihil oppressa, pulsus sedatus et quietior redditus est, quare medici nihil antiquius habuerunt, quam ut ad amputationem quam celerrime festinarent, quae die octavo mensis Augusti peracta est. Vasorum collateralium dilatatione, arteria femorali substricta, orta factum est, ut undecim arteriae substringerentur necesse esset. Aegrotans ipse statim post amputationem perfectam sese levari et quasi revivisse animadvertit, seque ab onere molestissimo liberatum esse opinatus est. In universum valetudo ejusdem quotidie melior evenit; postquam fames rediit et pulsus ad statum naturalem redactus est, Chinae cortice adhibito vires etiam mox redierunt. Glandulae etiam inguinalis, quae intumuerant, residere inceperunt. Vulneris ex amputatione orti sanatio aliquantum retardata est, quum e marginibus vulneris distractis extrema ossis pars aliquantum emineret, in qua vero brevi tempore granulationes bonae exortae sunt, ut hebdomade sexta post operationem factam, totum vulnus cicatrice obductum fuerit. Aegrotans, qui bene florescens et vigens dimissus est, nihil habuit, cur quereretur, nisi quod pedem se perdidisse doluit, et hoc ipso tempore, quum fere duo anni post amputationem factam intercesserunt, perfecta Krusii valetudo nulla re interrupta est.

Jam eo devenimus ut de pathologico anatomica praeparati ratione disputare aggrediamur, ubi res hoc modo comparatae inveniuntur. Tumor ad pugni magnitudinem duplicem accedit, et in inferiore poplitis parte imprimis eminet; a posteriore parte genu articulationis ligamenta et capsula turbata sunt; femoris condyli in maximam partem et integumentum cartilagineum leve est, nisi quod in interioris condyli loco quodam angusto cartilago detrusa et os ulcerosum invenitur. Contra tota tibiae epiphysis perturbata est, fragmenta breviora longiorave hujus ossis in caveam quandam pure refertam progrediuntur, in qua alia minutiora ossis fragmenta secreta et disjecta cernuntur; fibulae autem capitulum incolume restat.

In ipsius tumoris sectura, si intus proficisceris, massae tres coactae et collectae animadvertuntur. Quarum extrema, quae a cute proxime sita invenitur, cujusque crassitudo fere 1 — 2″ amplectitur colore cano est, et firmitate et specie ad arteriae cutem concrassatam accedere videtur, facillime tamen discinditur. Vasa majora minoraque multa, quorum nonnulla admodum dilatata et lumine excellentia exsistunt, massam eam penetrare et occupare videntur, qua brassicae similia illa per secturae foramen emergentia elementa provenerunt. Ab interiore hujus parte altera massa occurrit, quae partim solida friabilis, partim liquefacta exsistit, quae tacta dilabitur. In hunc pure refertum liquorem, qui extrinsecus ab exterioris strati pariete levi partim includitur, intrinsecus promanant et intrant rami aliquot acuti massae tumoris primariae, quae pugnum magnitudine aequiparat. Haec massa, quae a tibia moveri

potest, formam irregulariter rotundam praebet, firmitatem majorem nacta est, quam qua ossa reliqua ipsa esse solent; nec nisi serra eam aggrediaris licet. A partibus inferioribus et a lateribus hae massae paullatim coaluerunt, ut in locis nonnullis firmior tumoris pars superficiem attingeret eoque extenderetur, dum in aliis locis molliores illae partes latidudine superaverunt.

Pseudoplasmatis partes quum speculo microscopico explorarentur, haec inventa et animadversa sunt. Extremae massae, quae fibris constare et exstructa esse videtur, particulae contignationem quandam solidam exhibent, quae e latis fibris constat, atque texturam, quae intervalla minora et inaequabiliter comparata efficit, in quibus cellae granis impletae aut grana singula dispersa reperiuntur. Quarum cellarum forma rotunda esse solet, et paucae sunt, quae in longitudinem extensae et ramis acutis propagatae inveniuntur. Si contra inferius collocatarum tumoris partium fragmentum affertur et exploratur, passim fibrarum textura quaedam conspicitur; cum massis friabilibus et deformibus cellae complures conjunctae inveniuntur, quae quoad oculis perspici potest, ad varios perfectionis gradus provectae esse videntur. Dum hae tales apparent, quales in extrema massa nobis occurrerunt, plurimae formam plane diversam exhibent, ramis aut majoribus aut brevioribus ornatae sunt, qui rami hic illic inter se jam connexi videntur. Si quaeris, quid hic cellis contineatur et includatur, in recentissimis etiam num grana remanent. Quae vero longius provectae sunt, eae friabili massa gravidae et impletae inveniuntur; quae jam adultae et perfectae exsistunt, quarum rami jam inter sese conjuncti sunt, eae totae calcis salibus quibusdam refertae inveniuntur, et plane eandem formam exhibent, quam perfecta ossis corpuscula. Sectura in tumoris massa duriore facta, ossis textura microscopica perspicue animadvertitur.

Jam hoc, quod praeparato nostro explorato inventum est, si cum iis comparare incipio, quae ab Joanne Muellero de carcinomatis osteoidis natura ac conditione narrata et allata sunt, a partibus, quae summae habendae sunt, omnibus illud cum his congruere invenio. Microscopica illa texturae conformatio tota, partes exteriores perforatae et fragiles, firmitas ejus massae primariae, quae integri ossis texturae simillima est, quae coarctata et compacta videtur, nec bullae more inflata et turgida nec cum osse, a quo profecta et nata est, arcte conjuncta est, sed os ipsum perturbavit, denique quod texturae illae, quae proxime collocatae reperiuntur, pseudoplasmatis metamorphosi illa comprehensae sunt, his rebus omnibus moti eo venimus, ut jure videamus illud statuere, casum hunc haberi, qui ab omni parte cum osteoidis indole et natura concinere dicendus sit. Unum solum mihi obvenit, quod ab illis, quae Muellerus describit, alienum esse videtur; hic enim refert, tumoris partem illam, quae ossis naturam nondum secuta est, canam esse et superficie verrucosa instructam firmam materiam, quae confringi non possit, neque fungo medullari ab ulla parte similis sit. Quare illud imprimis animadvertendum esse habui et urgere non omisi, quod hujus praeparati massa illa mollis et fragilis apparuit et facile confringi potuit; pariter ea

materia, quae paucis diebus ante amputationem factam e tumoris incisura illa effusa est, speciem fungo medullari simillimam aperte praebuit. Quam massae illius mutationem valde probabile est effectam esse, quod aer atmosphaericus extrinsecus per secturae foramen ammissus nonnihil valeret necesse fuit, quo certe suppuratio diebus extremis excitata esse dicenda est. Certe mollities illa et suppuratio tam celeriter orta cogere videntur, ut huic pseudoplasmati locum tribuas carcinomatis quam maxime affinem. Quod quo minus facias, obstat quidem e contrario illud, quod amputatione facta eventus tam felix sequutus est, quod glandulae inguinales jam infiltratae tam celeriter ad normam restitutae sunt, denique quod indicium nullum adesse videtur nec per annorum duorum spatium incidisse, quo in partibus sive interioribus sive exterioribus recidivi aliquid remansisse suspicari possis, quare ad hoc usque tempus jure certe dixeris, pseudoplasma illud natura grave et perniciosum esse vix potuisse, praesertim quum amputatio tempore iniquissimo ad rei naturam exacta sit.

Alia res, quae in hoc casu causa fuit, cur in diagnosi instituenda medici aberrarent, ejusmodi est, ut accuratius inspici et disputari debeat. Nam si causas spectamus, quae in tumore quodam pulsationem, si aneurisma nullum observatur, excitare possint, Stanley jam tres hujus eventi causas attulit: 1, majoris arteriae stirpis vicinitatem; 2, sanguinis vasa et cellas ita institutas, ut genus quoddam textnrae erectilis efficiant; 3, dilatationem vasorum ossis, a quo tumor profectus sit. Jam in illo praeparato arterias admodum dilatatas et distensas reperimus, etsi nullas praeter molliarum tumoris partium arterias, et in eo jam putavimus causam positam esse idoneam, quae pulsationem bene et prospere adjuvaret; si tumoris rigorem a tibiae parte, si integumentorum crassitudinem quandam et firmitatem addimus, satis illa res explicata et expedita nobis videtur. Cujus pulsationis causa si medici initio morbum ossis aneurisma esse putaverunt, multa fuerunt quae illud evincere viderentur, partim, quod illud admodum maxime invenitur collocatum in ossium epiphysibus et inprimis in genu articulatione, partim quod satis repente tumor exsistere solet antecedente quodam labore vehementiore advocatus, etsi cetera omittimus quae cum aneurismate communia sunt. Tumoris auscultatio neglecta est, qua instituta stridorem quendam auditum fuisse probabile est, nec multum ad diagnosin constituendam ea contulisset, Quum tangeretur, tumor crepitans inventus non est, sed quum diutius comprimeretur, aliquantum minor evenit. Deinde quod praeterea ad hujus casus diagnosin pertinet, pseudoplasma hic observari non potuit probari, antequam satis brevi tempore, ex quo arteria femoralis substricta est, tumor crescere incepit, etiamsi pulsatio nulla inventa sit neque idcirco potuerit statui, saccum aneurismaticum collateralium vasorum cursu restituto et ambitu repletum esse. Quo certius tumori maligni pseudoplasmatis natura tribueretur, illud argumentum maxime firmum fuit, quod paucis ante amputationem institutam diebus e secturae foramine materia quaedam enascens animadversa est, quae brassicae botrytidis speciem habuit, quam fungus medullaris habere solet.

THESES.

1) In luxatione humeri reponenda Mothii ratio ceteris rationibus antehabenda est.

2) Abortus arteficialis nonnumquam adhibenda est.

3) Chyli motus vi mechanica efficitur.

4) Hyperaemia cerebri exsistit.

Digitized by Google

1854. II.
MEDIC. V.

D E

INTESTINORUM INTRA CAVUM ABDOMINIS DISLOCATIONIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA CHRISTIANA ALBERTINA

SCRIPSIT

LUDOVICUS ECKERMANN

GLUECKSTADIENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

1854.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *W. F. G. Behn*,

h. t. Prodec.

Digitized by Google

Intestinorum situs praeter normam immutationes et congenitae, et, quod multo quidem frequentius accidit, acquisitae observantur. Illae minoris sunt medico praetico momenti, sive, quia neonati vitiis talibus affligati vitam producere omnino non possint; sive, quod, vitio minore, damnum quoddam vivis istud vix afferat. Tali modo non ita raro evenit, ut hominum qualibet morbo exstinctorum obductione instituta traetus intestinalis pars, quum diaphragma vitio primae formationis imperfecte conformatum sit, hujus sacco quasi involuta majore ex parte in thoracis cavo posita reperiatur; vel ut colon transversum, quod transverse per abdomen decurrere debeat, in formam arcus deorsum consederit. Quae tamen omnia persaepe nil detrimenti valetudini afferunt. Sita etiam fuisse intestina cum aliis visceribus e vitio congenito in opposito latere, exempla nonnulla demonstrant; quod imprimis observatum est in intestino coeco et duodeno.

Majoris vero multo discriminis intestinorum situs anomaliae sunt, quae, dum vivitur, oriuntur. Quae quidem valetudini et ipsi vitae talis sunt momenti, et symptomatibus tam gravibus stipantur, ut jam a primo artis medicae initio, — morborum cognitione, praesertim quod attinet ad processuorum morbosorum fundamenta pathologico-anatomica, non, nisi, imperfectissime exculta, tamen morbus iste medicis notus esset, et prae ceteris eorum studia cogitationesque occuparet. In quorum scriptis legendis medicos veteres unice paene mali symptomata exquisivisse accurateque descripaisse animadvertimus, origines vero morbi causales varias omnino negligentis. Omnes enim passionis varietates nomine „ilei, miserere mei, Chordapsi, volvuli“ designaverunt. Quibus nominibus omnes intestinorum conditiones autores antiqui complecti solebant, in quibus stercora non satis, vel omnino non per anum, sed vomitu, simul cum doloribus et anxietate magna reddita sunt. Quo factum est, ut coproemeses omnis, non solum, quae intestinorum dislocationibus orta est, sed etiam, quam tumores fortuito in peritonei cavo siti, lumenque tractus intestinalis loco aliquo comprimentes, vel etiam stenoses carcinomatosae, ceteraeque causae effecerunt, ileus appellata sit. Jam Hippocrates stercus evomi observavit, et in scriptis ejus compluribus nomen ilei legitur. Galenus coproemesis originem ex intestinorum inflammatione deduxit. Celsus vero omnes omnino intestini tenuis morbos ileum dixisse videtur. Postea alii

illos sequutisunt, alii vomitum stercoris specificum et peculiarem morbum habuerunt. Novissimis demum temporibus, quum cadaverum sectiones frequentiores instituerentur, quum inciperent medici, mutationes pathalogico-anatomicas, morbus singulos concomitantes, aecuratius explorare; subtiliter eas interpretari, ex iisque morborum principia primordiaque judicare studerent, — tum demum manifestiorem etiam conditionum, quae ileum gignunt, cognitionem adepti sumus, et peculiarem ilei causam intestinorum varias situs conversiones, quae functiones eorum perturbant, cognovimus. Primam quidem, opinor, intestinorum variarum, quae ileum efficere possunt, conditionum expositionem diligentiorem promptioremque Rokitanski nobis tradidit; quam descriptionem illius auctioritatem sequenti autores posteri multis singulis observationibus supplerunt. Quo factum est, ut pauci forsan processus pathologici hoc tempore accuratius explorati sint, quam gravis ille et attentionem valde capiens morbus.

Conditiones tamen intestinorum pathologicas, quae symptomata illa procreant, si diligentius consideramus, duas praesertim intestini situs perversionum varietates maxime diversas proximas earum causas afferre, facile intelligimus. Quae sunt: *intestinorum incarceratio interna, et intussusceptio* sic dicta, invaginatio portionis intestini altioris in profundiorem. Quas quidem duas affectiones non, nisi symptomatibus similibus sibi affines, singulatim utramque pertractemus oportet.

I. INCARCERATIO INTERNA.

Intestinorum interna strangulatio horum intra cavum abdominis dislocatione nascitur, qua fit, nt tubi intestinalis lumen uno loco, vel etiam pluribus omnino, vel maxima ex parte concludatur, sicque impedimentum existat, quominus contenta more promoveri possint. Qui status triplice ratione effici potest. Primum quidem intestini segmentum parte illius alia, quae suqer illud procumbit, comprimi, interdum observatum est. Fit vero utplurimum, ut intestini tenuis laqueo tali modo crassi intestini segmen, imprimis colon ascendeus, constringatur. Praedispositionem huic malo praecipue affert mesenterium praeter normam longum, extenuatum, laxum, quod in senili praesertim aetate exsistere solet. Relaxata enim et extenuata mesenterii parte aliqua cum intestini portione illi adnexa ciborum reliquias flatusque diutius hic commorari et accumulari necesse est. Quae quum ita sint, facile fieri potest, ut pars illa intestini majore suo pondere, ut a loco dimoveatur, inclinata, neque mesenterio suc firmata situm justum deserens super intestini crassi segmentum jactetur, idque coarctet. Imprimis vero hoc malum homines invadit, qui, quum herniis magnis externis affecti sint, prae ceteris mesenterium hernia prolapsa distensum et dilaceratum posideant necesse est.

Deinde strangulatio efficitur intestinis circa axin suam, vel circa mesenterium aliudve intestinum ita contortis, ut inde clauderentur. Rarius autem torsio ista intestini circa propriam ejus axin conspicitur. Tamen colon ascendens aeque ad des-

Digitized by Google

cendens, ubi recto communicatur, peracta rotatione dimidia contorta fuisse exempla nonnulla nota sunt. Nec minus casus ille memorabilis, quem infra describere mihi licitum sit, flexuram sigmoideam torsione tali duplice circa semet ipsam contortam fuisse, stricturamque maxime implicatam effecisse demonstrat.

Alias alia etiam pars, flexura sigmoidea, coecumve, axis est, circum quam mobilior aliqua intestini portio, praecipue ergo jejuni vel ilei ansa, cum mesenterio suo se circumplicat, velutque annulus eam strangulat. Tandem etiam ipsum mesenterium axin formare potest, quum circa axin suam vertatur; quam quidem contorsionem intestinum, quod ejus limbo alligatur, secum trahere, simulque convertere, et ita ejus positionem mutare necesse est.

Denique porro intestini incarceratio excitatur, quum incidat illud in spatia angusta, hisque retineatur, et coarctetur. Sic nonnunquam observatum est, intestinorum ansam incasam fuisse in foramen Winslowii; vel rupto mesenterio omentove intestina ab apertura recepta atque strangulata esse. Omnium frequentissime vero accidit, ut intestina a fune quasi circumdarentur et constringantur. Quem funem utplurimum ligamentosum quoddam filum sub ulla peritonitidis specie ortum efformaverat; quod quidem a processu vermiformi, a coeco, vel a mesenterii peritoneive loco quolibet abiit, et alicubi ita adhaesit, ut annulus intestina constringens formaretur. Quae quidem incarcerationis species multo crebrius occurrit, quam illa, quae intestini circa axin torsione, vel compressione mechanica efficitur.

Mutationes tamen pathologico-anatomicas ex incarceratione interna emanantes si respicimus, primum intestini portionem supra strangulationis locum sitam contentis flatuque extendi laxarique observamus. Tunc sanguinis circulatio libera hic cessat, membrana mucosa aeque ac intestini integumentum serosum infiammatur, tunica muscularis massis exsudatis interpositis debilitatur, contentaque ut promoveantur, efficere amplius non potest. Denique tractus intestinalis paralysis totalis atque peritonitis exsistit, quae incarceratione non sublata mox mortem affert. Sectione facta intestini partes, quae strangulatae fuerunt, inflammata invenimus. Intestini partes inferiores fere vacuae et angustae apparent. Nec raro in peritonei cavo exsudatum et materia faecalis conspicitur.

Aetiologia. Causas inclinationem ad strangulationem internam afferentes, quae sunt imprimis mesenterium nimis longum, laxatum, dilaceratum, filaque fibrosa peritonitide defuncta relicta, jam supra commemoravimus. Nec minus intestini portionis dilatio abnormis, in eaque praeter normam contentorum accumulatio hujus mali origini favere videntur. Sed omnes hae res frequentissime occurrunt, neque tamen incarcerationem movent, quum laeve lubricumque tubum intestinalem involvens peritoneum, motusque peristalticus plerumque, ne incarceratio oriatur, cavet. Idcirco neutiquam frequens morbus iste observationi se praebet. Causae tamen proximae et occasionales affectionem hanc utplurimum moventes sunt vitia diaetetica, cibi nimii, duri, difficiles

Digitized by Google

concoctu, qui, quum minor tantum pars, ut digeratur, et resorbeatur, apta, majorem vero non concoctum canalem intestinalem permeare necesse sit, faeces copiosae, flatus, spasmos, obstructionesque excitant, et intestini dislocationi favent. Plerumque post vitium tale diaeteticum, vel interdum etiam post fortiorem corporis nisum repente incarceratio apparet.

Symptomatologia. Occasionalibus his causis anteactis repentino dolorem vehementem aegrotus in abdomine percipit, qui certam sedem habere solet, quemque abdominis intumescentia, tensio, anxietas magna sequuntur. Accedente tunc peritonei inflammatione tunicae intestinorum muscularis paralysi tympanitis magna mox oritur, qua diaphragma in thoracis cavum propellitur, angustiaque etiam pectoris et dyspnoea excitatur. Advenit deinde his signis vomitus, quo primo ventriculi contenta, tum massae biliosae, tandem etiam faeculentae ejiciuntur. Simul alvus aut tarda, aut plane obstructa est, quod accidit et iis, quibus symptomata supradicta leviores sunt. Quae tamen signa omnia remittunt et redeunt, dum postrema invasione aegroti vita exstinguatur. Morte vero imminente peritonitis, antea localis, totum abdomen occupavit, tactus et lenissimus, lodicis etiam levissimi pondus sustineri vix potest, tympanitis atque dyspnoea augentur, alvus perpetuo clausa est, bulbi in orbitas relabuntur, pulsus celerrime micat, bilis faeciumque vomitus frequentior adhuc advenit, partes extremae frigescunt, tandem demum mors laboribus statuit finum. Ante obitum plerumque omnium symptomatum fallaces remissiones apparent.

Nequaquam tamen semper, imprimis intestini portione una super aliam procumbente, incarceratio canalis intestinalis lumen plane concludit. Interdum per intestini segmentum tali modo compressum faeces liquidae etiamnunc permeare possunt. Quae quum ita sint, symptomata descripta gradum tam gravem vix ascendunt, et remediis purgantibus lenibus, quae inflammationem non augent, adhibitis nonnunquam effici potest, ut alvum continuo dejiciat aegrotus, paullatimque incaraceratio incompleta superetur. Quod si accidit, post obstructionem alvi solutiones copiosae apparent, dyspnoea, vomitusque remittunt, tantumque superest, ut peritonitidem localem relictam juste tractando paullatim sanitas aegroto restituatur.

Diagnosis. Ad cognoscendas certe symptomatum illorum causas primum quam accuratissime, utrum forsan inveniantur herniae incarceratae, inquirendum est. Tunc diligenter anamnesis respicienda, num fortasse strictura quaedam intestini adsit. Qua quidem aegroto laborante jam diutius abhinc alvus obstructa ei fuerat, faecesque duras, caprinas, fasciae planam formam imitantes ille dejecerat. Incarcerationem internam tamen ab intussusceptione satis dignoscere saepe difficillime et arduum est. De signis quidem, quibus interdum distingui possint, infra uberius disputabimus. Nec minus porro arduum est adcognoscendum, num compressione, an circa axin torsione, an in rimam angustam intestino incaso strangulatio interna efficiatur.

Digitized by Google

Prognosis, ubi strangulatio perfecta adest, plerumque funesta, ita ut jam Galenus fateatur, se neminem sanasse, qui stercus evomuerit. Mali imprimis praesagii est, si dolor ad summum gradum ascenderit, si vomitus continuo perdurarit, certaque mortis imminentis signa singularia: singultus, frigus extremorum, sudores frigidi, pulsus minimi, exiles, intermittentes accesserint.

II. INVAGINATIO, S. INTUSSUSCEPTIO.

Invaginatio intestinorum situs vitium dicitur, ubi intestini pars aliqua inversa, et alteram ejus partem vel inferiorem, vel etiam superiorem ingressa est; unde fit, ut tubi intestinales lumen angustius reddatur. Cujus tamen unius partis in alteram immissionis origini praecipue favet varietas voluminis intestinorum talis, ut pars amplior parti angustiori aditum permittat. Quod quum acciderit, intestini tunicae strato triplice sibi superponuntur, et quidem ita, ut stratum medium et externum mucosae membranae, stratum autem internum utrumque serosae superficiem sibi obvertunt. Stratum externum „vagina, incipiens“, stratum internum mediumque volvolus stricte sic dictus appellatur. Diutius tunc immissione permanente invaginatio non augetur, nisi vaginae solius inversione aucta, quod ipsius volvuli superficies sibi obversae serosae infiammatione mox inter se agglutinantur. Simul cum intestino inverso semper mesenterii etiam partem in vagina sitam esse perspicuum est; quod mesenterium distortum, complicatum, moxque intumescens inprimis efficit, ut brevi tempore canalis intestinalis lumen angustetur. Invaginatione quidem et intestinum tenue et crassum affici potest. Crebrius tamen accidit, ut jejunum vel ileum in colon ingrediatur, vel etiam coli pars superior in inferiorem, ita ut interdum etiam intestinum inversum ex ano procidat. In eodem porro tubo intestinali nonnunquam plures intussusceptiones observatae sunt. Plerumque vero invaginationes deorsum tendunt, attamen laudati autores etiam inferiorem intestini partem in superiorem immissam fuisse viderunt. Blasius in eodem cadavere, in quo plures tales immissiones aderant, aliam, sursum, aliam deorsum tendentes vidit. Haud raro etiam accidit, imprimis infantium obductione facta, ut ita constituta invaginatio reperiatur, quae levissimo tractu facillime explicetur liceat, nullaque nondum inflammationis signa praebeat. Talis recens et in mortis demum luctamine orta habenda est.

Sequelae proximae invaginationis hae sunt: Sanguinis circulatio in parte affecta impeditur, mesenterium distensum, tubus intestinalis inversus sanguine abundant, inflammantur, massasque fibrinosas exsudant, quibus concretiones stratorum sibi appositorum oriuntur. Sed ne in gravissima quidem introsusceptione naturae consilium prorsus deficit. Nonnunquam enim factum est, ut gangraena et ulceratione eliminatoria accessis susceptae intestini partes solutae et per anum excretae sint, postquam coalitu praegresso tubi intestinalis parietes ita iterum conjuncti fuerunt, ut canalis integer contentis transeuntibus pateret.

Digitized by Google

Aetiologia. Catarrhos chronicos longinquos, imprimis remediis drasticis diu adhibitis, causam crebriorem invaginationis afferre, inter plurimos autores constat. Quae quum ita sint, facillime partium intestini singularium paralyses et dilatatio existit, ita, ut ad sanam intestini portionem suscipiendam aptae fiant. Praeterea motus peristaltici fortiores certe affectionem producere possunt. Quicquid igitur hunc motum excitat, intussusceptionem efficere potest; prae ceteris ergo diarrhoea, quae saepe malo antecedit.

Symptomatologia. Symptomata immissionis iis, quas incarceratio interna excitat, simillima sunt. Hic quoque dolores fixi, anxietas, abdominis intumescentia, dyspnoea, serius etiam peritonitidis signa observantur. Initio tamen, quod huic malo proprium est, tumor dolens, isque circumscriptus, figura ovata, abdomine tactu percipitur; contra alia abdominis pars vacua esse videtur. Qui quidem tumor et partibus intussusceptis ipsis, et massis faecalibus supra eas accumulatis formatur, atque percussione instituta sonum obtusum praebet. Alvus retardata vel prorsus obstructa est. Sequuntur colicae insultus gravissimi, excretio muci cruenti, nisus inanes ventrem solvendi, nausea, faecium vomitus, singultus. Interdum etiam diarrhoea advenit, quum partium invaginatarum iisque finitimarum hyperaemia et catarrho secretio profusa membranae mucosae procreata sit. Denique enteritidis et peritonitidis universae signis morbi decursu mox accessis affectio ad lethalem finem adduci solet. Quae vero symptomata omnia nunc minora per menses plures perdurare possunt, dum tandem exhaustis viribus mortem afferant; nunc inopinato et repente aegros invadunt celeriterque summum gradum attingunt, ita ut aegri brevi tempore inflammatione vehementi et gangraena etiam cum sequelis suis orta enecarentur. Tamen etiam exitus faustus interdum observatur, quum raro quidem accidat, ut intussusceptio sponte explicetur; quod paucis tantum diebus peractis intestinique invaginati parietibus jam inter se agglutinatis fieri amplius non potest. Saepius autem concretione illa ipsa, nonnunquam etiam parte invaginata gangraenae ope detrusa et excreta, sanitas restituitur.

Diagnosis. Intussusceptionem cognoscere riteque a conditionibus similibus dijudicare, saepe arduum et difficile est. Quae enim symptomata hoc vitio excitantur, etiam in aliis intestinorum vitiis organicis, in strangulatione interna, et praesertim quidem in angustatione, et stenosi ex qualibet causa orta, observantur. Quare sedulo causae signaque comparanda sunt, et videndum, num inde aliquid conjectura assequi possimus. Ad signa vero diagnostica certiora prae ceteris referenda sunt induratio et tumor oblongus, qui certo quodam loco percipitur, sonumque obstusum percussione instituta praebet; dolor porro fixus, ex eodem loco egrediens. Stenosis autem hunc morbum simulans in alvo solvenda laboribus, qui jam diu abhinc aegrotum vexarant, faecibusque caprinis emissis cognoscitur. Incarceratione tamen praesente jam ineunte morbo alvi dejectiones deficiunt, quum contra invaginatione aegro affecto plerumque per tempus aliquot stercus, quamquam impedite, intestinum permeare possit.

Digitized by Google

Prognosin casus graviores vix faustam admittunt, eoque magis timendi sunt, quo plura et vehementiora symptomata urgent, et quo diutius morbus protractus est. Neque ars multum valet in praecavendo, curando, vel mitigando morbo.

Therapiae in invaginatione sicut in strangulatione eaedem fere indicationes explendae sunt. Initio morbi caute experiendum, num remediis purgantibus modice adhibitis, hisque et motum peristalticum, et mucosae membranae secretionem leniter excitando assequi possimus, ut quum faeces accumulatae duraeque emolliantur et evacuentur, tum partes e loco suo dimotae sponte reponantur. Quod quidem, si ex intussusceptione vel ex comprimenda portione intestini una alteram faecium progressus impedimentum ortum est, ut ex sententia succedat, nonnunquam jure sperandum. Raro autem vel omnino non hoc accidet, si circa axin intestini torsione, vel in rimas quasdam angustas intestino incaso incarceratio nascitur. Quae quum ita sint, remedia evacuantia nil efficere possunt, nisi, ut ipsum malum laboresque augeant. Quare si jam in primo initio his adhibitis, ut alvus solvatur, assequi non potuimus, adhibitionem pergere minime debemus. Tunc e contrario motum peristalticum, quam possumus, sistere, intestinorumque spasmos pro viribus sedare solum prodest. Quamobrem addomen cataplasmatibus tepidis, e herbis narcoticis praeparatis, obducendum, clysteres ex infuso herbae belladonnae vel nicotianae tubo elastico in anum, quam altissime possumus, immisso injiciendi, interneque prae ceteris opii doses majores porrigendae sunt. Fieri interdum potest, ut haec curatio incarcerationem tollat, alvique solutionem adducat. Plerumque tamen symptomata enteritidis peritonitidisque mox accedunt, brevique tempore adeo crescunt, ut neque antiphlogistica, neque sedantia remedia adhibita, ut celeris mors vitetur, spem ullam praebeant. Tunc tantum restat, ut aut, si diagnosis satis confirmata est, ultimum etsi anceps refugium in gastrotomia administranda quaeramus, aut, cura sola symptomatica instituta, expectemus, num forsan futurum sit, ut pars intusscepta gangraena et ulceratione sponte solvatur, et coalitu tubi intestinalis destructi praegresso illa, salva vita, per anum excernatur. Qui exitus felix quum rarissime tantum observatum sit, gastrotomiam nequaquam prorsus rejiciendam esse existimo.

Commemorandae sunt denique methodi nonnulli a medicis antiquis quibusdam in morbo tractando commendatae. Suasum est ab autoribus nonnullis, ut ope follis aer per anum inflaretur, sicque intestinum distenderetur. Alii aegrotum vi quassando idem assequi tentarunt. Alii porro globulos ex plumbo vel auro confectos optimeque politos, nec non mercurii vivi uncias plures uno tempore porrigere aegro jusserunt, sperantes, fore, ut horum pondere intestinum distendatur, inque situm normalem restituatur. Haec omnia parum juvare, valde tamen, ubi inflammatio jam nata fuerit, nocere posse per se patet.

Denique casum incarcerationis internae maxime memorabilem a me observatum ut enarrem, liceat.

Digitized by Google

August Dalock, vir quadraginta annos natus, obstipatione pertinaci, quod malum a medico quodam oleo crotonis, aliisque remediis drasticis ultra modum adhibitis jam plures dies tractatum erat, affectus in clinico medico, quod Vratislaviae directore illustrissimo Frerichs floret, receptus est. Antea valetudine integra semper fruebatur.

Abhinc octo dies alvum aegrotus non dejecit. Abdomen totum pari modo ubivis inflatum erat, ubique sonum sonorum atque tympaniticum percussione instituta percipere licuit. Presso abdomine modico dolore vir affectus est. Cibos potionesque sumtos maxima ex parte vomitu rejecit, et interdum singultu pertinaci cruciatus est. Partes extremae frigent, corpus totum sudorem gelidum emittit; pulsus parvus octogies tantum micat.

Quae quum ita se habuerint, simplicem, quem purgantibus remediis tollere possis, faecium retentionem non adesse, e contrario gravius impedimentum mechanicum alvi solutioni obstare, perspicuum erat. Quaestio vero exstitit, cujus sit illud generis, quemque occupet locum. Hernia aliqua exploratione diligentissima instituta non invenitur. Intestini adesse stenosin vel intussusceptionem neque ex anamnesi conjectari licuit, nec etiam, quod ex abdominis palpatione accuratissima cognitum est sententiam illam defendit. Neque porro incarcerationem internam ex intestini inter fila ligamentosa pathologica strangulatione ortam adesse, verisimile videbatur, quum nunquam aeger peritonitide, vel alio quolibet abdominis viscerum morbo vexatus fuisset, Incarcerationis tamen intestini in rima aliqua normali, exempli causa in foramine Winslowii, conjecturae obstitit locus, quo intestinum constringi videbatur, quem quidem locum coli transversi et descendentis prae ceteris intumescentia magna nusquam, nisi in flexurae iliacae regione, quaerere sineret. Explorata nunc hac intestini portione bacillo cetaceo, cui in parte extrema spongiae segmentum, in olivae formam redactum, affixum erat, hoc in loco quoque angustatio inventa est, quam frustra superare conati sumus. Quae quum ita sint, duarum tantum conditionum conjecturam facere superfuit, aut flexuram iliacam intestini tenuis ansis, quae in pelvis cavum descendissent, comprimi; aut flexuram iliacam ipsam circa axin esse contortam. Compressionem vero illam adesse, opinionem confirmare non potuimus, quum aequabilis abdominis, praesertim etiam regionis umbilicalis, inflatio normalem justumque intestini tenuis situm non esse mutatum, demonstraret. Praeterea vix fieri posset, ut intestino tantum ansa alia superposita compresso flexurae iliacae lumen vi tali concluderetur, ut neque bacillum cetaceum immittere, neque per tubum elasticum inductum aquam injicere liceret. Quibus rebus diligenter consideratis *flexurae iliacae circa axin torsionem adesse*, *diagnosis* constituenda, indeque illa ilei symptomata orta esse videbantur. Cui quidem opinioni, quum verisimillima nobis visa sit, curationem nostram accomodare ill. Frerichs decrevit; nequaquam tamen negligens, quanti sit difficultatis, diagnosin illam

Digitized by Google

plane confirmare, conditionumque omnium ceterarum, quae in quaestionem vocandae esse videbantur, satis habere rationem.

Primum igitur infusi belladonnae clysmata applicata sunt, ut tunicae intestini muscularis relaxaretur, intestinumque in situm normalem restitutioni sese non opponeret. Tunc identidem major aquae copia per anum injecta est, quae tamen semper pura faecibusque non mixta defluxit. Denuo nunc bacillo cetaceo inducto situm intestini perversum corrigere, semper vero sine successu, conatum est. Ad abdomen simul cataplasmata tepida applicata sunt, laudanique Sydenhami, ut vomitum, dolores, ceterosque aegri labores coercemus, guttura decem secunda quaque hora porreximus. Die postero coeci atque coli totius inflati formae lineaeque perspiciores adhuc adumbratae esse videbantur, ut jam inspectione eas satis cognoscere posses. Pulsus modice frequentes plenique micare permanserunt; anxietas, vomitusque remiserunt.

Conatibus igitur omnibus supradictis, ut intestinum permeabile redderetur, perditis, non sine jure in quaestionem vocandum esse visum est, num ad laparotomiam instituendam esset confugiendum, annon. Sed Frerichs de illius etiam consilii salute desperavit, quum peritonitide jam ad summum gradum progressa, viribusque aegroti valde jam exhaustis, eventum prosperum operationem esse habituram, non putavit. Quinque diebus sic statu parum mutato peractis pulsus frequentia repente valde aucta est, in soporem aegrotus incidit, moxque obiit.

Sectione die postero facta haec reddidit: Substantia cerebri, nec non pia mater sanguine abundant. Sub tunicam arachnoideam seri copia non exigua invenitur. Pulmonum lobi superiores paullulum oedematosi apparent, inferiores, compressione abdominis inflati affecti, aere plane carent. Intestini valde aere inflati sunt, magnopereque tument. Prae ceteris tamen coecum colonque extensa apparent, quae ansis suis omnino fere ventriculum intestinaque tenuia obducunt. Super colon ascendens intestini crassi ansa, colore livido, valdeque extensa posita est, quam, diligentius ea inspecta, flexuram sigmoideam, circa axin contortam, esse cognoscimus. Torsione ista, quae illo loco, quo colon descendens in flexuram iliacam transit, adest, S. romani pars superior deorsum et in anticam partem, pars inferior vero sursum atque retro posita est. Ima flexurae sigmoideae pars, ubi recto communicatur, aeque altera torsione affecta est, ita, ut duplice circa axin conversione flexurae iliacae ansa in utraque parte extrema clausa, et simul ex regione iliaca sinistra in regionem epigastricam dextram dislocata sit. Intestinum tali modo clausum contorquendo in contrarium latus facile permeabile restituere potuimus. Ansa ipsa dislocata vicinorumque viscerum tunica serosa massis fibrinosis exsudatis obductae, rarisque locis inter se agglutinatae erant. In pelvis cavo exigua fluidi turbidi copia adfuit. Rectum vero omnino vacuum contractumque apparuit. Membrana intestini mucosa pallida; folliculorum intumescentia vel ulcerationes non adfuerunt.

THESES.

Laparatomia in ileo curando non prorsus rejicienda.

Variola, Varicella, Variolois idem fere morbus sunt.

Taxin in hernia incarcerata nimis diu continuare periculosissimum est.

Placentae solutio plurimis in casibus naturae est committenda.

Digitized by Google

1854. II.
MEDIC. VI.

D E

PATHOLOGIA ULCERIS CHRONICI VENTRICULI.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA CHRISTIANA ALBERTINA

SCRIPSIT

FRIDERICUS GUILIELMUS SCHLAIKIER

EGENSUNDENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

1854.

Digitized by Google

Imprimatur.

C. C. Th. Litzmann,

h. t. Dec.

Hoc vocabulo substantiae detrimentum in aliqua ventriculi parietum parte ortum significamus, quod orbiculatum et a finitimis partibus integris secretum lente ab interiore regione foras progreditur, dum sanatio aut perforatio exoriatur. Hujus postremi eventus frequentia factum est, ut ulcus ventriculi perforans appellaretur. Margines leves sunt velut instrumento quodam acuto resecti, partes finitimae nullum inflammationis obversantis aut praeteritae indicium exhibent. Qua de causa „ulcus“ mihi non apte dici videtur, quia ulcus inflammationem requirere opinio usitata est.

Quam diu tamen vera morbi natura certis finibus circumscripta non erit, nihil erit, cur nomen inveteratum recuses, modo memoria teneas, inflammationis indicia deficere. Praestantissimi enim anatomici pathologici inter se consentiunt, finitimas hujus substantiae detrimenti partes, quoad detrimentum stratum peritoneale nondum corripuerit, eandem speciem ubique obtinere. In ulcere autem quolibet alio tela cellulosa adjacens sanguine aut sanguinis plasmate infiltrata et indurata invenitur. In ulceribus vulgaribus, quae lente progrediuntur, vasa quoque, quae ulceris superficiem percurrunt, solent priusquam erodantur, sanguinis coagulatione oblitterari, ut raro sanguinis effusio sine laesione mechanica eveniat. Hoc in ventriculi ulcere non accidere videtur, quare quum vasis paries erodatur saepe sanguinis effusio tam larga oritur. Quae ses altera est hujus morbi propria, qua periculum admodum augetur. Forsitan opponas motus ventriculi, quales in prima concoctionis periodo oriri soleant, posse mechanicam laesionem talem facile adducere, quae vas denudatum dirumpere valeat. Attamen experientia demonstratur, sanguinis effusiones in ventriculi ulcere orientes tam frequenter, antequam cibus consumatur, quam postea incidere et in casibus nonnullis, quum mors effusione adduceretur, vas sanguinem effundens eadam ratione ambustum repertum est, qua ipse ventriculus.

His, quae proposita sunt, nihil mihi quidem videtur indicari, cur malum, de quo quaeritur, inflammationem cum sequente suppuratione conjunctam esse censeas, quemadmodum multi solent. Illud contra rectius mihi statui videtur, ulcus chronicum ventriculi, quod vocatur, in particulari sui concoctione ventriculi positum esse. In qua sententia illud tantum quaeritur, qua de causa ventriculus in statu regulari non pariter soleat se ipse concoquere et quae conditiones processum illum adducant et adjuvent.

Priori quaestioni superioribus temporibus facile sibi visi sunt satisfacere, quum ventriculi natura insitam vivendi, quae dicitur, facultatem satis praesidii praestare confidenter praedicarent, quo concoctionis succus ne quid efficeret, impediretur. Quae tamen opinio certis argumentis non fuit probata atque Bernad, cujus de concoctionis doctrina tanta sunt merita, primus experimentis hanc opinionem examinare tentavit. Quem ad finem cum canis fistula ventriculi artificiosa ranam viventem ita conjungit, ut femur ejus alterum in canis ventriculum descenderet, reliquae autem partes excluderentur. Femur igitur ventriculo inclusum concoctum est, dum rana vivens permansit. Hoc experimentum anguilla iteratum eundem eventum habuit. His igitur experimentis Bernad illud se ostendisse putat, vivendi facultatem ne quid concoctionis succus valeat, nihil impedire. Atque etsi ulceris chronici ventriculi, quod genus quoddam sui concoctionis ventriculi revera esse puto, progressu motus Bernadi sententiae assentior, experimenta tamen, quibus ille confisus est, non sufficere neque illud evincere existimo. Nam experimenta illa instituta nihil evincere videntur, nisi ut partes animalis viventis concoctae sint; qui progressus forsitan possit in moriendi progressum et progressum concoquendi dividi. Singula membra viventis alicujus animalis de causis localem vim exsequentibus emori posse, nemo negabit, neque habeas quid opponas, si quis ventriculi succo talem vim tribuit. Tum illud quoque afferri potest, quod viscerum vermes velut lumbrici aliquantum temporis et forsitan diu in ventriculo vivere possunt nisi motu suo motus ventriculi antiperistalticos excitarent et ideo vomitu mox removeri solerent. Etiam haec animalia saepissime in superiori intestini duodeni parte inveniuntur, ubi chymo e ventriculo profluenti ideoque concoctionis succo exposita sunt, nisi ad aliam doctrinam potius existimas, succum ventriculi effusum semper chemica conjunctione cum ingestis commixtum dissolvendi facaltatem jam perdidisse.

Quod dixi, non ideo protuli, ut Bernadi sententiam falsam esse demonstrarem, quam ipse sequor, verum argumentorum ejusdem auctoritatem parum fatisfacere evincere studui.

Jam vero illud animadvertimus, partes qnidem animalium vivorum in ventriculum introductas concoqui, sed e contrario animalia exsistere, quibus natura concoctionis canalis tanquam domicilii loco esse videatur, et ea, quamvis in intestino demorari soleant, in ventriculo quoque diutius vivere posse. Dum experimentum de illius rei posterioris ratione institutum nota infra apposita explicatur, non retineor, quo minus statuam, cutem vermium intestinorum posse pro naturae quibusdam non satis notis conditionibus concoctionis succum perferre, quemadmodum multarum frugum tegumina.*)

*) Ascares lumbricoides duos ejusdem magnitudinis, santonino interfectos, postquam alterius cutem incisionibus pluribus exiguis perfregi, bysso tenuissima sua unumquemque insui et quum artificiosa fistula ventriculi canis instructus esset, ad concoquendum traditi sunt. Atque quum septem horis post rursus extraherentur, vermis scarificati nihil paene relictum fuit praeter cutem, dum alter nullo modo a ventriculi succo affectus apparuit.

Digitized by Google

Acini solidi devorati totum concoctionis canalem hominis sani percurrere ita solent, ut ne minimum quidem affecti esse inveniantur. In hunc modum ventriculum puto crasso illo epithelii strato similiter muniri et caveri, ne concoctionis succus eum laedat. Illud autem certum est, interiorem ventriculi superficiem totam epithelio dense inductam esse, quod epithelium in continua repulsione et regeneratione versatur. Si massas vomitu ejectas microscopio perscrutamur, acervi hujus repulsi epithelii non parvi ubique occurrunt, quorum cellae singulae nullo modo concoctionis succo, quocum illud tamen arctissime conjunctum versatur, afflictae apparent. Hoc epithelii stratum non solum levem superficiem ventriculi parietum obductam efficit, verum etiam, in ventriculi glandulas aliquantum descendit et ubi ad finem pervenit, glandularum cavum cellis concoctionis sanis refertum est, quae, quam diu perruptae non sunt, nullam concoquendi facultatem exsequi possunt, quod experimentis physiologicis probatum est.

Itaque si ulcus chronicum ventriculi in particulari sui concoctione positum esse statuitur, si porro epithelium ventriculum a concoctionis succo defendere additur, nihil requiritur nisi ut in regione aliqua ventriculi mucosae hoc epithelii stratum omnino intereat, quo aditus ad mucosam expeditus conconctionis succo reddatur et substantiae detrimenti causa sufficiens oriatur.

Causae, quibus stratum epithelii laedi possit, multiplices exsistunt, quare eas enumerare supervacaneum est. Attamen unius causae laesionis mentio mihi est facienda, quum eam imprimis idoneam habeam, quae ulcus ventriculi enascens adjuvet. Quod si hominum typho defunctorum cadavera secantur, in mucosa ventriculi haemorrhagiarum copia plerumque reperitur. Tale sanguinis extravasatum si mucosam perfregisse fingitur, etsi id raro accidere libenter concesserim, nullo modo stratum epithelii perfectius corrumpi potuerit. Similes haemorrhagiae parvulae non raro in ventriculi mucosa feminarum quoque inveniuntur, quae menstruorum anomalia laboraverunt, quo illud fortasse explicatur, quod ulcera ventriculi apud sexum femininum tam frequenter deprehenduntur. Itaque si pars membranae pituitariae parvula semel integumento et praesidio orbata est, facillime parvulus nervorum ramus eo progrediens succo gastrico eroditur et quae pars ab illo nutritur, emoritur et exstinguitur tanto facilius; (confer experimenta viri docti Dr. Schiffii Frankefurtensis, qui medullae oblongatae sectione unius partis facta in ventriculo rotundas substantiae particulas exstinctas observavit, quae ab omni parte vulgaris ulceris ventriculi similes fuerunt.

Mirum est, quod membranae mucosae partes eae, quae succo gastrico liberum aditum jam praebeant, non admodum celeriter perforantur; sed veri simile est, epithelium continuo se repulsans cum pituita commixtum loco aegrotanti integumentum quoddam porrigere, quod integumentum dum fortuitis mechanicis incommodis non removetur, erosioni officit. Sane enim dolores remittentes exsistunt, quod accidere non posset, si acerbus ventriculi succus continuo locum aegrotantem erodendi vi

Digitized by Google

turbaret. Si interdum dolores vehementissimi et gravissimi exoriuntur, possint a fortuita rami nervorum alicujus denudatione proficisci. Sarcina autem ventriculi, quae vocatur, in ulcere chronico, ut videtur, habet, quo facillime et aptissime et excitetur et augeatur, quum hunc parasitum in omnibus a me quidem observatis casibus ulceris chronici ventriculi deprehenderim, et ventriculi ulcere perforante afflicti conditione examinata et explorata in ulcere mihi idem praecipue enasci visus est. In omnibus casibus concoctionis succo non magis affectus exstitit, quam ventriculi epithelium, quare mihi valde probabile videtur, hunc quoque officere, quo minus perforatio celerius incidat.

SYMPTOMATOLOGIA.

Praestantissimum symptoma ulceris ventriculi dolor ille utique est, qui tum in ventriculi regione solum animadvertitur, tum dorsum similiter corripit, tum a dorso proficiscens in ventriculum promanare videtur, ut re non satis accurate explorata spondylitidem deprehendisse tibi videaris. Dolores spontanei solent brevi tempore, ex quo cibus sumptus est, oriri et quo cibus ad concoquendum difficilior est, eo diutius perseverant, aut, ut aliae conditiones obversentur, tum breve tempus tum diutius permanent. Saepius quoque ventriculi regione perfrictione afflicita excitantur, et tum per plures dies, quin etiam hebdomades continuari solent et saepissime ad summam vehementiam progrediuntur, ut ejusmodi aegroti, si diutius hoc malo laboraverunt, miserum aspectum praebere soleant. Feminam quandam olim vidi dolorum vehementia gravissima eo adductam, ut se ipsa interficeret. In hoc casu carcinoma obversari putabatur, sectione autem facta ulcus chronicum simplex inventum est, quod ad majorem amplitudinem provectum fuit. Cardialgia, quae vocatur, solet ab ulcere ita discerni, ut in illa dolores cibo sumpto sedari dicantur, in ulcere autem augeri aut omnino advocari judicentur. Atque etiamsi saepissime potueris his indiciis confidere, tamen non semper valent. Hae enim affectiones mere nervosae arctissime cum ulcere conjunctae sunt et plures aegrotos observavi, quorum sanguinis eructationes aliaque symptomata ratione quam maxime certa ventriculi ulcera obversari indicaverunt, qui nihilominus commendatam diaetam temperatam, imprimisque cibi abstinentiam sese perferre omnino non posse professi sunt, in plerisque vero casibus quum cibum consumpsissent, dolorum levamentum quoddam per aliquantum temporis se percepisse. Apud nonnullos aegrotantes cibi qualitas minus, potius nihil valere videtur, in plurimis autem casibus lac et liquida alimenta omnino saluberrima sunt, acida contra et solida alimenta utilitati minime sunt. In nostra regione praecipue panis niger his aegrotis dolores excitare valet. Animi motus pariter vehementissimos dolores saepe adducere solent, ut mulieres complures malum ab animi motibus profectum esse opinentur.

Praeter dolores hos spontaneos in ventriculi regione locus fere invenitur, qui compressus dolorem efficit; si vero ulcus in posteriore ventriculi pariete situm est, saepe deest hoc indicium. In paucis casibus durities quaedam circumscripta per ab-

Digitized by Google

dominis integumenta animadvertitur, quod non accidere potest nisi si peritonaeo affecto inflammatio et concretio ortae sunt.

Si ulcus diutius perseverat, ventriculi regio extensa plerumque apparet, quod inde sequitur, quia huic malo continuum quoddam et nimium aëris (gas) incrementum deesse non solet, nisi quod, si in cardia ulcus situm est, ventriculus contrahi solet. Apud aegrotarum, quas tractavi, unam eructatio foetidissimi aëris longe molestissimum symptoma fuit. Dum hanc aegrotam observavi per annum, fere totum, quoditie horis paucis post coenam, quum, quid consumpsisset, nihil fere referre visum sit, haec aëris evacuatio incidit. Antea ventriculi regio molesto et gravissimo dolore cruciata aliquantum intumuerat, donec ventis remotis levamentum quoddam paratum est; deinde per aliquot horas alvi profluvium vehemens certo tempore iteratum sequutum est, quo finito aegrotans ad sequentem meridiem usque bene se habuit. Haec raro per aliquod dies intermissa fuerunt, quod ubi accidit, aegrotans ventriculo se laborare multum questa est. Quae vero vicissitudo inter hoc profluvium constans et ventriculi ulcus obversata sit, dijudicare non possum, quum alias obstructiones difficiliores oriri soleant. Grave autem aëris incrementum in ventriculo ortum symptoma est, quod ventriculi ulceri ceterisque ventriculi morbis chronicis commune est, et eo oriri videtur, quod ventriculus afflictus lente concoquere solet, quare cibus in eo diutius remanet, ut tumor quidam oriatur, priusquam felle admixto hic processus opprimi possit. Aliud indicium, quod ad diagnosin constituendam multum valeat, eructatio judicanda est. Solet enim quum ventriculus nimis oneratus, praecipue alimentis pinguibus refertus sit, etsi nausea paene deest, eructatio cum gravissimis doloribus conjuncta incidere, qua massaeae foetidae acidae et Lacmi chartam admodum rubefacientes ejiciuntur, quae ubi aliquantum temporis constiterunt, saepe confestim effervescentes apparent.

Praeter alimenta consumpta, pituitam aliaque, microscopio adhibito sanguinis corpuscula fere reperiuntur et in casibus a me observatis omnibus copia illius Sarcinae ventriculi larga. Haec duo symptomata proxima ad diagnosin constituendeam multum valere puto, etsi Sarcina pariter in aliis ventriculi morbis oriri fertur. Saepius apud alius generis aegrotos eructata microscopio perscrutatus sum; verum numquam Sarcinam inveni, quare eam non tam frequenter incidere existimo, quam contendi solet. Quod ad sanguinis eructationem pertinet, saepissime ea tam vehemens exsistit, ut statim mortem adducat. Sanguis ejectus admodum caliginosus, paene niger, est et naturalem colorem non retinet, nisi si paulo post, quum e vase eroso emanaverit, eructatione ejectus est. Si vero sanguis horam, vel diutius in ventriculo demoratus est, singula corpuscula plerumque ita mutata sunt, ut microscopio examinata vix ejusdem generis esse videantur. Experimentis in bestiis exercitis haec res aptissime demonstratur. Sanguinis eructatio semper fere cum vehementissimis doloribus conjuncta est et aegrotum adhuc florentem ad pallidam et afflictam speciem per aliquot dies deductum reddere potest; et si saepius eructatio iteratur, quod supra jam animadvertimus, aegroti vultus remanet.

Digitized by Google

Aliud symptoma, quod in ventriculi ulcere non deesse solet, ructus acidus est, qui nonunquam ad eructationem ipsam producitur. Liquor tum perspicuus, pituitarius in os ejicitur, qui auctore Frerichsio viro doctissimo mox acidus, mox neutralis, plerumque vero alcalicus est. Plerique auctores antiquiores hunc liquorem ventriculi succum esse putaverunt, nonnulli pituitam habuerunt. Frerichsius saepius analyses hujus massae chemicas instituit et ubique qualitates chemicas cum iisdem pituitae consentire animadvertit. Ipse haec praedicat: salivae secretio in chronicis ventriculi morbis fere semper intenditur, interdum ad salivationem ipsam usque. Haec larga pituitae copia per noctem, dum dormitur, devoratur et mane eructatione rursus expeditatur.

Mea de haec re sententia cum Frerichsii sententia nequaquam convenit. Quod ad profusam salivae secretionem pertinet, eam in ventriculi ulcere numquam animad. verti, immo aegroti omnes, nullo paene excepto, siccitatem quandam oris praecipueque pharyggos se aegre ferre questi sunt et pituitae secretio revera rara adesse visa est. Plerumque oris liquorem statim post cibum consumptum incertum deprehendi, in paucis casibus etiam acidum. Eructatus liquor ubique valde acidus fuit, et propius ad ventriculi succi naturam, quam ad pituitae qualitatem accedere in universum visus est, etsi cum hac comixtus fuerit, quod vitari vix potuit. Si liquor, de quo quaeritur, ventriculi tum, quum aegrotus neque cibum neque potum consumpserit, e ventriculo ipso profluit, haud scio quid esse possit nisi succus gastricus cum pituita, nuper devorata, aut in ore ipso accedente commixtus. Atque succum gastricum esse ideo existimo, quia liquorem tam liquidum, quam pituita est, etiamsi revera ejus copia tanta per noctem devorata sit, ad mane usque in ventriculo remanere minime probabile esse videtur et ab iis plane discedit et alienum est, quae experimentis de liquoribus in ventriculo evanescentibus probata sunt. In doctrina de concoctione prolata ipse Frerichsius temporis spatium admodum breve liquores in ventriculo perdurare judicat. Ceterum analysis chemicae ab eo institutae auctoritatem non repudiandam habeo et, si in casibus ab eo exploratis liquor inventus est, qui ad pituitae naturam accederet, sine dubio pituitam fuisse concedo. Error enim, quod meum est judicium, eo ortus est, quod liquor iste non a ventriculo, verum ab ore ipso profectus erat, quod judicium postea probare tentabo.

Quod si liquorem, de quo agitur, succum gastricum esse arbitror, illud mirum videri potest, quod copia ejusdem tanta, prout res est, simul eructari dicitur, quamvis pro rerum conditione vulgari, nisi concoctione, paullum aut nihil succi gastrici secernatur.

Attamen experientia demonstratur, exiguam mucosae irritationem sufficere, ut secretio tempore quam potest brevissimo ad gradum summum producatur. Ulcus chronicum ventriculi satis frequenter harum irritationum occasionem offert, quae non solum ut major concoctionis succi copia effundatur, verum etiam, si graviores exsistunt, ut in ventriculo et oesophago motus antiperistaltici exoriantur, efficiunt. Hac

Digitized by Google

igitur ratione liquor in os ejicitur. Quum mulierem ventriculi ulcere laborantem tractarem, quotidie per plures hebdomades inprimisque mane saepius cum vehementissimo aegrotae dolore parvae quantitates massae sanguineae, mucosae, valde acidae in os ita protrudebantur, ut ne minimi quidem eructantis motus neque a muliere ipsa neque ab alio quoquam animadverterentur. Illud mulier certe se animadvertere professa est, massas gradatim a ventriculo sursum ferri. Interdum hi leniores motus antiperistaltici ventriculi et oesophagi conjuncto diaphragmatis motu ad veram eructationem usque augentur. Talem aquae eructationem mulieris natu majoris per annum totum observavi certo ordine mane orientem. Dolores graviores semper eo valde mitigati sunt, ut aegrotans variis artificiis processum accelerare eniteretur. Massae, quae per diem inprimis post coenam paullo eructabantur, item admodum acidae ubique fuerunt. Atque in universum in omnibus ventriculi morbis chronicis acritudo gravior enasci visa est. Frerichsius hanc rem ea explicari censet, quod quum nutrimenta diutius in ventriculo demorentur, saccharum in acidum lactis, hoc deinde in butyri acidum verti putat. Haec opinio etsi mera hypothesis est, multis tamen rebus probatur et confirmatur.

Restat ut de liquore illo a Frerichsio explorato et pro pituita habito disputemus. Jam vero non solum concoctionis doctrina, verum etiam certis de nervorum reflexu institutis experimentis salivae glandulas arctissimo vinculo cum ventriculi nervis conjunctas esse probatum est. Et mucosae irritatione non modo pituitae, sed etiam succi gastrici secretionem augeri animadversum est. Quam igitur vehemens irritatio illa necessario sit, quae excitatur quum nervorum ramus denudatus concoctionis succo afficiatur, facile cogitari potest. Eventum autem hujus irritationis, quum mulierem aegrotantem diligenter observarem, iterum atque iterum subita quadem et profusa pituitae eruptione indicatum vidi. Hic liquor, praesertim quum nausea obversante et vomitu ejiciatur, aequo frequentius pro eructatis habitus est et ab ipso Frerichsio, ut videtur. Ut pituitae eruptionem tam subitam declaremus et explicemus, non possumus quin musculorum contractionis rationem habeamus. Nam musculos revera nonnihil efficere posse intelligitur quum, si malum acidum consumitur et malae ad fossae similitudinem contrahuntur, deinde ore aperto saepissime pituitae radius quidem expeditari soleat.

Pituita igitur e ventriculo per reflexum ejecta aut devoratur et ita, ut dolorum saepe levamentum exsistat, aut vomitu eructatur. Qui processus etsi apud aegrotium nonnullos saepius incidit, tamen salivationem obversari non dixerim, quum per reliquum temporis spatium pituitae penuria adesse soleat.

Quod ad ulceris ventriculi situm pertinet, diagnosis accuratior raro expeti potest et ad tractandi rationem nihil valet. Interdum autem indicia animadvertuntur, quae partis alicujus ventriculi coartationem prodere videantur. Hae coartationes cicatricosis contractionibus adducuntur et frequentissime in pyloro, minus frequenter in

Digitized by Google

medio ventriculo oriuntur, ut horologii formam efficiant, rarissime denique in cardia oriuntur. Coartatio pylori nonnunquam immensas ventriculi dilatationes advocat, quemadmodum ventriculum ita ad CC unciarum amplitudinem distensum vidi.

Denique si obstructionem acriorem addo, praestantissima ulceris chronici ventriculi symptomata enumerasse mihi videor, quum quae perforatione ceterisque rationibus excitata observantur, potius in disputationem de quolibet alio morbo propositam cadere dicenda sint.

THESES.

1) Fremitus, qui in venis jugularibus observatur, certum chlorosis symptoma non est.

2) Mercurialia sunt remedia, quibus in tractandis morbis syphylitis carere non possis.

3) Diabetes mellitus pulmonum morbus est.

4) In inflammationibus e perfrictione natis quoque aquae frigidae fomenta indicata sunt.

Digitized by Google

1854. VII.
MEDIC. VII.

DE

HEPATIS DISLOCATIONIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

GRATIOSISSIMI ORDINIS MEDICORUM CONSENSU ET AUCTORITATE

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

CONRADUS BOIE

MELDORPIENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

1854.

Digitized by Google

Imprimatur.

C. C. Th. Litzmann,

h. t. Dec.

Digitized by Google

Quum organorum abdominis et magnitudinem et situm perspicere haud parvi momenti sit, tamen instrumenta, quibus nos adjuvamur, non omnino sufficere videntur. Quarum rerum explorandarum summum subsidium est percussio, quae sola explorantem ab erroribus non semper tuetur. Praecipue in explorando hepate, quod, quum multis et variis morbis sive ex hepate ipso, sive ex aliis aegrotis partibus ortis afficiatur, saepissime diligentius explorari debet, percussionem numqnam fere fallere, sed plerumque explorationem certissimam praebere hucusque opinatum est. Attamen in ipso hepate explorando, quamvis hepar manui exploranti omnium abdominis organorum opportunissimum sit, saepe erratur, facilius etiam, quam in perscrutando lienis situ et magnitudine, qui multo magis absconditus est. Quum hepar auctum vel deminutum explores, saepissime dislocationes organi ipsius te fallent, quum exempli gratia fieri possit, ut hepar integrum vel etiam minutum deorsumque propulsum auctum esse videatur. De dislocationibus hepatis igitur hic primum disseram et res gravissimas in mortuorum sectionibus repertas addam. Qmnes, quarum mentionem faciam corporum sectiones, Kiliae anno currente et superiore et in nosocomio academico et in policlinice factae sunt, et omnibus fere ipse adfui permutationesque morbo factas, quas describam, ipse vidi. Variis modis hepatis situs mutari potest. Interdum hepar tantopere urgetur, ut, quamquam in corpore sano ita affixum est, ut non facile moveatur, tamen in alium locum deprimatur. Urgeri vero potest a parte inferiore, superiore, vel a latere. Saepissime hoc organon magnum deorsum premi videtur in morbis thoracis imprimis variis humoribus in pleurae dextrae cavum effusis, tum nonnullis pulmonum morbis denique thoracis ipsius forma mutata. Quod ad abdomen attinet, variis causis hepar dislocari potest; plerumque organis aliis prementibus aut humoribus in abdomen effusis tollitur, rarius etiam inflammatione praeterita aliis partibus agglutinatum detrahitur. — Dislocationum omnino causa gravissima est cavum pleurae dextrae expletum humore, pleuritide orto, et purulento et liquido. Saepissime primum lobus hepatis dexter deorsum premitur, mox vero etiam lobus sinister compressione vehementiore et perpetua locum

Digitized by Google

mutat; partim enim deorsum, partim regioni hypochondriacae sinistrae immittitur. — Quamvis plerumque dislocatio efficiatur exsudationibus in pleuram purulentis, tamen summam eorum, quae in corporis cujusdam sectione reperta, neque propter varias res levis momenti sunt, breviter exponam.

In hoc enim casu, qui sane raro reperitur, aegrota, postquam perdiu jacuit, subito perforato pericardio et pure in id effuso mortua est. In corpore G. H. ancillae cujusdam viginti novem annos natae inventi sunt inter cristam ossis ilei dextri et costam duodecimam quatuor tumores, magnitudine malo vel capiti infantis pares, fluctuationis signa praebentes et corio non abnormis coloris tecti. Si abdomen mortuae premebas, humorem dilucide fluctuantem infra ligamentum Ponpartii videbas et sentiebas. Hepar ad latitudinem palmae supra marginem costarum brevium lateris dextri eminebat; superficies autem convexa hepatis exsudatis recenter ortis ei parti peritonei, qui diaphragmatis latus dextrum tegit, affixa erat. Hepatis materia adipe sed non valde abundabat, neque alius morbi signa praebebat. In columnae vertebralis dextra parte magnus tumor fluctuans prominebat, et a diaphragmate deorsum usque ad canalem inguinalem dextrum pertinens in osse ilei ejusdem lateris manifestissimus erat. Tumore sublata erant ren dexter, intestinum coecum et colon ascendens, lamina vero posterior peritonei morbo omnino affecta non erat. Colo ascendente abscisso a mesocolo, caverna ampla patebat, e qua statim pus foetore carens, colore e viridi pallens, nonnullas libras pondo profluxit. Renes morbi Brightii stadio secundo affecti visi sunt. Postquam et superior et inferior abscessus pars aperta est, caverna lata, sinuosa, impleta trabeculis, ligamentis, protuberantiis variis, ortis ex materiae partibus relictis, reperta est, quae canalibus angustioribus vel latioribus cum cavernis similiter variatis in omnes fere regiones extensis cohaerebat. In inferiore parte pus subter peritoneum pelvem majorem tegens usque ad annulum cruralem aditum sibi expediverat et, vasa cruralia sequens, secundum ea et musculum Ilio-Psoam, qui jam in pelvi denudatus et compressus erat inter musculos adductores et extensores femoris profluxerat et infra ligamentum Poupartii cavum sibi paraverat magnitudine ovi anserini in cujus fundo trochanter minor ossis femoris situs erat. Vena iliaca externa lateris dextri tota ab origine ex Vena iliaca communi usque ad medium femur (quoad eam persequi licebat) materia quadam solida obturata erat. In partem superiorem vero hunc abscessum retroperitonealem prosequenti supra cristam ossis ilei per foramen digiti magnitudinem adaequans receptaculum puris in aspectum venit, quod ad partem dextram et processus spinosos ossis sacri procurrens cum cavo amplissimo extra musculum Quadratum lumborum conjunctum erat et in abscessum illum magnum in latere dextro columnae vertebralis, quem primum descripsi, duobus ostiis, altero propter musculum Quadratum lumborum, altero inter costam XI. et XII., influebat; sursum extensum erat hoc cavum usque ad costam X. Costarum XI. et XII. magna pars denudata erat et periosteo nonnullis partibus privata, praesertim costae undecimae margo inferior fere totus asper

Digitized by Google

erat. In medio corpore haec caverna attingebat processus spinosos vertebrarum thoracis infimarum et lumbalium suumarum, quae omnino tegumentis non carebant, processus transversi vero vertebrarum lumbalium primus, secundus et tertius in acumine asperitates quasdam parvas habebant. Diffundebatur autem abscessus post peritoneum a latere et a costis spuriis infimis et a corporibus vertebrarum lumbalium musculoque Psoa adhuc integro inclusus usque ad ostium quoddam inter crus externum diaphragmatis ejusque insertionem in costa XII. patefactum, per quod facillime tres digiti in cavum pleurae dextrae penetrabant. Parietes omnium harum cavernarum inter se conjunctarum materia solidissima exsudatione parata vestitae erant, globis majoribus friabilibus ejusdem materiae jam in aperiendo abscessu cum pure effusis. Cavum thoracis dextrum, quod antea puris mole magnopere extendebatur, pure effuso exoneratum erat, sed cor tamen mirifice in cavum pleurae dextrum projectum erat. Pericardium impletum erat magna copia liquoris purulenti diluti, et pericardii superficies interna, praesertim ea pars, quae cor ipsum tegit, inflammationis incipientis signa ostendebat. Pericardium in latere dextro condensatum lamellae internae pleurae dextrae agglutinatum erat. In superficie interna pericardii (duorum digitorum latitudine supra venae cavae ascendentis introitnm) in media macula rubida fabae magnitudine fissura acus caput magnitudine aequans cernebatur, per quam pus e pleurae cavo in pericardium ingressum erat. Pulmo dexter usque ad decimam partem prioris magnitudinis puris mole in cavum pleurae effusa compressus, et materia exsudata nonnullarum linearum crassitudine vestitus ligamentis multo ante ortis costis primae secundae tertiae quartae affixus erat, ita ut cavi pleurae pars superior septo latiore quam digitus in partem anteriorem et posteriorem divisa esset, et pulmo convoluti panni forma in columnae vertebralis superficie anteriore jaceret; ligamenta enim illa spuria impediverant, quominus sicut solet in angulum inter columnam vertebralem et costas se inferret. Pulmo sinister nullo exsudato pressus integer erat. — Quomodo empyemate lateris dextri hepar afficiatur, jam supra memoravi. Finis hepatis superior aegrota viva nullo modo demonstrari poterat; quia sonus obtusus in percussione hepatis, quod minime mirum est, respondet sono, qui efficitur exsudato pleuritico; ne auscultatio quidem pulmonis certiores nos facere potest de hac re, si pars inferior pulmonis aëre omnino privata vel a parte thoracis inferiore et anteriore sublata est.

Similiter ac pure in pleurae cavum effuso, etiam res se habent liquore seroso vel acute vel chronice orto, hepar enim respondens liquoris copiae in locum inferiorem deprimitur. Hunc pulmonis morbum haud difficile est dignoscere; magnitudinem vero et situm hepatis facilius eruimus, quam materia solidiori exsudata, praesertim purulenta et membranis inclusa. In perscruatione enim liquoris superficiem secundum situationes diversas aegroti mutatam cognoscimus. In statu erecto aegroti hepar magis deorsum premitur; jacente vero aegroto (praesertim si malum non jam diutius pectus ursit) paullum a situ naturali remotum et saepe in incipiente quidem malo omnino locum

Digitized by Google

non mutans cognosci poterit. Sanguis in cavum pleurae dextrae effusus eadem signa praebebit, si sanguinis tanta moles adest, ut pondere ejus hepar affici possit. — Saepissime simul cum sanguine aër in cavum pleurae effusus reperitur, id quod diversa quidem signa in pulmone affert, si vero hepatis situm spectas, a liquoris effusi signis non discrepat. Pneumothorax, morbus ille non raro phthisi pulmonum adjunctus, si in pleura dextra accidit, magnopere hepar loco suo in inferiorem abdominis partem propellere potest. Aër in thoracem profluens omni modo exitum sibi quaerens plerumque primum pleuram dectram in latus sinistrum extendit, qui locus minus ei resistit, quum diaphragma hepate suffulsum saepe, priusquam hepatis conditio ullo modo mutata est, late in pectus sinistrum projicitur, corde cum pericardio et pulmone sinistro in aversum et in latus submoto. Postea denique aër maxime compressus impedimentum, quod hepar affert, superare solet. Cujus rei testimonium ea, quae in sectione corporis cujusdam reperta sunt, commemorabo, quae varias propter res haud parvi momenti sunt. Corpus hoc erat phthisi pulmonum mortui, in quo simul pylori strictura effecerat, ut ventriculus horribilem nactus esset ambitum et propterea etiam hepar urgeret.

J. Th. operarius, XXIX annos natus. Thoracem metientes partis dimidiae dextrae ambitum longe majorem invenimus, quam sinistrae, costarumque superiorum intervalla prominentia et extenta apparebant. Usque ad marginem fere costarum brevium in latere dextro percussionis sonus clarus auditus est, in latere vero sinistro in costa VI. sonus obtusus. Sterno remoto pleura dextra magnopere aëre extensa vesicae instar mediastinum propellens et usque ad trium digitorum latitudinem supra marginem sinistrum sterni (usque ad costarum cum cartilaginibus earum conjunctiones) in pectus sinistrum prominens reperta est; quo factum est, ut pulmo sinister ad columnam vertebrarum, cor vero ad regionem papillae sinistrae promotum esset. Pari modo etiam in cavo peritonei in medio corpore diaphragma vesicae simile apparuit, propulsum pleura aëre impleta. Hepatis lobus dexter prorsus supra costarum spuriarum dextrarum marginem projectus erat, lobus vero sinister plane supter costas spurias lateris sinistri atque in locum superiorem recessit; cujus rei praeter remotionem lobi dextri in imum causa erat etiam ventriculus immodice extensus, de quo infra diligentius disseram. In cavo pleurae tantopere amplificato pulmo dexter plane collapsus et fere omnino aëre carens ligamentis pleuriticis diaphragmati affixus erat. Diligentius perscrutanti tres fere digitos infra pulmonis acumen in superficie ejus anteriore foramen apparuit fabae magnitudine et crateris forma praeditum, quod viam aperiebat in cavernam nuci juglandi magnitudine parem, impletam materia tuberculosa diffusa, per quod sine dubio aër profluxerat tam abundans, ut tantus Pneumothorax oriretur. Totus pulmo tuberculis miliariis et infiltratis impletus erat. Quum abdominis tegumenta remota essent, ventriculus liquore et aëre extentus totum abdomen inde a diaphragmate usque ad symphysin ossium pubis undique obtinens apparuit, excepta sola ea parte, quae inter

Digitized by Google

processum xiphoideum et curvaturam ventriculi minorem sita est, in quam lobus hepatis dexter prominebat. Tractus intestinalis omnino non cernebatur. Splen parvus et solidus in aversum repulsus propter columnam vertebralem situs erat. Ventriculus ligatura in parte pylorica clausus aquae CCX uncias pondo capere poterat. In curvatura minore cicatrix longa, radiata, transverse posita, colore albicans, tendinum materiae similis reperta est, similes etiam cicatrices in duodeno incipiente et in pyloro visae sunt, quibus pylorus magnopere coartatus erat. Hepar minor erat circuitu quam solet, margines habebat acutos, anaemia et pinguedinis abundantia affectum erat. Intestinum tenue totum in pelvi minore jacebat, intestinum crassum (praesertim S Romanum et Rectum) magnopere contractum, Coecum ventriculo in planam formam compressum erat. — Hic casus singularis propter variorum morborum signa, praecipue propter hepatis conditionem rarissimus et propterea maxime memoriae dignus est, quod organon illud a partibus tam diversis urgebatur. Si ventriculus locum suum obtinuisset, omnia alio modo se habuissent; haud dubium enim esse potest, quin lobus hepatis dexter in partem multo inferiorem et magis in medium abdomen propulsus, etiam lobum sinistrum secum in inferiorem locum traxisset, qui nunc, tantopere hinc urgente ventriculo immodice extenso, illinc crescente pleurae impletae impetu in lobum dextrum, non potuit, quin altius surgeret.

Alius quoque modi, quo hepar thorace dextro extenso in abdominis inferiorem partem demoveri potest, mentio facienda est: emphysema dico pulmonis dextri, quo interdum tantopere pulmonis ambitus augetur, ut hepar locum mutet necesse sit; saepe etiam fines lobi dextri hepatis superiores pulmone occultantur, si margo anterior pulmonis dextri inferioris magis quam solet hepati objicitur, ita ut percussione aliisque rebus diligentissime perscrutari opus sit, quo loco margo superior hepatis positus sit. — Postquam igitur commemoravi, quomodo hepar premente thorace loco suo moveri et quibus morbis saepissime hoc evenire soleat, de aliis etiam rebus, ex quibus haec commutatio nasci potest, disseram. Inprimis observanda est ossium thoracis forma illa morbo effecta, quam thoracem paralyticum vocant. Cylindracea est figura, diametris et ab anteriori in aversum et a latere ad latus minutis, et non raro magni erroris causa est in aestimando hepatis circuitu; in tali enim corpore locus etiam hepati conveniens in regione hypochondriaca dextra tantopere coarctatur, ut hepar extra fines suos egrediatur, et ita, ut superficies ejus superior convexa in partem abdominis anteriorem, et margo anterior acutus in imum directus sit, saepe adeo, ut nonnullis digitis costarum spuriarum fines superet; lobus sinister simul late in hypochondrium sinistrum prominet. Hoc modo positum esse potest hepar, omnino non mutata conditione diaphragmatis quod attinet ad costas neque etiam hepatis ipsius ambitu amplificato.

Quae clarissime apparent in ancillae cujusdam XIX annos natae corpore anno currente aperto. Propter syphilim secundariam nosocomio nostro recepta postquam perdiu graviter aegrotavit mortua est. Thorax formae summopere paralyticae faciem

Digitized by Google

praebebat. Larynx ad pennae corvinae capacitatem cicatricibus contractus, in palato molli et pharynge cum oesophago multae cicatrices ex ulceribus syphiliticis reperiebantur; in pulmonibus tubercula deposita et singuli bronchi in cylindri formam dilatati. Hepar valde trans costarum finem prominebat, superficies convexa tota ad ventrem anteriorem spectabat, superficies inferior concava tota fere in aversum. Lobus sinister magnam ventriculi partem in latere sinistro obtegebat, nulla vero parte hepar amplius factum reperiebatur, nisi quod peritoneum hoc organon obducens modice auctum erat. Reliquae ventris partes morbi signa non habebant. —

Huic injuriae, qua hepar afficitur thoracis deformitate, simillima est ea, quae nascitur ex pressione continua partis inferioris thoracis apud mulieres per vestimenta constringentia, cujus rei indicia in plerisque mulierum corporibus plus minusve expressa, inveniuntur. Lobus dexter hoc modo usque ad cristam ossis ilei deprimi potest, quod corpus anno proximo apertum anus ebriosae et hebetis comprobat, ubi margo anterior lobi hepatis dextri impressione costarum profunda et cicatricosa insignis erat. Lobus sinister, si deformitas ad summum pervenit, tantum, quantum in thorace paralytico, in hypochondrium sinistrum projici solet, saepissime etiam superficies superior hepatis in partem anteriorem ventris spectans invenitur; cujus dislocationis causam facile intelligimus hepate a latere presso, si consideramus, jam conditione integra hepatis superficiem convexam oblique sursum et antrorsum, superficiem concavam deorsum et retrorsum spectare. In locis ita compressis saepe foveae, hepatis materia tabe deleta, vel etiam cicatrices existunt. Quum tam saepe hac causa hepar loco suo motum reperiatur, sectionum narrationibus hanc rem affirmare opus mihi esse non videtur. — Haec fere sunt situs commutationes, quibus hepar ex thorace affici solet, aliae vero nonnullae causae rarissime accidunt leviorisque momenti sunt. Ex abdomine commutationes oriuntur aut prementibus organis aliis quodammodo vel amplificatis vel loco suo motis, aut materiis alienis in abdomine accumulatis, aut e rationibus inter hepar et alia ventris viscera. — Frequentissime hepatis locum mutat, frequentissime etiam hepar explorantem in errorem inducit hydrops ascites. Liquor autem aggregatus non lobum dextrum solum premit, sed totum hepar cum diaphragmate tollit, ita ut septi illius et adeo ipsius pulmonis motus coërceatur cordisque positio mutetur. — Hepar ceteris rebus paribus, id est si organis vicinis coalitum non est, abdomine supra modum extenso attolli mirum non est, unam vero corporis sectionem enarrare mihi liceat, in quo propter causas levioris momenti hepar singulari modo loco suo motum reperiebatur.

Corpus erat pueri XVIII annos nati, qui propter insufficientiam valvulae mitralis hydropsia affectus fuerat. Brevi ante mortem hydrops ascites magnopere decrevit, quo factum est, ut ea, quae in mortuo reperta sunt, valde diversa essent ab iis, quae in explorando vivo exspectata sunt. E ventre aperto parva copia seri colore flavo effluxit. Hepar sub costis spuriis lateris dextri absconditum, superficies ejus superior solidissime illi parti peritonei, quae diaphragma tegit, coalitum, magnitudine vix dimidia

Digitized by Google

quam solet, et cirrhosi summopere affectum repertum est. Lien circuitum habebat ter solitum superantem sanguineque erat abundans. Omentum totusque tractus intestinalis colore erant rubicundo, intestinum tenue aëre et liquore modice erat extensum, ventriculus catarrhi, renes morbi Brightii signa praebebant. Vivente hoc puero saepissime et diligentissime explorantes hepatis situm et magnitudinem plane cognovisse putabant. Quum manifeste trium digitorum latitudine infra marginem costarum spuriarum lateris dextri hepatis margo acutus antrorsum directus tactu sentiretur, percussioneque fines superiores supra costam VI. demonstrarentur, hepar magnopere amplificatum sibi persuasum habebant. Contrarium, ut narravi, repertum est. Hepar enim liquore in ventrem effuso subito, quum mors jam appropinquaret, resorpto, sub costarum fines descendit, quod sectio demonstrabat; quarum rerum causa prima fuerat conglutinatio solida totius superficiei superioris hepatis cum peritoneo diaphragma tegente. Quum enim humor effusus abdomen una cum lamina parietali peritonei extendere inciperet, magis magisque dilatato toto abdomine, pars anterior minime resistens maxime dilataretur necesse erat, quo factum est, ut peritoneum abdomen superius et posterius tegens hepar ei affixum secum duceret. Quem tractum sequens etiam hepatis superficies superior antrorsum converteretur et manui exploranti tam perspicue sentiretur necesse erat. —

Situs mutationem huic omnino oppositam nonnumquam observavimus in abdomine varias ob causas extenso, quae talis erat, ut hepatis superficies superior convexa parietem abdominis posteriorem attingeret, superficies concava antrorsum spectaret; si res ita se habent, facillime in errorem incidit is, qui hepatis ambitum explorat, quia sonus obtusus percussione parietis anterioris thoracis, cui hepar stricte adjacet, elicitus, parvum spatium occupat, quamquam hepatis ipsius circuitu nequaquam deminuto. Hepar in ejusmodi casibus praeter ligamenta corpori sano convenientia nulla parte diaphragmatis peritoneo annexum esse saepe reperimus.

Summam eorum, quae de viri cujusdam ex intestino stricto laborantis sectione relata sunt, hoc loco enarrabo. Plurimum cruciabatur aegrotus alvo pertinaciter astricta et intestinorum tractu ventis tam incredibiliter inflato, ut saepissime intestinorum ansis inflatis tegumenta abdominis attolli cernerentur, clarius etiam singulae manu sentirentur. Mors accelerebatur peritonitide huic malo adjuncta. Mortuus erat tabe confectus; quum venter mirum in modum inflatus aperiretur, humor serosus flavens et impurus effluxit. Pars parietalis peritonei et intestinorum superficies virgis rubris erant tectae, omentum majus, hyperaemia affectum et colore roseo flexurae coli dextrae affixum, intestinum aptissime adstrinxerat, ita ut plane strangulatum, vel summopere coarctatum videretur. Inde a vesica fellea ad istum locum membranae quaedam ligamentorum ad formam extensae erant. Colon ascendens mirifice amplificatum, intestinum vero infra partem astrictam circuitu naturali esse videbatur. Diligentius explorato loco illo contracto, ulcus magnum annuli forma, cujus totus circuitus induratus erat, marginibus excelsis

Digitized by Google

praeditum, causa totius mali sine dubio apparuit, quum ex latere intestinum tantopere coangustatum esset, ut vix acumen digiti minimi penetrare posset. Microscopii auxilio carcinoma hic adesse repertum est. Mesocolon hoc loco cicatrice contractum erat, intestina tenuia summopere extensa et aëre faecibusque liquidis parumque tinctis impleta. Inter singulas intestinorum ansas materia solida non exigua exsudatione peritonei orta reperiebatur. Intestini parietes nonnullarum unciarum crassitudinem nacti erant, magnam in partem nuper orto textu celluloso singulis ejus membranis interposito. Ea pars intestini tenuis, quae in pelvi jacebat, maxime in superficie striis rubris obtecta ligamentisque inflammatione exsudatis affixa, et nonnullis talibus ligamentis intestino coeco conjuncta erat. Ventriculus non naturae lege discessit, nisi quod ejus membranae crassiores factae erant. Notabilis erat hepatis conditio. Alte elatum intestinis inflatis, quum praecipue lobi ejus dextri pars anterior premeretur, talem situm obtineret necesse est, ut margo anterior posteriorem altitudine superaret, superficiesque cava non ut solet deorsum et retrorsum, sed versus parietem abdominis anteriorem directa esset. Nec diaphragmati nec aliis organis agglutinatum erat. Hic sectionem mortuae cujusdam commemorare mihi permissum sit, in quo hepatis dislocatio non tam notabilis erat, quam in priori casu; in singularem tamen altitudinem hoc organon a loco inferiore pressum ascendere posse hoc exemplar docet. P. P. ancilla quaedam XX annos nata Typho aegrotaverat et mortua est peritonitide intestino perforato effecta. Intestinum magnopere inflatum nonnullis locis ventris parietibus affixum perinde ac splen peritonitidis multa signa praebebat. Totius intestini tenuis, cujus membranae auctae erant, ventis maxime inflati et liquore bile tincto impleti maxima pars in pelvi minore jacebat, ubi praecipue ansae altera alteri conglutinatae erant. Tres inter ansas mediocriter conjunctas saccus repertus est impletus pure faecibus paullum tincto, in quem foramen intestini perforati viam aperiebat, respondens ulceri membranae mucosae typhoso. Talia ulcera plerumque profunde invadentia permulta in intestimo reperta sunt, plerumque tamen contra legem Typhi circuitum intestini sequebantur. Hepar ab intestino inflato sublatum usque ad sostam IV. propulsum erat. —

Non solum vero hepatis statum commutat intestinum aëre inflatum, sed etiam maximam difficultatem parare potest in exploratione hepatis loco suo non moti, si ansa quaedam ante hepar posita est et percutienti idem locus, ubi re integra sonus hepatis obtusus auditur, similiter ac tympanum resonat, quo facillime fieri potest, ut hepar in locum superiorem promotum videatur. In casibus dubiis verus hepatis situs eo modo eruitur, ut aegrotus in variis corporis situationibus variisque temporibus exploretur. Eadem fere (et hepar alio loco impositum et percussionis error), tympanitide etiam abdominali oriri possunt, saepissimeque hepar aëre extra intestinum in abdomen effuso alte in thoracem truditur. — Simul cum aliis abdominis visceribus in locis alienis positis et plerumque his auctoribus hepar loco suo movetur. Pseudoplasmata omnis generis, non minus etiam abscessus retroperitoneales, ut jam supra

Digitized by Google

commemoravimus, saepissime causam praebent, ut hepar aut in altum attollatur, aut aliis partibus affixum in locum inferiorem trahatur. Quae res propter varietatem causarum in certum ordinem collocari non possunt, de singulis vero, quae accidere possunt, agere, longum est. —

THESES.

In femoris colli fractura intra capsulam neque ferulae neque vincturae adhibendae sunt.

Contra pertussin medicamen specificum non existit.

Chalazium plerumque dissolvi potest.

Perinaeum parturientium manus sustentans a ruptura tueri non potest.

Digitized by Google

1854. VII.
MEDIC. VIII.

DE

FEBRIS SCARLATINAE

QUAE

INDE AB INEUNTE ANNO 1853 USQUE AD MENS. AUG. ANNI 1854
KILIAE GRASSATA EST EPIDEMIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

GRATIOSISSIMI ORDINIS MEDICORUM CONSENSU ET AUCTORITATE

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

CHRISTIANUS HEIDER

BREDSTADIENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

1854.

Digitized by Google

Imprimatur.

C. C. Th. Litzmann,

h. t. Dec.

Digitized by Google

Annis 1831—34 scarlatinae epidemia, Slesvicum et Holsatiam peragrans, etiam Kiliam attigit. Anno 1839 iterum scarlatinae epidemia Kiliae observata est; postea unoquoque anno nonnulli in scarlatinam inciderunt, hujus morbi autem natura tam bona erat, ut neque medici neque propinqui magna cura afficerentur, si quis morbo illo corriperetur. Longe aliter illa epidemica se habuit, quae anno 1853 et ineunte anno 1854 Kiliae observata est, de qua nonnulla scribere mihi proposui. In hac epidemia describenda de illis tantum casibus referam, qui in nosocomio academico et in urbe a medicinae studiosis curabantur, qui casus omnes diligenter observati sunt. Praeterea id maximi erit momenti, quod de plurimis mortuis narrare possum, quid necroscopia docuerit, cujus faciendae plurimis in casibus occasio nobis oblata est. Haec epidemia ineunte anno 1853 incepit et mense Aug. anni 1854 nondum omnino finita erat, ita ut et nunc singulis mensibus singuli casus adscribantur dum in pagis et praediis urbi vicinis plus plusque novissimis hebdomadibus morbus observabatur. Per hoc tempus aegroti 125 adscripti sunt, quorum pauci in nosocomio academico, ceteri in urbe curabantur. Ex hoc numero 31 mortem obierunt. — Jam mense Jan. anni 1853 primi Kiliae scarlatina affecti sunt, aegroti vero altiorum ordinum homines erant, quare hic eosum rationem non habeo. Id tantum memoratione dignum est, omnes paullo post morbi initium mortem obiisse, cerebri affectioni succumbentes, antequam exanthema pallesceret. Mense Martio primi aegroti adscripti sunt; aegrotorum numerus proximis mensibus parvus erat, aestatis mensibus crevit, mense Octobri vignit, tum anno exeunte epidemia cessare visa est. Mense vero Februario et Martio anni proximi iterum crevit, ita ut mense Martio aegrotorum numerus 14 esset. Deinde singulis mensibus minor aegrotorum numerus usque ad hoc tempus adscriptus est. Mensibus singulis casus ita adscripti sunt:

1853:

Mense	Mart.	2	letal.	0.
„	Apr.	5	„	0.
„	Maj.	2	„	0.
„	Jun.	6	„	2.
„	Jul.	10	„	5.
„	Aug.	5	„	2.
„	Sept.	8	„	2.
„	Oct.	22	„	4.
„	Nov.	12	„	2.
„	Dec.	3	„	2.

1854:

Mense	Jan.	1	letal.	0.
„	Febr.	9	„	2.
„	Mart.	14	„	4.
„	Apr.	5	„	1.
„	Maj.	2	„	0.
„	Jun.	7	„	1.
„	Jul.	8	„	2.
„	Aug.	4	„	2.

aegroti 125 mort. 31.

Digitized by Google

E quorum numero secundum vitae annum non transierant:

		12	e quibus mortui sunt 6.
E ceteris nati erant annos	2	21	10.
„	3	10	3.
„	4	10	3.
„	5	10	4.
„	6	12	4.
„	7	12	1.
„	8	6	0.
„	9	5	0.
„	10	10	1.
„	11	2	0.
„	12	2	0.
„	14	4	0.
„	16	1	0.
„	18	1	0.
„	20	1	0.
„	24	1	0.
„	25	1	0.
„	27	1	0.
„	30	1	0.
„	45	1	0.

Si hos numeros intuemur, primum magnus mortuorum numerus animadvertendus est, nam ex aegrotorum numero (125) 25 e centenis mortui sunt. Si praeterea contemplamur, ex eorum numero (48), qui annum septimum jam transierant, 2 tantum mortuos esse, ceterorum, qui annum septimum nondum attigerunt, e centenis 37 mortuos esse apparet. Quam epidemiam si cum aliis comparamus, ut cum illis, quarum eventus Schneemann narrat, qui ex aegrotorum numero plus centum unum tantum casum letalem evenisse narrat, plane apparet quam periculosa et maligna epidemia Kiliae fuerit. Lardum quidem aegrotis raro tantum infricuimus, quo remedio Schneemann omne scarlatinae periculum removeri dicit, neque vero permulti sunt, qui hoc modo in ulla epidemia mortuorum numerum deminui posse putent. — Neque vero in illa epidemia Hamburgensi, de qua Dr. Glaeser societati medicorum Hamburgensium observationes suas diligentes narrat, ex aegrotorum centenis plus viginti mortem obierunt, ita ut epidemiarum proximis annis descriptarum Kiliensis malignitate primum locum habeat. Praeterea numeros supra adlatos intuentibus nobis id commemoratione dignum videtur sextum annum jam transgressorum duos tantum mortuos esse, quamvis 48 in scarlatinam inciderint, qui hunc annum jam transierant. Etiam in primis sex aetatis annis ratio ita evenit, ut anno primo, secundo, tertio aegrotorum dimidia

Digitized by Google

circiter pars mortua sit, in proximis tribus annis ratio jam paullo faustior eveniat. Quae res, cum certe non casu et fertuito facta sit, nobis docet, aegrotos eo facilius scarlatinam sustinere, quo longius vitae spatium jam transierint, infantes lactentes autem fere immunes esse. Quare ex hoc conspectu apparet, quanta diligentia in primis vitae annis liberi ab infectione sint removendi, dummodo remotio quaedam omnino fieri possit, cum postea morbus multo facilius sustineatur.

Morbi initium et progressus in plurimis casibus ita fere se habuit. Parvuli proximis diebus, exanthemate nondum erupto, plerumque valde solliciti et inquieti erant et febri gravissima laborabant, ita ut plerumque arteriarum pulsus centies et quadragies, quin saepe centies et sexagies in sexagesima horae parte moverentur. Praeterea aegroti siti vexabantur, eorum facies rubore suffusa, cutis fervens erat. — Exanthema, plerumque in thoracis regione subclaviculari primum exortum, in plurimis casibus praeclare ante oculos positum erat, cutis magno ambitu turgescebat. Semel atque iterum exanthema a propinguis non animadversum est. Tum pulsuum frequentia cum angina et infiltratione glandularum lymphaticarum colli, desquamatio denique postea inventa diagnosis argumenta praebebant. Ad summum gradum exanthema plerumque in antibrachio pervenire vidimus, ubi saepe exanthema miliare inveniebatur, cujus in vesiculis massa exsudata saepe in suppurationem transire solebat, quo factum est, ut in cute rubra puncta flava apparerent. — Desquamatio die tertio aut quarto post exanthema initium cepit atque per multos dies plerumque mansit omnibusque in casibus inveniri potuit. Saepenumero aegroti magna epidermidis panna, praesertim extremitatum, detrahere potuerunt. — Lingua in omnibus casibus ab initio observatis in superiore superficie crassis stratis obducta, in margine et apice rubra erat et hic papillae intumuerant, ita ut lingua frago non dissimilis esset. Si pulsuum cordis frequentia permanebat, exanthemate jam pallescente, lingua et labia saepe fuscis et fuliginosis massis tegebantur, sub quibus membrana mucosa rupturas saepe cruentas ostendebat, si aegroti massas illas obduratas, mentis non compotes, removere studebant. A labiis non raro desquamationis tempore exanthema impetiginosum in mentum et genas se extendebat, in iis vero casibus tantum, in quibus lingua et labia diu siccis illis et fuliginosis massis obtecta erant. Ut jam supra narravimus aegroti siti valde vexabantur, incredibili cupiditate praesertim aquam frigidam devorabant. Ciborum appetitus primis morbi diebus in omnibus fere casibus plane aberat, tum vero augeri solebat, si exanthemate pallescente pulsuum frequentia deminuebatur. Emesis ante eruptionem tantum observata est, postea in omnibus casibus cessabat, dum diarrhoea, quae etiam initio saepe adesse solebat, saepenumero usque ad desquamationem permanebat. — Ex omnibus signis maximi momenti illa in scarlatina sunt, quae cerebri affectione efficiuntur, nam haec signa praebentes aegroti saepe jam in morbi acme, exanthemate nondum pallescente, mortem obierunt. Aegroti primis morbi diebus valde turbulenti et inquieti erant, tum mente capta nunc stupebant,

Digitized by Google

nunc inquieti in lecto movebantur. Plerumque magno tantum labore incitari poterant, ut responderent, aut animum attenderent iis, qui adessent. Praeterea facies rubore suffusa, conjunctiva oculorum vero non injectione vasorum rubefacta erat, pupillae reactionem celerem et acrem ostendebant. In casibus pessimis aegroti mox e sopore excitari non potuerunt, tum corporis extremitates superiores et inferiores refrigescebant, cutis livescebat, et tum mors plerumque citissime evenire solebat, ita ut perpauci tantum casus inventi sint, in quibus discrimen letale non spatio horarum 24 finitum esset. Singulis in casibus factum est, ut ante soporem convulsiones gravissimae aegrotorum invenirentur. Ipse puellam annos 2 natam vidi convulsionibus universalibus tam vehementer in lecto jactari, ut certe in solum cecidisset atque ictu contusa esset, nisi eam parentes perpetuo in lecto retinuissent. — Initio morbi tonsillarum semper tumores et saepe graviores inveniebantur, tum glandulae lymphaticae colli tumescebant. Aegroti igitur semper de glutiendi incommodis querebantur, in singulis casibus his rebus respirationis impedimenta graviosa effecta sunt, ita ut respirationis incommodorum causa semel incisiones factae sint. Inflammatio et postea ulceratio tonsillarum in pharyngis partes circumjacentes se extendebat. Saepe glandulae lymphaticae colli infiltratae in suppurationem transierunt, ita ut abscessus magni efficerentur, qui, si non aperiebantur aut integumenta perrumpebant aut inter pharyngis et oesophagi parietem et columnam vertebrarum se extendebant. Etiam massa diphtheritica in tonsillis atque membrana mucosa pharyngis exsudata saepe in ulcerationem transiit, quod in paucis tantum casibus observari potuit, nam infiltratione glandularum lymphaticarum parvuli plerumque impediebantur quin ore aperiendo has partes medico ostenderent. Magnae partes ulceratione dejiciebantur, quo facto ulcera manebant, quae in tonsillis et pharynge longe patebant. Ulcera illa adesse raro adspectus, plerumque foetor ex ore et naribus prorumpens satis docere soluit. — Signa impeditae actionis in organis respirationis in plurimis casibus eo tantum tempore inveniri solebant, quo aegroti jam in sopore jacebant. In duobus tantum aegrotis, sui compotibus, in uno tussis gravior, in altero dyspnoea observata est. Tussis lenior saepe observata certe irritatione quadam, ab inflammata pharyngis membrana mucosa in laryngem propagata, efficiebatur. Praeterea respirationis impedimenta propter hydropem pleurae et pericardii inventa sunt; hi morbi quidem semper in posterioribus scarlatinae periodis, in hebdomade tertia seu quarta, exorti sunt, sicut etiam hoc tempore bis pneumonia diagnosci potuit. — Morbus Brigthii decies et sexies inventus est. In omnibus his casibus in urina albumen, et si quaerebantur, cylindri illi fibrinosi inveniebantur. Albuminuria numquam in morbi acme observata est, sed plerumque in hebdomade tertia seu quarta post morbi initium. In omnibus albuminuriae casibus hydrops evenit. Facies aegrotorum intumescebat, aegroti erant corpore inflato et tumido, praesertim tela cellulosa subcutanea pedum atque crurum oedemate intumescebat. Hydrops ascites semel, hydrothorax bis, hydrops pericardii

bis, peritonei semel exploratione cognitus est. Compluribus in casibus aegrotos jam paene e morbo emersos vidi, ita ut optima valetudine usque ad id tempus frui viderentur, quo intumescentia faciei subito orta ad urinae quaestionem instituendam hortaretur. Unum casum memoria teneo, in quo propinqui exanthema omnino neglexerant. Cum denique facies intumesceret, a medico rogati puellae thoracem ante hebdomades complures rubore mediocri tinctum fuisse dixerunt. Albuminuria in casibus 14 medicamentis mox sublata est, bis aegroti urinae retentionis atque hydropis pleurae et pericardii signa praebentes cum convulsionibus mortem obierunt.

Aegrotorum 31 mortui sunt, quorum 25 in morbi acme, omnes in prima hebdomade, signa actionis cerebri impeditae praebentes, cujus causa certe dyscrasia quaedam morbo effecta habenda est. Aegrotorum, qui primam hebdomadem transgressi erant, 6 tantum mortui sunt, 2 sub convulsionibus, morbi Brigthi signa praebentes. In casibus 4 glandulae lymphaticae in suppurationem transierant, ita ut magni abscessus inter pharyngem et columnam vertebrarum orti essent. Simul ulcera magna in tonsillis et pharynge, semelque in lingua aderant atque aegrotantes appetitu ciborum omnino carentes prostratione virium perfecta succubuerunt. Parotitis observata est in casibus 2, ita ut inflammatio glandulas utriusque lateris afficeret. Mors in uno casu evenit.

Therapia, qua in scarlatina usi sumus, initio plerumque exspectans erat, plerumque saturatio kalina seu potio acidula e acido minerali parata dabatur. Praeterea aegrotis aqua frigida commendata est et ad sitim sedandam et ad lavationes frigidas faciendas et ad fomenta frigida capiti imponenda, omnino ut frigore moderato uterentur adhortati sumus. Postea therapia secundum symptomata prae ceteris apparentia moderata est. Si anginae incommoda graviora exstiterant hirudines nonnullae collo impositae sunt, quibus incommoda saepe sedata sunt. Glacie, in sacculis seu in vesicis collo imposita, semper in amygdalitide et tumore glandularum lymphaticarum saluberrima, propagatio inflammationis impediri videbatur. Si glandulae lymphaticae in suppurationem transierant, plerumque fluctuatione cognita mature incisiones factae, deinde abscessui cataplasmata imposita sunt. In uno casu suffocationis imminentis causa incisiones factae sunt, antequam abscessus suppuratione evenisset. Magna copia aquae amylaceae profluit. Eventus in hoc casu faustus fuit, cum tumor mox collaberetur atque dyspnoeae signa cederent. Si ulcera tonsillarum atque pharyngis orta erant, plerumque remediis causticis attingi non potuerunt, cum parvuli colli intumescentia impediti essent quin os aperirent, et si hoc impedimentum aberat, saepe propter morositatem ad nullam rem efficiendam commoveri possent. Gargarizatio his de causis ne ab illis quidem impetrari potuit, qui jam aetate provecti erant. Quare aqua chlorica intrinsecus data est. Uno in casu ulcera tonsillarum et pharyingis acido muriatico diluto oblini potuerunt, quo saepius facto atque magnis massis diphtheriticis expulsis mox repurgata sunt. Contra molestias gastricas, emesin et diarrhoeam,

medicamentis plerumque non egere putavimus, cum in progressu morbi sua sponte cederent. Si aegroti alvo erant suppressa infuso sennae diarrhoeas efficere studuimus. Etiam contra respirationis incommoda remediis opus non erat, cum in singulis tantum casibus, dum vivebant aegroti, mutationes organorum exploratione cognosci possent. Mutationes anatomicas, quae, ut ipsa vidibimus, saepe necroscopia inveniebantur, plerumque in sopore ortas esse puto. Aegrotis sopore correptis ammonium carbonicum, singulis in casibus etiam camphora dabatur. Si consideramus, quantam utilitatem ammon. carb., in scarlatina a multis medicis maximi aestimatum, praebuerit, pulsum arteriarum saepe pleniorem factum, cutis calorem auctum esse, aegrotos parumper se refecisse saepeque ad se redisse negari non potest. Plerumque vero mox in statum anteriorem relapsi sunt, magna pulsuum frequentia etiam tum non cessit, si remedii adhibiti vis negari non potuit. Eadem vis rigationum frigidarum esse videbatur, quae medico praesente semper factae sunt, cum propinqui eas valde timerent. Rigationibus quoque pulsus atque circulationis refectio auctioque extremitatum caloris effici potuit, ita ut parvuli parumper sui compotes essent, mox autem ad soporem redibant, extremitates refrigerescebant atque colorem lividum recipiebant. Rigationes semel atque iterum factae postremum etiam hanc vim omittebant. Lardi infricationibus illis, a Schneemann maximi aestimatis et ejus praedicatione celebratis, in singulis tantum casibus usi sumus, quare se earum vi non multum compertum habemus, tamen non dubito minoris earum vim aestimare quam Schneemann. Etenim si ille hoc remedio adhibito se omnes scarlatina affectos curasse dicit, certe fricationes illas epidemiis lenioribus adhibuit. Si vero scarlatina tam maligna ut Kiliae prodit, ubi nonnumquam factum est, ut medicus advocatus initio parvulum convulsionibus correptum aut in stadio soporis jacentem inveniret antequam ullum exanthematis vestigium adesset, aut alia res quam angina mediocris et magna frequentia pulsuum, epidemia regnante, scarlatinam eventuram nobis persuaderet, tum infricationum illarum vim abesse puto. Id vero constat infricationibus desquamationem non averti, nam etiam infricatione adhibita desquamationem copiosam vidimus in iis casibus, in quibus exanthema satis manifestum apparuerat. Transeuntibus nobis nunc ad morbos scarlatinam saepe sequentes hic maxime de albuminuria et exsudatione serosa sub cute et in saccis serosis agendum est. Ad hunc renum morbum ejusque eventus removendos remedia drastica et diuretica adhibita sunt, ut gummi guttae, herb., digit. purp. cum cremore tartari, infusum herb. digit. cum liquore kali acetici et roob juniperi. Vis horum remediorum plerumque prosperum eventum producere videbatur, nam post aliquot dies oedema faciei atque extremitatum saccorumque serosorum cedere et albuminis copia in urina mox deminui solebat. Primam curam ei impendebamus, ut aegroti, quamvis saepe, intumescentia faciei cognita, optima valetudine frui viderentur, in lecto retinerentur et cibis lacte paratis uterentur. In casibus duobus tantum albuminuria non cessit atque uraemiae signa efficiens morte finita est. In suppuratione glandularum lymphaticarum

Digitized by Google

longinqua nostra cura erat, ut aegrotorum vires remediis et cibis roborantibus conservaremus, in quatuor casibus aegroti postratione virium vitam amiserunt.

Restat ut de iis referam, quae necroscopia reperta sint. Sectio in casibus 8 a propinquis non concessa, in casibus 23 instituta est. Quarum cum sectionum tabulas in manibus habeam, numeris hic organarum mutationes anatomicas componam. In omnibus casibus inspectione cadaverum magnae maculae lividae videbantur, ita ut saepe tota dorsi et extremitatum cutis coloris e rubro lividi esset. Meninges et substantia cerebri in casibus 10 paullo majorem sanguinis copiam quam normalem, praeterea nullas mutationes memoratione dignas praebuerunt. Semel meningitis cum hydrocephalo acuto adfuit in puero, in tertia morbi hebdomade morbo Brigthi, hydrope et pericardii et pleurae et peritonei correpto. Major seu minor seri pellucidi copia sub arachnoidea in casibus 8 inventa est, ventriculi cerebri in casibus 6 majore aut minore seri copia praeter modum dilatati erant. Glandulae lymphaticae in casibus 18 massa exsudata solida et fragili infiltratae erant. Massa exsudata in glandulis ipsis et tela cellulosa eas circumdante in casibus 3 in suppurationem transierat, ita ut abscessus adessent, qui pharyngem oesophagique partem superiorem a columna vertebrarum solverant. Periosteum vero vertebrarum intactum inventum est. Tonsillae in casibus 13 in superficie et in parenchymate massa exsudata infiltratae erant. Saepe in tonsillis abscessus parvi et haemorrhagiae parvae lentis pisive magnitudine inventae sunt. Saepenumero ulcera in tonsillis et pharynge erant, ulceratio in casibus 3 a pharynge in epiglottidem, in casibus 2 in membranam mucosam choanarum atque narium, in casu 1 in linguam translata erat. — Membrana mucosa organorum respirationis, praesertim bronchorum minorum, in casibus 14 in statu catarrhali erat, vasa injecta sanguine, copia magna liquoris mucosi et spumosi exprimi potuit. In casibus 9 minores pulmonum partes aere vacuae erant, cum substantia pulmonum his locis aut collapsa tantum, aut massa exsudata jam infiltrata esset. In casibus 2 majores pulmonum partes hepatisatione obduratae erant, in uno casu lobus inferior pulmonis dextri, in altero pars media pulmonis sinistri. In nonnullis casibus injectio major vasorum pleurae costalis et haemorrhagiae minores in membrana illa inventae sunt, in casibus 4 stratum tenue massae fibrinosae exsudatum erat. In casibus 7 cavum pleurae, in casibus 5 saccus pericardii majore aut minore copia liquoris serosi impletus erat. Glandulae bronchiales in casibus 8 intumuerant. Hepatis numquam mutationes pathologicae observatae sunt. Lien, aut magnitudine normali aut paullo majore; sanguine impletus, colore pullo erat, semel lienis abscessus parvus pyaemicus forma cuneata in puella, quae diu abscessu colli inter pharyngem et columnam vertebrarum laboraverat, inventus est. Ventriculi laesiones anatomicae non observatae sunt, saepenumero autem rubor catarrhalis intestini tenuis inferioris conspicuus erat, etiam folliculi solitares et Peyerani in casibus 16 intumuerant, ita ut magnitudinem lentis praebentes in intestini membrana mucosa eminerent. Etiam glandulae meseraicae in

Digitized by Google

casibus 15 intumuerant, consistentia et forma ut in cadaveribus post typhum inspectis se habebant. Renes in nullis casibus, in quibus mors in hebdomade prima evenerat, mutati, mox sanguine abundantes et expansi, mox pallentes et flaccidi erant, tunica propria laevis de rene detrahi potuit. In casibus 2 vero, in quibus aegroti diutius albuminuria laboraverant atque excretio urinae per horas 24 ultimas cessaverat, renes expansi et amplissimi videbantur. Diameter crassitudinis tanto aucta erat, ut eadem essent crassitudine qua latitudine. Si tunica propria detrahebatur partes minimae renis in ea haerebant. Substantia corticalis valde aucta longe inter pyramides invasisse videbatur. In his casibus 2 vesica urinaria fere vacua erat, guttae perpaucae tantum inventae coctae albumine obscuratae sunt.

Postremum breviter unum casum narrabo, qui praesertim multis de causis, quas ipsa narratio docebit, commemoratione dignus mihi videtur.

Henricus Stegelmann, annos tres et dimidium natus, die 24 mens. Oct. scarlatina correptus est. Magna pulsuum frequentia, exanthema manifestum, angina mediocris et diarrhoea aderant. Exanthema post dies 4 pallescebat atque statim desquamatio mediocris quidem initium cepit. Parvulus jam optima valetudine fruebatur, lectum reliquerat, neque per dies 14 aliquod morbi signum observatum est. Die 12 mens. Nov. puer morosus esse videbatur, appetitu sueto caruit, facies tumida videbatur, secundum matris narrationem aegrotus parvam urinae copiam reddiderat. Die 13 mens. Nov. aegrotus nocte subito dyspnoea gravi correptus est. Medicus advocatus aegroti respirationem frequentem et anhelantem, cutem ferventem et siccam, faciem tumidiorem quam die proximo invenit. Pulsus arteriae radialis tactu percipi non potuit, impulsus cordis tenuis erat, soni cordis obscuri percipiebantur. Regio cordis percussa sonum obtusum justo longius in partem superiorem patentem dabat. Alvus mollis compressa dolore non afficiebatur. Dejectio alvi per horas 24 defuit. Parvulus omnino sui compos erat, de doloribus non querebatur. Urina mane reddita magnam albuminis copiam praebuit, in postera diei parte urina non reddita est. Vesicam exploratio non expansam esse docuit. Hirudines 4 cordis regioni impositae sunt, secunda quaque hora calomel. Gr. ii., herb. digit. purp. Gr. i. aegroto dabantur. Clysmate e aceto parato dejectio copiosa effecta est. Die 14 mens. Nov. mane sonus percussionis obtusus in regione cordis usque ad marginem dextrum sterni manifeste auditu percipiebatur, pulsus frequentissimus et mire stridens tactu percipi potuit, soni cordis non satis clari audiebantur. Urina non reddita est. Parvulus sui compos et mane et vesperi erat. Vesperi copiosa dejectio aquosa semel evenerat. Die 15 mens. Nov. dyspnoea aucta erat, parvulus sine animi intentione jacebat, difficile ad respondendum movebatur, facies magis tumida quam die proximo, etiam manus tumidae erant. In cavo peritonei etiam liquor mobilis exploratione cognitus est. Postica thoracis pars sinistra usque ad angulum scapulae inferiorem percussa sonum obtusum dabat atque hoc loco omnino respiratio audiri non poterat. Hoc die sapius liquida

Digitized by Google

alvi dejectio evenit, num urina etiam reddita sit compertum non satis habemus. Die 16 mens. Nov. aegrotus somnolentus mane excitari potuit atque tum sui compos erat, vesperi vix excitari potuit. Etiam pedes atque crura nunc tumuerant. In thoracis postici latere sinistro respiratio bronchialis audiebatur. Vesperi puer urinae multo cum sanguine mixtae unciam reddidit, cui sanguinis coagula nonnulla innabant, bis copiosa dejectio aquosa evenerat. Aegroto aqua calida lavato gummi guttae Gr. v. in liquore kali carbon. soluta data sunt. Die 17 mens. Nov. aegrotus somnolentus excitari quidem, non vero ad loquendum, neque ad linguam exserendam commoveri potuit. Cutis humida erat, pulsus arteriarum stridentes centies et sexagies in sexagesima horae parte movebantur. Aegrotus nocte urinam reddiderat atque matulam requisiverat, die faeces liquidas in lectum reddiderat. Vesperi aqua calida lavatus est. Die 18 mens. Nov. aegrotus semper dormiebat, urinam et faeces in lectum reddidit. Manu frigida brachium tactum retraxit atque oculos aperuit, non vero locutus est. Aquam oblatam bibebat, non vero aquam postulavit. Vesperi aqua calida lavatus est. Nocte parvulus valde turbulentus erat, secundum matris narrationem convulsionibus mediocribus laborasse videbatur, saepius vehementer clamores edidit atque prima luce mortuus est.

Sectio sexta hora post mortem instituta est. Extremitates superiores et inferiores oedema mediocre praebuerunt. Quamvis sectio jam sexta hora post mortem instituta esset, magnae maculae dorsi apparuerant. In femore desquamatio mediocris epidermidis inventa est. Dura mater obscurata erat, colore albescente, pia mater colorem e flavo canum praebuit, sub qua stratum crassius massae exsudatae flavae et glutinosae, praesertim in sulcis, jacebat. Maximam crassitudinem massae exsudatae in regione falci propinqua vidimus. Aliis locis massa exsudata magis serosa erat. Superficies cerebri non plane intacta mansit, si pia mater detrahebatur. In cerebri basi copia massae exsudatae multo minor adderat. Ventriculi cerebri sero mediocriter tincto impleti, expansi, partes circumjacentes maceratae erant. Etiam ventriculus quartus et aquaeductus Sylvii expansi, plexus choroidei medii obscurati erant. Tonsillae tumidae, glandulae lymphaticae colli mediocriter infiltratae erant. Saccus pleurae sinister libram dimidiam liquoris serosi, massam minorem etiam dexter continuit. In sacco pericardii circiter unciae duo et dimidia liquoris ejusdem inerant. In pulmonis sinistri superficie flocculi tenues recentis massae exsudatae fibrinosae visi sunt. Lobus inferior pulmonis sinistri coloris e rubro fusci erat, aere plenus, lobi superioris pars inferior hepatisata, superior oedematica. Pulmonis dextri pars inferior mediocriter oedematica, ceterum normalis erat. Membrana mucosa pharyngis, laryngis, tracheae, bronchorum, etiam minorum, pallida erat. Glandulae bronchiales in tracheae bifurcatione valde tumidae erant. Cor dextrum, praesertim vestibulum dextrum, magnis coagulis fibrinosis impletum erat, praeterea nihil pathologici aderat. Lien magnus et compactus, mediocrem sanguinis copiam continens, dissectus magnum corpusculorum

Digitized by Google

Malpighi numerum ostendit. Ventriculus parvam copiam liquoris cani, acidum odorem exhalantis continuit. Membrana mucosa intestini pallida erat, nonnulli folliculi Peyerani parvo aucti erant, item nonnullae glandulae meseraicae duplicem et triplicem magnitudinem ostenderunt. Ren dexter crassior, substantia compacta erat, in superficie permultae injectiones vasorum capillarium, stellarum formam praebentes, videbantur. Renis dissecti substantia corticalis striate rubefacta inter pyramides longe patuit. Renis sinistri eadem inventa sunt, capsula detracta parenchyma rumpebatur. Vesica nonnullas tantum urinae guttas continuit. Hepar magnum et in marginibus obtusum, parenchyma pallidum, sero infiltratum ostendit, ita ut compressione magna seri cruenti copia extrudi posset. In hepatis superficie nonnulla parva grana colore cano, tuberculorum formam habentia, videbantur. Fel colore pallido erat. In cavo peritonei parva seri copia inventa est.

THESES.

1) Venaesectio in pneumonia curanda numquam necessaria est.

2) Thoracocentesis rejicienda est.

3) Medicus plus rebus noxiis prohibendis quam remediis adhibendis efficit.

4) Exploratione thoracis pneumonia a pleuritide non semper diagnosci potest.

1854. VII.
MEDIC. IX.

NONNULLA

DE

PATHOLOGIA GANGRAENAE PULMONUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

SCRIPSIT

CONRADUS LORENZEN

SLESVICO-BREDSTADIENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

1854.

Digitized by Google

Imprimatur.

C. C. Th. Litzmann,

h. t. Dec.

Digitized by Google

NONNULLA DE GANGRAENA PULMONUM.

Gangraena pulmonum etsi medicis veteribus nota, tamen non satis accurate descripta nec sectionibus institutis confirmataerat, donec primus Laennec, qui optime de morbis pulmonum recte cognoscendis meruit, gangraenam certam pulmonum affectionem esse et certa in vivis et in mortuis habere symptomata demonstravit.

Distinxit gangraenam circumscriptam et diffusam, quae distinctio etiam nunc observatur. Post Laennec Andral (Cliniqu. médic. 3 edit. III., 470) et Cruveilhier (Anat. patholog. liv. III. et XI.) plurimos casus collegerunt et quibus ex causis gangraena nasceretur explicare studuerunt. Guislain (gaz. medic. IV., 593 et 657) gangraenam pulmonum saepissime in hominibus insanis, praecipue melancholicis et epilepticis observavit, Rilliet et Barthez (mel. des enfants II., 107) et Boudet (arch. génér. II., 385), qualis in infantibus esset, descripserunt. Grisolles saepe eam post pneumonias (traité de la pneum.) vidit, quod idem Stockes (*Brustkrankheiten. Uebersetzg.* p. 545) et Fournet (expérience I., 322) fecerunt. In Germania imprimis a Rokitansky (III., 3), Hasse, (*Pathologische Anat.* I., 300), Fischel (*Prager Viert.-Jahrschrift* 1847, A., I.), Scoda (*Zeitschrift für Wiener Aerzte. Mai.* 1853) et Traube (*Deutsche Klinik.* Nr. 37, 1853) hic pulmonum morbus sectionibus accurate institutis notior factus est; in Batavia Schroeder van der Kolk (observ. anat. pathol. I., 202) pulcherrime gangraenam diffusam descripsit.

ANAT. PATHOL.

Distinguimus gangraenam pulmonum circumscriptam et diffusam quae formae, etsi multum iis commune est, ob diversam prognosin et genesin pathologicam separandae sunt. Gangraena circumscripta crebrius observatur et plerumque eandem quam pneumonia sedem habet in pulmonis dextri lobo inferiore. Rarius pulmo sinister et lobi superiores afficiuntur, quod contra sententiam a Guislain prolatam est, qui saepius gangraenam pulmonis sinistri observavit. Saepius gangraena in uno pulmone aut singulis locis cernitur, aut, si e sepsi sanguinis quadam nata erat, pluribus. In casi-

Digitized by Google

bus a nobis collectis nonaginta octo gangraenae pulmonum forma circumscripta nonagies, diffusa octies observata est, quadragies novies pulmo dexter, tricies bis pulmo sinister, uterque pulmo septies decies affectus est, lobus superior vicies quater, medius novies, inferior quadragies quater, plures unius vel utriusque pulmonis lobi vicies semel morbi sedes fuerunt. Gangraena rarissime in parte pulmonum anteriore invenitur, saepius in lateribus, saepissime in parte posteriore, superficiem proprius quam centrum.

Gangraena pulmonum circumscripta accurate determinata est et facile a parenchymate ambiente, quod nunc hoc nunc illo est statu, distingui potest. Locus affectus, ut Laennec bene significavit, crustae similis est lapide caustico in cute effectae. Loco aliquo variae magnitudinis parenchyma pulmonum in crustam subviridem, humidam, tenacem, foetorem intolerabilem exhalantem mutatum est, cujus forma varia, initio vero plerumque rotunda invenitur. Stadia tria facile distinguuntur, primo crusta formatur, secundo crusta emollitur, tertio caverna gangraenosa nascitur. Crusta gangraenosa aut sensim a parenchymate circumeunte solvitur, ita ut embolus in parte interiore durus et materia gangraenosa circumfluus sedem habeat in excavatione eandem formam et magnitudinem praebente, aut crusta non propellitur sed solvitur in massam mollem, valde foetidam, subnigram, quae in caverna parietibus erosis villosisque circumdata sita est, et sub speculo microscopico plerumque fibras elasticas vel telae cellulosae alveolos lobulosque circumeuntis demonstrat. Color viridis et subniger causam trahit ab haematino materie gangraenosa mutato et saepius a ferro sulphuris recens formato (*Vogel, pathol. Anatomie*, p. 163 et 374), foetor terribilis nascitur, quod acida pinguia, acidum baldrianicum, ammonium carbonicum, acidum hydrothionicum atque rarissime hydrogena carbonei ea, quae facile igne concipiuntur, libera fiunt. Saepius acido nitrico adhibito color ille roseus nascitur, qui a Scherer et Buff in materiis multis putrescentibus, a Virchow in fibrino putrido observatus est. Vasa sanguinifera in locis illis vel circum eos plerumque massis decoloribus et puriformibus oblitterata inveniuntur, contra etiam saepe integra per cavernam gangraenosam percurrunt vel ea erosa, parietes duri, caverna sanguine foetido completa cernitur. Corruptio gangraenosa introrsus transit in bronchos majores, qui mox emolliuntur itaque eroduntur, ut lumina aperta cum caverna gangraenosa conjungantur viasque indicent, quibus massae foetidae foras propellantur. Gangraena vero quum in partes exteriores transit, pleura affecta, pleuritis gangraenosa nascitur. Pleura perforata cavoque pleurae massis putridis completo, pneumothorax sequitur, aut quod caverna cum aëre externo communicat, aut quod quae acida volatilia in fluido foetido insunt, ea liberantur. Eodem modo oesophagus gangraena perforatus visus est, (*Hammernijk*), diaphragma, (Hughes) pericardium (Leuret). Fit vero etiam, ut, cum pleura pulmonum adhaesionibus firmis cum pleura costarum accreta sit, quae in caverna insint massae foetidae, eae thoracis parietes molles, musculos, telam cellulosam

Digitized by Google

et adiposam inficiant itaque abscessus gangraenosi nascantur, quos ad scrotum usque subter cutem pertinere Stokes vidit.

Plerumque locis gangraenosis proxima colore albo imbuta seroque infiltrata sunt et eandem quam oedema extremitatum gangraenosarum speciem praebent, quod Cruveilhier rectissime oedema gangraenosum significavit. Contra saepe parenchyma circa locum gangraenosum situm inflammatione acuta correptum est. Invenies massas in alveolos exsudatas, quae colore tantum subviridi a pneumonicis genuinis et crouposis distinguantur. Sub speculo microscopico alveolos cernes massa moleculari et sublutea completos, in quibus hic illic corpuscula puris formas irregulares praebentia et corpuscula sanguinis marginibus serratis, innatant; rarissime etiam, quod Lebert observavit (physiol. pathol. tabl. I. p. 93), tabulae cholesterinae et cristalli phosphatis ammonici et magnesiae inveniuntur. Saepius vero exsudatione fibrinosa non facta partes cavernam gangraenosam circumeuntes fluido coeruleo non valde spumoso, quod idem in pneumonicis typhosis fieri solet, completae sunt. Bronchi plerumque hyperaemias et secretionem magnam demonstrant, ita ut plus muci quam saniei gangraenosae tussiendo ejiciatur. Quae pulmonum infiltrationes si valde extentae sunt, non raro mortem efficiunt. Saepius etiam gangraena a loco circumscripto longius extenta diffusa est, ut in bronchos majores aut in vasa sanguinifera transeat. Haemorrhagiae vehementes saepe ad mortem perducunt, bronchi fere omnes colore subrubro imbuti et secretis foetidis nigrisque operti sunt, aut gangraena transit in pleuram et quas supra descripsimus mutationes provocat. Rarissime vero etiam accidit, ut embolo gangraenoso soluto ejusque resorptione et expectoratione cicatrice formata morbi sanatio efficiatur. Quae sanatio et in vivis observata et sectionibus institutis affirmata est. Tela enim interstitiali inflammata suppuratio existit, locum gangraenosum limitans, qua initio quidem secreta massis gangraenosis immixta expelluntur, sensim vero pus bonum et laudabile procreatur. Pars gangraenosa soluta et emollita aut resorptione amovetur aut sputis ejicitur, in quibus fibrae elasticae et cartilagines bronchorum minorum inveniuntur et monades vibrionesque innumerabiles scatent. Pars morbo affecta cavernam intus suppurantem continet, cujus parietes pseudomembrana grisea vestiti durioresque et albiores facti saepius quod Hasse observavit vasa propria sanguinifera accipiunt, donec ad instar abscessuum aut vomicarum tuberculosarum caverna tota in cicatricem fibrosam validamque mutata est. Quam gangraenae circumscriptae sanationem pulcherrime Gerhardt observavit in cadavere viri cujusdam, qui novem annis abhinc omnia gangraenae pulmonum symptomata ostendit. Invenit enim in lobo pulmonis sinistri inferiore cum pleura costarum dure accreto cavernam corrugatam et plenam unumque digitum longam et latam cum ramo bronchi majoris communicantem.

Diffusa pulmonum gangraena aut circumscriptam, quam supra descripsimus, sequitur, aut spontanea procreatur. Sedem habet in lobis superioribus crebriusque

Digitized by Google

pulmonis dextri quam sinistri; in casibus octo a nobis collectis quater pulmonis dextri, ter sinistri lobus superior affectus erat; semel utriusque pulmonis lobi superiores in cavernam gangraenosam mutati, semel pulmonis dextri lobus superior et medius gangraenosus visus est. Invenies tunc pulmonis affecti partem quandam viridem et decolorem, fluido foetido nec valde spumoso completam itaque mollem, ut facile conteri possit, quae anomaliae ad peripheriam minores sunt, ubi parenchyma album atque anaemicum reperitur. Sanum vero parenchyma non facile a gangraenoso distinguitur nec fines ut in gangraena circumscripta accuratius constituti sunt. Plerumque etiam diffusa bronchorum gangraena adest, nec affectiones pleuriticae deesse solent, quas, nisi adhaesiouibus firmioribus prohibetur, saepissime pleurae perforationes sequuntur.

Secundum Rokitansky gangraena diffusa imprimis in partibus superioribus iis reperitur, quae, cum antea justo vehementius respiraverint, emphysemate extentae et anaemicae sunt, contra in lobis inferioribus stasis illa, quae vocatur passiva, sedem habet. In gangraena diffusa ea quam pulcherrime Schroeder van der Kolk descripsit, plurimae arteriae venaeque pulmonales oblitteratae massis puriformibus repertae sunt; in singula tantum vasa minora massae quae injectae erant, usque ad cavernam gangraenosam perduci potuerunt. Vasa lymphatica facile injecta sunt, cum quibus glandulae bronchiales communicantes sanie viridi foetidaque completae fuerunt, quare vasibus lymphaticis ipsas massas gangraenosas resorptas esse demonstratum est. Cavernae gangraenosae parietes quasi per longum tempus macerati videbantur.

In parenchymate, quod gangraenae proximum est, numquam inflammationis acutae vel suppurationis limitantis signa adsunt, quare ut pulmo sanetur fieri non potest. Diffusa pulmonum gangraena in cadaveribus recte distinguenda est a pulmonum emollitione, quae simul cum stomachi malacia reperiri solet, nec aliud ac symptoma cadaverum putandum es. Quo nihil est facilius quia foetor terribilis deest, nec pulmo emollitus locos tam nigros et decolores quam gangraenosus habet. Pulmo gangraenosus ut denique cum statu pulmonum eo, quem dicit Andral „ramollissement," vel cum hepatisatione grisea permutetur, vix fieri potest.

Gangraena et diffusa et circumscripta plerumque cum aliis mutationibus pathologicis, quae aut illam sequuntur aut easdem causas habent, conjuncta reperitur. In casibus a nobis collectis nonaginta octo pneumonia observata est quadragies octies, hypostatica vicies octies, lobularis vicies, pleuritis quinquagies et tricies quidem octies in latere quod gangraenae respondit, decies vero in pleura pulmonis alterius; quinquies exsudata in utriusque pleurae cavis, quater pericarditis, bis endocarditis cum valvulae mitralis insufficientia, semel arteriae pulmonalis inflammatio (?), exsudata fibrinosa in larynge bis, semel in pharynge post variolas, peritonitis ter et semel quidem in puerpera, inflammationes recti et colonis descendentis dysentericae tredecies, infiltratio pulmonum tuberculosa vicies quinquies, intestinorum tuberculosis tredecies,

Digitized by Google

semel tuberculosis renum, vesicae urinariae, urethrae, uteri, tubarum Fallopiae, ulcera typhosa novies, pneumothorax undecies. Sanguis eorum, qui pulmonum gangraena mortui erant, plerumque tenuis valdeque liquidus colore subrubro erat, plurimae membranae mucosae simul cum parietibus vasorum intimis sanguine imbuti, corpus macerrimum, miliaribus et epidermidis squamis (pityriasis versicolor) multisque maculis mortualibus coopertum, circum trochanteres et os sacrum magna ulcera cubando effecta, facies livida, labia dentesque crustis crassis et subrubris tecti, articulorum cava ac saepissime coxae massis purulentis completa.

AETIOLOGIA.

Est aetiologia hujus morbi pars difficillima, quare multa ut certe affirmentur novis experimentis novisque investigandi rationibus carere videntur. Apud viros crebrius gangraena pulmonum invenitur quam apud mulieres; ex aegrotorum nomero a nobis collecto nonaginta octo, undequadraginta mulieres, viri undesexaginta fuerunt. Quod attinet ad aegrotorum aetates auctores valde differunt. Canstatt nullum hominem aegrotare vidit, qui nondum annos quindecem haberet, nec ullum, qui jam annum quinquagesimum quartum explevisset, quod eam ob causam dicere potuit, quia viginti tantum aegrotos observaverat. Rilliet et Barthez hunc pulmonum morbum in infantibus undecies viderunt, Fischel semel in puero annos duos nato, Bednar ter, Weber bis in infantibus neonatis. Boudet quidem hac gangraena pulmonum crebrius infantes quam homines adultos affici contendit. Laurence cum multos casus observasset, hosce numeros ad aetatem, in qua morbus creberrime existeret constituendam, descripsit: inter annum primum et decimum hic morbus pulmonum semel observari potuit, inter annum decimum et vicesimum quinquies, inter annum vicesimum et tricesimum septies decies, inter annum tricesimum et quadragesimum duodecies, inter annum quadragesimum et quinquagesimum quater decies, inter annum quinquagesimum et sexagesimum decies, inter annum sexagesimum et octogesimum quater, qui numeri ab observationibus a Fischel institutis differunt, qui quidem hunc morbum inter annum quadragesimum et quinquagesimum creberrime existere contendit. Epidemiam quandam gangraenae pulmonum God. Henr. Mosing in carceribus urbis Lembergae in hominibus sexaginta octo observasse existimat, quorum quinquaginta quatuor sanos factos, quatuordecim mortuos esse dicit. In octo tantum cadaveribus gangraena pulmonum sectionibus institutis inventa est. Quae vero ab auctore ad sententiam suam confirmandam dicta sunt, quaeque symptomata physicalia in vivis et anatomicopathologica e sectionibus describuntur, iis omnibus auctor tantopere omni cognitione, quae vera sit hujus morbi natura, carere videtur, ut nemo hoc loco epidemiam observatam esse credere possit. Jam prioribus temporibus gangraena pulmonum saepissime homines insanos affici medici multi observarunt, donec primus Guislain rem propius investigare causasque explicare studuit. Invenit auctor ille gangraenam pulmonum

Digitized by Google

imprimis in hominibus iis insanis, qui cibos sumere recusarent et morbum ea de causa oriri putavit, quod sanguis rebus multis nutrientibus privatus esset. Sanguinem necessarias proteini massas amittere et eandem accipere quam in scorbuticis malam conditionem. Alii vero medici sitophobiam non tanti in morbo illo procreando momenti existimant et homines eos mente captos, qui cibos omnes nimio appetitu devorarent, gangraena pulmonum affici viderunt. Ad sententiam a Guislain prolatam accesserunt Leuret et Fischel, quorum hic ex hominibus mille, qui mente male sani mortui erant, septuaginta quatuor gangraena pulmonum affectos observavit, ex mille hominibus mente sanis mortuis quatuordecim. Homines, quos auctor ille vidit, omnes fere e formis insaniae chronicis laborabant, melancholia, epilepsia, aut summis dementiae gradibus. Sitophobia, cibi mali, marasmus morbos praeteritos sequutus, typhum, dysenteriam, decubitum, potuum spirituosorum abusus, nimiae hydrargyri portiones (magnae inunctiones a Louvrier-Rust commendatae), — ea omnia plerumque morbo explicando suffecerunt, multi tamen aegroti fuerunt, qui nihil quod ad gangraenam procreandam valeret, ostenderent. Etiam aërem magni ad morbum efficiendum momenti esse Fischel existimat, sed rem illam ignotam ad rem aliam ignotam explicandam minime idoneam esse, recte dicit. Etiam quos ipse Wurzeburgi observare potui gangraena pulmonum affectos, puellae fuerunt duae mente insanae, quae e summis melancholiae religiosae gradibus laborabant, summisque cum laboribus per sex hebdomades sonda oesophagea nutriebantur. Incredibile fere fuit, quam celeriter miserae illae cum cibos sumere recusavissent, extabescerent. Alterius post dies duodecim, alterius vero post dies sedecim sputa foetidissima gangraenam pulmonum natam esse significaverunt.

Quod deinde attinet ad genesin anatomicopathologicam gangraenae pulmonum auctores minime consentiunt. Veteres omnes gangraenam pulmonum nimia pulmonum inflammatione semper procreari putaverunt. Quae sententia eo affirmabatur, quod saepissime gangraenam in pulmonibus pneumonicis invenerunt. Andral in clin. médic. cum capiti cuidam „terminaison de la pleuropneumonie par gangrène“ inscripsit, eandem causam creberrimam habere videtur. Stockes quatuor aegrotos observavit, in quibus gangraena pneumonias sequuta sit. Contra jam Laennec monet, non omnem gangraenam ex inflammatione nasci, nec, etiamsi in pneumonia gangraena inveniatur, pneumoniam semper illius causam esse; causas enim saepe tam varias esse tamque etiam obscuras, ut nostris oculis investigari non possint. Plerumque pneumoniae, quas gangraena sequitur, lobulares sunt, aut infeetione pyaemica aut causa alia septica genitae. Carswell casum observavit pulcherrimum, qui docuit, insecti cujusdam punctione labiorum gangraenam exstitisse, quam mox gangraena pulmonum sequeretur. (Fasc. Mortification Pl. III., fig. 5.) Traube gangraenam saepissime in pneumoniis chronicis cum induratione telae cellulosae et abscessibus conjunctis invenit (e casibus quatuordecim octies hanc gangraenae causam esse putavit). Weber pneumonias prae-

Digitized by Google

cipue interlobulares respicit, quibus saepissime gangraenam pulmonum in lobus oriri notum est. Tamen eas etiam hominum gangraenam efficere sectionibus non institutis nondum dici potest. Genest (gaz. méd. de Paris 1836, Nr. 38 et 42) gangraenam pulmonum ab apoplexia pulmonum vel ab infarctu haemorrhagico deducit; quam ad sententiam firmandam etiam exempla multa adsunt. Rilliet et Barthez undecies hanc causam invenerunt, Traube bis, nos semel (simul cum insufficientia valvulae mitralis). Tamen etiam casus permulti observati sunt, qui non semper infarctum, gangraenae pulmonum causam esse declarent. Multi vero auctores cum infarctum haemorrhagicum semper aut arteriarum inflammationem sequi debere (Bochdaleck), aut parietum arteriarum degenerationem adiposam (Engel), quod sectionibus institutis minime affirmatum est, existimassent, ii exstiterunt, qui gangraenam pulmonum semper ab arteriarum oblitteratione deduci posse putarent (Schroeder van der Kolk et Cruveilhier, quorum hic eadem e causa siccam pulmonum gangraenam oriri posse contendit). Hanc igitur causam eandem esse qua creberrime extremitatum gangraena efficiatur. Tamen respiciendum est non omnem arteriarum oblitterationem, quae in pulmone gangraenoso inveniatur, gangraenae causam esse, sed, quod crebrius est, ejus effectum, quare haec sententia, ut magis afprmetur, novis observationibus et experimentis melioribus adhuc opus est. Deinde gangraena creberrime in cavernis tuberculosis et in bronchis dilatatis invenitur, sed quod iis rebus commune sit, adhuc prorsus obscurum est. Si vero Schoenlein et qui eum sequuntur, gangraenam pulmonum neurophlogosin esse dicunt, hac re minime rei declarandae lux allata est. Nec multo melior sententia eorum est, qui gangraenam pulmonum a certis malis sanguinis conditionibus deduci posse contendant, ut Fischel a crasi hypinotica, Boudet et Guislain a crasi scorbutica. Etiamsi saepissime in cadaveribus eorum, qui gangraena pulmosum mortui sunt, sanguis valde liquidus, fibrinoque pauperior inveniatur, ac semper fere morbi et processus pathologici antecesserint, quibus totam sanguinis massam deteriorem factam esse, valde probabile fiat, tamen quam nos de compositione sanguinis normali habemus cognitionem quaeque de sanguinis morbis investigata sunt, ea tam exigua sunt tamque male consentiunt, ut nihil ad rem illam declarandam minus prodesse possit quam si qui morbum organi cujusdam localem a certa sanguinis crasi non sana deducere studeant. Necesse est nos fateri creberrime causas pulmonum gangraenae valde obscuras esse. Existit gangraena pulmonum post morbos acutissimos illos, quos intoxicatione sanguinis quadam iguota effectos esse contendimus, post typhum, morbillos, variolas, scarlatinam, deinde plerumque morbo illo afficiuntur homines aegritudine, magnis animi perturbationibus, victu tenui aëreque malo deperditi, aut ii, quorum mente turbata facile quominus corpora bene nutriantur, prohibetur, quorumque valetudo, cum cibos assumere recusaverint, mox infirma fit. Audivi etiam brevi ante tempore in domo delirorum Kiliensi in homine insano levi humeri contusione laborante mox exstitisse multos abscessus pyaemicos subter cutem et in intimis

Digitized by Google

corporis organis, pulmonibus, hepate, liene, quibus celeriter mors effecta sit. Postremum videmus gangraenam pulmonum in variis pulmonum mutationibus pathologico-anatomicis, in pneumoniis lobularibus, typhosis, chronicis, in bronchis dilatatis, in quibus secreta cum diu stagnaverint et cum aëre externo communicent, putrida facta parenchyma ambiens inficiunt, deinde in cavernis tuberculosis, in infarctibus haemorrhagicis etc., etiam cum pulmonum melanosi, cujus de causis tantopere obscuris auctores multi jam diu contenderunt, gangraenam pulmonum saepe conjunctam esse sunt qui dicant. Auctores illi, qui gangraenam omnem organicam putridam a fungis et infusoriis deduci debere contendunt, etiam gangraenam pulmonum ex organismis illis dependere putant (Henle, Mitscherlich). Quae infusoria etiamsi saepissime inveniantur tamen ad gangraenam putridam procreandam minime necessaria esse, iis quae a Virchow et Helmholz instituta sunt experimentis satis notum est.

EXITUS MORBI ET PROGNOSIS.

Gangraena pulmonum plerumque brevi tempore homines ad mortem perducit, quae variis causis efficitur, aut haemorrhagiis profusis, arteriis majoribus erosis, aut pleuritide et pneumothorace, aut magnis pulmonum infiltrationibus; saepius etiam oedemate acuto celeriter vita finitur, aut aegroti moriuntur pyaemia, fluidi gangraenosi resorptione orta, aut marasmo, qui in iis observatur, qui cibos assumere recusant, aut morbi alii adveniunt, typhus, dysenteria, pericarditis et endocarditis. Gangraena circumscripta non ita celeriter homines necat, plerumque per sex decemve hebdomades perdurat, contra gangraena diffusa saepius in prima hebdomade aegrotus vita privatur. Fit etiam, ut homo sanetur, quae sanatio qualis esset anatomico-pathologica supra descripsimus. Quae non crebro observatur. Fischel enim in casibus octoginta hominem nullum sanavit, contra, ut jam supra memoravimus, Mosing e sexaginta octo hominibus quinquaginta quatuor sanos fecisse se jactat, quam rem jam addubitavimus. Guislain aegrotos duos sanos dimisit, Laennec unum, Scoda duos (aegrotus unus adhuc a clarissimo illo medico tractatur), Traube unum. Stockes etiam aegrotum unum sanum se reddidisse existimavit, cum omnia morbi symptomata evanuissent, aegrotus vero domum dimisus mox eodem morbo correptus, mortuus est.

Prognosis igitur valde mala est neque vero lethalis; pejor fit prognosis, si morbi alii adsunt, aut homines jam deperditi sunt aegritudine, sceleribus, marasmo, aliis. Pessima apud homines insanos prognosis esse videtur. Homines illi qui sanati narrantur corporibus robustis et aetate optima fruebantur atque gangraena pulmonum cum remediis tractaretur nondum inveterata erat.

DIAGNOSIS ET SYMPTOMATA.

Singulis annis cum viri docti homines plures gangraena pulmonum affectos sanatos esse narrent, jam medicis maximi momenti erit morbi qualia symptomata

Digitized by Google

vera sint recte diagnoscere. Initio saepius gangraenae omnia fere signa desunt; si exstitit in pulmonibus, morbis aliis affectis, pneumonia, infarctu haemorrhagico, tuberculosi, eorum morborum symptomata mutari non solent. Simulac vero locus gangraenosus cum broncho majore communicavit itaque materiae foetidae foras ejiciuntur, foetor terribilis sputaque putrida morbum ipsum indicabunt. Tamen jam casus multi noti sunt, ubi per totum morbi tempus aut prorsus nihil tussiendo expulsum est aut massae tantum vel mucosae vel puriformes; quae cum ita sint quum universa gangraenae pulmonum signa valde incerta sint, nemo morbum diagnoscere potest. (Leuret gaz. médic. 1847.) Fit vero etiam, ut quum ab aegroto vivo per longum tempus sputa multa putrida foetidaque expectorata sint, tamen in cadaveribus nihil gangraenae pulmonum inveniatur, contra bronchi cernantur dilatati et secceretis putridis cooperti vel cavernae tuberculosae iisdem massis completae. Similem casum ipse Wurzeburgi observavi. Fuit juvenis corpore valde robusto, cujus sputis foetidis per plures hebdomades aër conclavium in quibus aegroti multi cubabant male inficiebatur, quare hunc hominem e gangraena pulmonum laborare omnes medici existimabant. Percutiendo in dorso lateris dextri supra costam septimam locus circumscriptus sono obtuso inventus est, ubi etiam rhonchi consonantes audiebantur. Pneumorrhagia profusa una cum antea observata esset, gangraena in infarctu haemorrhagico orta esse putabatur. Cor sanum erat. Aegrotus vero quum altera pneumorrhagia valde vehementi mortuus esset, sectione instituta in pulmonibus pluribus locis bronchi inventi sunt putridis completi secretis et ad formam coronae rosaceae dilatati, in lobo vero inferiori pulmonis dextri caverna visa est magnitudine thaleri unius broncho dilatato majore effecta, cujus parietes crassos parenchyma exsudatis infiltratum ambiit. In caverna lumen visum est arteriae majoris apertum, quo quidem quin haemorrhagia producta esset dubitari non potuit. Quae sputa putrida quam saepe in hominibus e bronchorum dilatatione laborantibus observari possent, imprimis Diettrich et Rapp pulcherrimis casibus ostenderunt. Secundum Traube tria tantum signa sunt, quibus gangraena a bronchorum dilatatione differat. Primum sunt phaenomena illa metallica, quibus cavernam in pulmonibus adesse concludi potest, si quidem medico praesente orta sunt, quum etiam cavernae tuberculosi, pneumoniis chronicis, aliis causis oriri possint. Secundum est, si sub speculo microscopico fibrae elasticae inveniuntur eodem ordine sitae, quo parenchyma pulmonum ambeunt. Notum est, Schroeder van der Kolk primum fuisse, qui eas fibras in sputis tuberculosis saepe inveniri atque ad cavernas diagnoscendas idoneas esse demonstraverit; quae fibrae etsi a Virchow saepius in sputis visae sunt tamen in gangraena pulmonum nisi initio morbi nou facile observari possunt, quia materie gangraenosa solvi videntur nec gangraenae soli signa propria sunt, quod in morbis maxime variis pulmonum reperiri possunt. Tertium denique est, si villi multi parvis punctis lineisque nigris obtecti fomitique similes adsunt, in quibus sub speculo microscopico in massis amorphis et valde lucentibus

Digitized by Google

multa pigmenti nigri grana cernuntur. Qui villi, quia a multis auctoribus doctissimis observari non potuerunt, nihil cum gangraena pulmonum commune habere videntur. Etiam crystalli adiposi acubus similis, tabulae cholestearinae, crystalli phosphatis ammonii et magnesiae, simul cum infusoriis fungisque et corpusculis sanguinis valde mutatis ita saepe in sputis adsunt, ut ad morbum diagnoscendum multum valeant. Itaque hic ut in morbis omnibus videmus certa morborum, ut dici solent, signa pathognomonica non esse, sed ut morbi vere diagnoscantur semper multa, quaa aliis in corporis conditionibus alia sint, signa adesse debere.

Creberrime cum gangraena exstiterit, frigus febris observari potest. Tum aogroti celeriter macescunt, facies proprio colore plumbeo tegitur, labia contremescunt, angore magno aegroti cruciantur, pulsus frequens, parvus, filiformis est. Febris secundum Traube semper adest, quae ad gangraenam a bronchis dilatatis distinguendam respici potest. Aegroti frigore febris vexati plerumque se dolore thoracis, respirationibus moti, pungente valde cruciari conqueruntur, quo, quominus loquantur libereque sese moveant, prohibentur. Mox sputa ejiciuntur, initio quidem mucosa et puriformia, deinde vero massae illae, quas supra descripsi, odoris terribilis. Oris foetorem aegroti saepe vehementer deplorant. Percutiendo et auscultando invenies signa aut pulmonum catarrhi aut infiltrationis aut excavationis aut, si gangraena longius extenta est, pleuritidis et pneumothoracis, alia. Gangraena simulac in bronchum majorem pervenit, plerumque haemorrhagiae majores minoresve sequuntur, quae si nimiae fiunt ac saepe redeunt, anaemia mox sequuta celeriter mors efficitur. Sanguis raro purus invenitur, plerumque nigerrimus, decolor, foetidus. Crebrius vero symptomata resorptionis apparent, quae si adsunt, febris fit perniciosa, aegrotos mox vires omnes deficiunt, pulsus minimus numerari nequit, lingua sicca, crustis crassis obtecta, sitis vix toleratur; tunc diliria et diarrhoeae profusae morbum comitantur. Fit etiam, ut mox aegroti reconvalescant, sed post breve tempus in eundem gravioremque morbum incidant. Saepius vero signa morbi valde exigua adsunt, ut aegroti per primas hebdomades in lectis non teneantur, sed voce tantum infirma, oculis inertibus, lingua pituita obtecta morbus quidam adesse indicitur. Morbi decursus maxime varii sunt, mox sequitur post nonnullas hebdomades mors, mox post unum pluresve annos. Morbus ut prorsus sanetur ante semestri unius decursum raro accidit, quae sanatio tunc tantum vera putanda est, si ex longo tempore nihil sputorum foetidorum tussiendo ejectum ac valetudo firmior facta est, et percutiendo atque auscultando nullus pulmonum morbus reperiri potest. Gangraena vero pleura perforata signa pleuritidis vel pneumothoracis vehementissima apparent, quibus mox summa dyspnoea stupore febrique acutissima mors efficitur. Nec vero si peritoneum perforatum est signa leviora sunt, sed aegroti meteorismo vehementi summisque doloribus cruciati mox moriuntur. Si vero cum adhaesiones vetustae antecesserint, massae gangraenosae parietes thoracis molles inficiunt lougiusque propagantur, loco quodam saepe a gangraena prima valde

Digitized by Google

remoto, tumor formatur mollis et fluctuans, quo quidem aperto materiae putridae gasaqe valde foetida evacuantur. Quo morbi exitu aegroti fere omnes vita privantur.

Gangraenae diffusae signa eadem sunt, decursus vero celerior est. Haemorrhagiae rarius observantur, signa physicalia eadem sunt quae pulmonum oedematis aut catarrhi humidi aut cavernarum. Mors plerumque primis hebdomadibus morbum finit, neque aegroti ulli sanati esse narrantur.

In hominibus insanis symptomata morbi illius saepius alia sunt, quod formis insaniae variis efficitur. Saepius morbus diagnosci non potest, quod sputa omnia desunt. Fit etiam, ut nullum pulmonis alicujus morbi signum appareat, quare Guislain in hominibus insanis gangraena pulmonum affectis nunquam fere febrem, dolores, dyspnoeam se observasse dicit, contra Fischel omnia symptomata deesse vidit, in nonnullis tantum aegrotis, qui e summa dementia et epilepsia laborarent- Postremum memorandum est, quod Fischel animadvertit, homines sitophobos, cum gangraena pulmonum exstiterit, nimio appetitu omnes cibos devorare solere, quod a me in duabus puellis supra descriptis visum non est. Anatomicam sitophobiae causam in paralysi ventriculi partiali sitam esse Guislain sine causa ulla probabili putat.

Digitized by Google

THESES.

1) Uraemia non sola ureae in ammonium carbonicum mutatae retentione efficitur.

2) Prognosis in scarlatina epidemica semper valde dubia est.

3) Icterus spasmodicus non est.

4) Prognosi medicus dijudicandus.

5) Cholaemia non retentione sed resorptione fellis efficitur.

6) Et fel et succus pancreaticus concoctioni fellis inserviunt.

Digitized by Google

1854. VII.
MEDIC. X.

ARTERIAE SUBCLAVIAE DEXTRAE ORIGINIS ABNORMIS AC DECURSUS CASUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

AUCTORE

ERNESTO FRANDSEN

ALTONANO.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

1854.

Digitized by Google

Imprimatur.

C. C. Th. Litzmann,

h. t. Dec.

Digitized by Google

In recentioribus nonnullis pathologiae et anatomiae pathologicae compendiis inter varia dysphagiae genera unum enumeratur, cui lusorii nomen tribuitur, et quo ea deglutitio difficilis intelligitur, quae origine ac decursu abnormi arteriae subclaviae dextrae progigni dicitur. At non omnes viri docti hoc de dysphagiae genere inter se consentiunt, quin etiam sunt, qui eam existere omnino negent; rari enim sunt casus, in quibus haec arteriae anomalia inventa est, at rariores ii, in quibus homines anomaliam praebentes vivi adhuc diutius atque accuratius observari poterunt, id eo maxime, quod dignotu est difficillima, ne dicam, diagnosim omnino fieri non posse. Et ii, qui in anatomiis in dissecandis cadaveribus ignotis inventi sunt casus, ad demonstrandam de dysphagia lusoria doctrinam nil afferunt. Quare, si aegrotae historiam hic breviter referre mihi liceat oro, in qua sectione instituta, arteriae decursum abnormem invenimus, quem unam tantum totius morbi causam putamus, etsi morbus ab iis, qui semper docentur, valde differret, nulla hujus rei defensione me indigere reor. Priusquam autem hujus aegrotae, quae hieme ac vere praeterito in clinice Illustrissimi Goetz tractabatur, historiam enarrare aggredior, haud ineptum puto, breviter quidem, et quoad possim, perspicue ea componere, quae de dysphagia quae dicitur lusoria, ante nos docuerint viri doctissimi.

Ut omnibus satis est cognitum, ex arcus aortae latere superiori et convexo, tria magna legitime exoriuntur vasa, quae sanguinem arteriosum ad caput, ad colli organa, ad extremitates superiores, ad pectoris partem adducunt. Quae sunt: 1) Arteria anonyma seu truncus communis arteriae carotidis communis et subclaviae lateris dextri, quae oblique ante tracheam et post venam anonymam sinistram dextrorsum et sursum ascendit, et sub superiori manubrii sterni parte in arteriam carotidem communem et subclaviam lateris dextri diffinditur; quarum altera superiorem thoracis aperturam egressa, inter musculos scalenum anticum et medium primae circumplicatur costae. Arteria suclavia dextra trunci anonymi longitudine brevior est quam sinistra. 2) Arteria carotis communis sinistra; 3) Arteria subclavia sinistra. Multae tamen observantur varietates quoad numerum et vasorum originis ordinem, quae ad quatuor omnes revocari possunt rationes. 1) Aut tres aortae arcus rami locum tantum mutant,

Digitized by Google

ut subclavia sinistra inter truncum anonymum et carotidem sinistram invenitur. 2) Aut numerus vasorum deminuitur eo, quod compluria inter se conjunguntur: quin eliam ex uno omnia trunco communi exoriri possunt. 3) Aut ramorum numerus augetur, ita quatuor, quin etiam plures ex eo progigni possunt, si arteria anonyma deest, et subclavia carotisque communis dextra singulae ex ipso arcu prodeunt. Cujus generis quum nostra sit anomalia, longius postea de ea nobis disserendum est. 4) Tres quidem exoriuntur rami, qui autem haud legaliter diffinduntur, ut subclaviae singulae, carotides communes utriusque lateris uno conjunctae trunco exoriri possunt.

Tertio in varietatum genere longius immorari debemus, ad id enim, quam hac dissertatiuncula describere conor, anomalia adnumeranda. Unum jam supra allegavimus exemplum, id quidem, quo, dum truncus anonymus deest, arteria subclavia et carotis communis dextra ex ipso arcu aortae progignuntur, eoque ut quatuor ex eo exoriantur rami fit. Legitimam hanc originem in balaena invenimus; hae enim vasorum anomaliae eo maxime delectant, quod normales in animalibus vertebralibus quibusdam reperiuntur. — At subclavia non semper prima est arteriarum; nonnunquam inter carotides, inter carotidem et subclaviam sinistram, quin etiam post subclaviam sinistram ex arcu exoriri potest. Tum ipsius nonnunquam aortae thoracicae descendentis ramus fit. Hoc in loco si ex aorta prodit, longiorem ut ad suam veniat extremitatem, viam facere coacta est. Triplex ei patet. Aut ante tracheam, inter hanc et carotides transcurrere potest (Walter, Hunauld); aut inter tracheam et oesophagum (Bayford, Meckel); aut inter oesophagum et columnam vertebralem (Meckel, Pohl, Murray etc.). Cujus tertii anomaliae generis plurimi inventi sunt casus et divulgati. Tiedemann in supplementorum ad tabulas arteriarum tabula tricesima nona eas omnes depingere studuit.

Ii praesertim casus, in quibus arteria subclavia dextra aut inter oesophagum et columnam vertebralem aut inter tracheam et oesophagum transcurrit, medicorum animos in se converterunt. Postquam complures jam divulgati sunt casus, qui anatomiam tantum respiciebant, Murray, *) qui in cadavere dissecando arteriam subclaviam dextram regione vertebrae dorsalis quartae ex aorta thoracica exorientem, et sub aorta, trachea oesophagoque, inter hunc et columnam vertebralem oblique ad claviculam ascendentem vidit, cogitavit primus, arteriam inter deglutitionem bolo comprimi, itaque sanguinis circulationem prohiberi, quum arteria ob vertebrarum columnam compressioni evadere non posset. Quam in illo cadavere adfuisse arteriae compressionem, eo demonstrare voluit, quod bracchium dextrum sinistro debilius erat. De homine vivo, ejusque de morbis reperire nil potuit.

Quam Murrai observationem medici primo respexisse non videntur; at viginti fere annos post eandem rem contendit Bayford, **) qui eo processit, ut morbum, cui

*) *Abhandlungen der Schwedischen Akademie der Wissenschaften von 1768.*

**) Memoirs of the medical Society of London. Vol. II. 1789.

Digitized by Google

nomen dedit dysphagiae lusoriae, hac arteriae anomalia progign[i]
quandam curaverat, quae usque ab infantia inter deglutitionem
lestiis, quae pubertate incipiente adeo accreverant, ut medic
potuisset. Venaesectiones, quae aliquam afferebant levationem
magis quam sanantia erant remedia. Postea, quum ob morbu.
inopiam tolerare non posset, in hospitio pauperum recepta, per
semel per diem cibos sumere conata esse, minusque liquores quam
pertulisse dicitur. Cibi non evomebantur quidem, sed paulisper tantum in
haerebant aegrotaque in hoc tempore anxietate, dyspnoca, palpitatione cor
magna afficiebatur. Sexaginta annos nata mortua est, et cadaveris sectione ins
nil reperierunt, quam originem abnormem et decursum inter tracheam et oesophagu
arteriae subclaviae dextrae. Quo quidem ex casu Bayford dysphagiam lusoriam pro-
creavit. Haud multo post similes nonnulli animadversi sunt casus, autoribus Monro,
Walter, Ploucquet, qui dyscatabroseos angiologicae nomen ei dedit.

Medicorum Germanicorum Autenrieth *) primus optime de dysphagia lusoria meruit. Quum mediastini quondam anatomiam demonstraret, subclaviam dextram, a laeva arteriae subclaviae sinistrae exortam, inter oesophagum et columnam vertebralem transcurrentem vidit. Cor magis erat justo minus quam majus, ejusque color pallidior; arteriarum parietes tenues et subrubricundae erant; praeterea nil pathologiae in cadavere invenit. Quaestione instituta Antenrieth comperit, mulierem vivam dysphagia affectam fuisse, et per decem ante mortem dies vino tantum adusto fruitam esse. Similia in vetulae cadavere haud diu ante observata erant, et quum hoc macerrimum fuisset, dysphagiam vivae adfuisse, ille putavit, eamque mortem e fame recepisse. Quibus ex duobus casibus Autenrieth symptomata, diagnosin, quin etiam therapiam dysphagiae lusoriae composuit. Symptomata haec sunt: 1) Magna cordis palpitatio et suffocationis imminentis sensus inter deglutitionem; quod utrumque arteriae compressione et sanguinis circulationis retardatione efficitur, quae quamvis brevissima, per cor sinistrum ad pulmonum vasa, et ad cor dextrum porrigitur. 2) Pulsus arteriae radialis dextrae minor est quam sinistrae, ob compressionem arteriae et ob longiorem sanguinis viam ad dextram manum. 3) Musculi bracchi dextri debiliores sunt, quam sinistri. 4) Reditus morbi, certis intervallis interpositis, ejusque ratio spasmodica (ob distortum ramum recurrentem nervi vagi). 5) Menstruatio et omnino incipiens et singulis mensibus revertens multum ad morbum augendum affert. 6) Signa stenoseos mechanicae oesophagi non adsunt. — Putavit Autenrieth, therapiam ea curare debere, ut pseudoligamenta, quibus arteria oesophago adnexa esset, solverentur, et arteria in magis spatii praebentem thoracem detrudi posset, quod quidem specillis oesophagi, quibus spongia adfixa, effici voluit. Mirum esse addit, quod mu-

*) Pfleiderer (rect. Autenrieth) Diss. de dysphagia lusoria. Tubing. 1806. — *Deutsch in Reil's Archiv, Bd. 7.*

Digitized by Google

ut subeantum hoc dysphagiae genere afficiantur, et quod pubertate incipiente atque numente morbus quam maxime augeatur. Haud multo post Autenrieth in clinice Tuex gensi filiam quandam dysphagia lusoria affectam ostendit, et eo, quem supra ita imus, modo curavit; filia post nonnullos menses e nosocomio sanata dimittitur; suagnosis autopsia confirmari non potuit.

Tum vero adversarios sibi conciliavit nova Bayfordii et Autenriethii doctrina. Fleischmann *) prosector Erlangensis eam aggreditur opusculo de arteriarum anomaliis. Observaverat nostrae anomaliae casum, in quo dysphagiae nil adfuerat, quare totam repudiat doctrinam. Demonstrat enim, oesophagum inanem omnino non posse comprimere arteriam, plenum inter deglutitionem paulum tantum et perbreviter, ita ut sanguinis unda, tota atque omni vi cordis propulsa, facile compressionem superare possit; demonstrat, pulsum arteriae radialis minorem fieri non posse, neque via sanguinis longiore, neque arteria compressa; parvitatem pulsus in iis, in quibus observata sit, casibus, ex occultis ac fortuitis causis deducendam esse. Eandem quamquam Rudolphi sententiam pronuntiavit, dysphagiam lusoriam medici germanici conservandam putabant. Una quidem autorum pars eam negare tantummodo non audebat; at altera, quae Autenrieth sequebatur, symptomatologiam et therapiam componebat. Quorum praesertim Schoenlein **) commemorandus est, qui dysphagiam lusoriam ad quas dicit teromorphas numerari vult. Opinionem adversariam Fleischmanni eo explicat, quod hic varia decursus arteriae genera non respexisset: verum quidem, inquit, non in omnibus anomaliae casibus dysphagiam exoriri; semper autem exoriendam, si subclavia inter oesophagum et columnam vertebralem transeat. Viam si faciat inter oesophagum et tracheam, cujus paries posterior mollis sit, arteriam inter deglutitionem compressioni evadere posse. Symptomatologia, diagnosis, therapia eaedem fere sunt, quae Autenrieth.

Quoad equidem scio, post Schoenlein autorum Germanicorum nemo longius de dysphagia lusoria disseruit. Etsi passim in novissimis de pathologia et anatomia pathologica libris commemoratur, breviter tantum fit, et novi nihil additur; praecipue nullus memoriae traditus est casus. Eum, quem hic vidimus, nunc referam liceat.

Ida Behrmann, ancilla Schrevenbornensis, die vicesimo nono mensis Novembris anni superioris nosocomio academico recepta est. Viginti tres annos nata, statura media, forma tenui at bona, bene nutrita. Ab infantia semper se viguisse dicit: menstrua ante hos quartos annos apparentia usque ad autumnum superiorem legitima erant. Causis occultis ante hos sex annos ulcus in pede sinistro exortum est, quod passim sanabat, semper autem denuo dehiscebat. Per hiemem praeteritam aegrota tussi ac dyspnoea laborabat, simul cordis palpitationibus et capitis doloribus; quare

*) *Abhandlungen der phys.-medic. Societät zu Erlangen, Bd.* 2. 1812.

**) Dr. *Schönlein, allgem. und spec. Pathologie, nach dessen Vorlesungen* p. 108.

Digitized by Google

tamen medico se non permisit, et aestate ineunte adeo ex morbo convaluit, ut difficillima etiam munera conficere posset. Exeunte mense Septembri menstruatio cessavit; paulopost dyspnoea rediit; inter respirationem pectus putabat oppressum. Tussi primum pauca, postea plura sputa mucosa ejiciebat, nunquam tamen sanguinea. Vox rauca fiebat. Dolores capitis cum vertigine conjuncti, tremor ante oculos; oculorum hebetatio. Ineunte mensi Octobri extremitates inferiores intumescebant.

Quum recepta esset, quaestione instituta, haec reperimus. In margine externo pedis sinistrae ulcus magnitudinis nummi thaleri, quod margines acutos, fundus strato exsudati cani obtectum praebet. Utraque extremitas inferior oedematice tumet. Vox raucida, larynx non dolet, mutationes organicae in eo non apparent. Organa digestionis nil affici videntur, lingua quidem parvo muco obtecta, at ciborum appetitus et defaecatio legitimi. — Hepar justo major digitum unum trans costarum marginem inferiorem porrigitur. Lien justo non major. Regio renalis non dolet; urinae profluvium normale, quantitate ordinaria. Urina limpida, reactione acida, magnam albuminis quantitatem continet. Microscopio quaestita, frequentes ac crassos fibrinae cylindros ostendit. Pulsus fortis, plenus, octogies quater per sexagesimam horae partem repetitur. Tussi valde laborat aegrota, multa sputa mucosa et glutinosa edit. Quaestione thoracis physicali haec reperimus. Paries anterior thoracis sinistri amplius curvata est quam dextri, in dorso res contrarie se habet. Venae subcutaneae supra et infra claviculam sinistram tument. — Motus partium dimidiarum thoracis in respiratione inter se non differunt. In spatio intercostali quinto intus papillam ictus cordis sentitur, parvo cum stridore conjunctus. Eodem fere modo in spatio intercostali quarto ac tertio, inter expirationem in secundo arcte ad sterni marginem; motus eqdem loco et tempore videri etiam potest. Lateris dextri in secundo spatio intercostali arcte ad sternum cordis motus accuratissime sentitur, minus accurate in tertio et quarto. Percussione instituta in fossa supraclaviculari sinistra sonus leniter obtusus oritur; etiam infra claviculam sinistram sonus magis est vacuus quam infra dextram. In cartilagine costae secundae sinistrae magis obtundi incipit sonus; in spatio intercostali secundo omnino vacuus est usque ad duos a sterno digitos. In spatio intercostali tertio obtusio usque ad tres digitos a sterno progreditur, in quarto ad foveam axillarem, in quinto ad tergum. Dextrorsum sonus obtusus in spatio intercostali secundo ac tertio usque ad unum, in quarto et quinto usque ad duos a sterno digitos progreditur. In fossa supraspinata sinistra sonus est vacuior quam in dextra; sub spina in utroque dorsi latere aequalis; in inferiore scapulae angulo sinistro magis obtusus quam in dextro; infra scapulam sinistram omnino vacuus. In fovea axillari sinistra sonus redditur clarus, qui ab costa quinto omnino deest. Auscultatione instituta in utraque parte supra et infra claviculam clara auditur et acuta respiratio vesicularis, et sub tosa claviculae longitudine soni cordis, in latere sinistro distinctius quam in dextro. In fovea axillari dextra respiratio clara puerilis, ambo cordis soni. In linea axillari

Digitized by Google

sinistra in costa quinta soni cordis et debilis respiratio, in dextra clara et aucta respiratio, haud soni cordis. In tergo supra spinam scapulae dextrae clara, sinistrae minus clara et aucta auditur respiratio vesicularis. Infra spinam utriusque lateris aeque clara; infra scapulam sinistram clarior et pellucidior quam infra dextram. Unum infra mammae papillam digitum, ubi cordis ictus sentitur, prior cordis sonus obtusus et longior, alter brevior. In infima sterni parte prior magis obtusus, alter magis crepitans; eodemque modo se habent ad dextrum sterni latus. In costa tertia dextra prior magis est obtusus, alter mire tinnit; quod in spatio intercostali secundo accuratius auditur. Carotidum sonus uterque clare auditur.

Diagnosim eam esse, ut aegrota morbo Brigthii affecta sit, facile intelligimus. At non aeque liquet, quomodo organa in cavo thoracis contenta se habeant Ex iis enim, quae quaestione regionis cordis instituta accepimus, ex percussionis sono amplius justo obtuso, vi et amplitudine ictus cordis, sonis claris ac puris cordis, ex majore tandem convexitate thoracis sinistrae hypertrophiam cordis adesse putamus; ejus autem rationem, praecipueque causas nondum dicere possumus. Qua ex hypertrophia morbus Brigthii exortus videtur esse. Quod attinet ad pulmones, eorum tela compressa tantum videtur, praesertim sinistri. Prognosis infausta dicenda, quum vitio cordis mederi non possimus. Therapia morbo Brigthii primo medeatur necesse esse putamus; quare pillulae Heimii dantur; quae quum recusentur nonnullos dies post infusum herbae Digitalis purpureae accipit, postea pulverem corticis Chinae cum cremore tartari.

Aegrotae status idem fere manebat usque ad medium mensem Decembrem; augebatur quidem nonnunquam dyspnoea, at semper mox decrescebat. Ex thoracis quaestionibus physicalibus nil reperimus, quod diagnosin mutaret. Eo, quod dixi, tempore dolores capitis augentur, dyspnoea major fit et crebrior. Die sexto decimo mensis Septembris aegrota somnolenta convulsionibus afficitur; alvum et urinam continere non potest; facies, lingua intumescent; labia et extremitates, praecipue tertiae digitorum et manuum et pedum phalanges colorem accipiunt cyanoticum. Pulsus parvus, haud semper eadem frequentia, modo centies, modo octogies in sexagesima horae parte repetitur. Venaesectio, quae magis ut sanguinis quaestio instituatur, quam medendi causa fit, in utroque bracchio iteratur, ut sufficientem sanguinis quantitatem accipiamus. Nec ureum nec ammoniacum carbonicum invenimus, nihilosecius uraemiae impetum adesse putamus. Ordinantur: fomenta frigida in caput; infusum foliorum sennae. His semper adhibitis, frequentes diarrhoeae efficiuntur; somnolentia sensim deminuitur, idemque, qui ante, status revertitur. Hoc tempore quaestio physicalis pectoris institui non potuit. Die sexto m. Januarii primum invenimus, sonum percussionis in posteriore inferiore thoracis sinistri parte magis esse obtusum quam antea; usque ad columnam vertebralem obtusio non procedit, sed unum ab ea digitum sonus redditur sonorus, at etiam hic respiratio nulla auditur. Quum aegrota placidissime

Digitized by Google

loquatur, num parietes thoracis differenter voce vibrentur, demonstrare non possumus. Attamen multum cavis pleurae adesse exsudatum credimus. In anteriore thoracis pariete cordis ictum debiliorem sentimus, quare pericardii hydrops praesto esse novis videtur. Praeterea medio mense Januario invenimus, pulsum arteriae radialis dextrae debiliorem esse quam sinistrae, at, quoad eruendum, eodem tempore advenire. Quod quidem videtur indicare, impedimentum obstare sanguinis circulationi aut in aorta aut in arteria anonyma, eique si ea componimus, quae ex thoracis percussione accepimus, praecipue sonum obtusum in sterno et in dextro sterni latere, facile conjicimus, aneurisma aut arcus aortae aut arteriae anonymae existere. Quum autem ii non audiantur soni frementes, qui aneurismatis propii quidem dicuntur, at non semper audiuntur, opinio nostra conjectura tantum remanet, quam eo promtiore conservamus animo, quia eam cordis hypertrophiae causam putamus.

Ineunte mense Februario accuratius demonstrari potest, latus sinistrum thoracis minus voce vibrari, quam dextrum, et quum in linea axillari sinistra usque ad foveam axillarem percussione sonus exoriatur obtusus, simul in scapula bronchialis, in inferiore thoracis parte nulla audiatur respiratio, exsudati quantitatem in cavo pleurae sinistro multo auctam esse putamus.

Die IX. m. Februarii, quo accuratior rursus instituitur quaestio, percussio parietis anterioris thoracis, quae ad vitium cordis ejusque rationes diagnoscenda gravissimi est momenti, nihil ostendit, quae ab iis, quae antea accepimus, differant. Eodem modo auscultatio cordis sonorum, qui debiliores tantum audiuntur, novi nihil affert. Contrario in spatio intercostali dextro secundo motus pulsatorius non solum digito imposito sentitur, sed etiam oculis percipitur. Qui quum motus pulsatorius loci, qui percussus sonum reddit obtusum, ex majore tantum ac solidiore progigni videatur posse corpore, quum ipsius autem cordis ictum prope ad papillam sinistram sentiamus aneurismatis conjecturam eo certius demonstrari putamus. Mirum tamen est, nostraeque conjecturae adversarium, ut, quod jam supra commemoravi, soni frementes non audiantur, et ut thoracis percussione et auscultatione nihil aliud ac antea accipiamus, ita ut aneurisma per totum hoc tempus nihil esse mutatum videatur; ut nihilominus motus pulsatorius nunc primum adveniat.

Ultimo mense Februario aegrota queritur, sensum et vim bracchii dextri debiliores fieri; manus sinistra bracchium dextrum, quod si movere vult, adjuvat. Tum exsudatum in cavis thoracis valde augetur; dyspnoea exacerbescet; tussi multa sputa edit sanguinolenta. Quae num ex infarcto haemorrhagico, an ex pneumonia intercurrenti, an ex ruptura aneurismatis imminente exoriantur, haud demonstrandum, quum dyspnoea, quae ad orthopnoeam nonnumquam augetur, quominus quaestionem thoracis instituamus, nos prohibeat. Ineunte mense martio discedunt. Quum in ore et faucibus aphthae exoriantur, dysphagia afficitur aegrota. Eodem tempore maximis ac frequentissimis diarrhoeis laborat. Quae die decimo mensis Martii cessant; obsti-

Digitized by Google

patio sequitur; paulo post denuo somnolenta fit; uraemiae impetus rursus videtur imminere. Pillulae drasticae fortes adhibentur, itaque periculum declinatur, ut nonnullos dies post idem qui ante status adsit.

Mense Aprili exsudatum in cavis pleurae tum augetur, tum deminuitur, una cum dyspnoea. Quaestione physicali anterioris pectoris parietis de cordis et arteriarum affectione nihil reperimus novi. Itaque, quum organorum circulationis status idem remanserit, quamdiu aegrotam observamus, aneurismatis conjectura magis magisque fidem amittit. Id tantum ex signis colligimus, stenosem adesse aut aortae aut anonymae, quae cordis procreaverit hypertrophiam; pulsationem spatii intercostalis secundi dextri explicare non possumus. Eodem se habet modo ineunte mense Majo; tum autem omnem aegrotae statum pejorem fieri animadvertimus; aegrota verbis parcit, tranquilla est, longe ac permultum dormit, vigilanti omnes circa se nihil sunt curae. Major fit macies; cutis flaccida et sicca, semper deteritur. Dyspnoea constantius augetur. Oedema simul crescit; praecipue si aut in dextro aut in sinistro cubat latere, aut dextra aut sinistra faciei pars intumet. Vox vix audiri potest. Appetitus ciborum haud adest, alvus remediis tantum laxativis aperiri potest. Mortem mox imminere putamus. Die XIX. mensis Maji rursus somnolenta fit, pulsus tardior, minor; respiratio impeditur, aegre molitur. Tempore postmeridiano moritur. — Urina usque ad mortem eandem fere albuminis quantitatem continuerat ($8{,}97\frac{99}{00}$).

Quae necropsia invenire putamus, breviter haec sunt: Degeneratio renum Brigthii, et eae quae hunc morbum sequi solent, exsudationes, praesertim in cavis thoracis. Hypertrophia cordis, ejusque causa: impedimentum circulationis sanguinis vel stenosis aortae vel majorum ejus ramorum, probabiliter arteriae anonymae.

Sectio fit decem et octo horas post mortem. Cadaveris extremitates inferiores, labia pudenda majora, cubiti valde oedematice tument. Corpus superius macerrimum, manus dextra livida, phalanges anteriores ejusdem manus bulbosius tument quam sinistrae. Venae colli, quae ante mortem valde turgebant, videri non possunt. Tela subcutanea menti et colli modice infiltrata.

Sub arachnoideam et in ventriculis paululum exsudati serosi; in cerebri superficie parva capillarium injectio. Plexus choroidei pallent. In basi cerebri aliquantulum seri. Arteria vertebralis dextra majus praebet lumen quam sinistra. Processus jugularis sinister dextro magis prominet. Paries thoracis sinistri anterior inferior magis convexa est, quam dextra, et quidem usque ad secundam costam. In cavo pleurae sinistro tres ad quatuor librae pellucidi seri. Ad costam quintam discrimen pseudoligamentosum superiorem et inferiorem thoracis partem dividit, quae nusquam inter se videntur communicare. Pars inferior pulmonis sinistri ad columnam vertebralem dense appressa est; superior pseudoligamentis, serose infiltratis, parieti thoracis adnexa. Eodem modo pulmo dexter thoraci concrevit; quae pseudoligamentis fiebant maculae magnae serosum continent exsudatum. — Larynx sanus; in trachea et bron-

chiis spuma, membranae mucosae vasa capillaria injecta. In glandulis bronchialibus exsudatum in calcem versum. Pulmonis dextri lobus superior oedematice infiltratus; emphysema vicarium adest. Pulmo sinister superior modice oedematosus; inferior compresus, aëre caret. Pulmone sinistro promto, cavernam pseudoligamentis constitutam invenimus, quae exsudatum in pus mutatum continet.

In pericardio Unc. iv seri clari. Cor multo est justo majus, transverse in thorace situm, ita ut ventriculus dexter deorsum et dextrorsum jaceat, quo fit, ut arteria pulmonalis ad perpendiculum directa sit. Atrium dextrum cordis parvum est, in eo magnum invenitur fibrini coagulum oedomatosum. Valvulae tricuspidales longae et sufficientes; ventriculus dexter ad cordis magnitudinem parvus est; arteria pulmonalis parva ejusque valvulae normales. Atrium sinistrum magnitudine normali. Ventriculus sinister cavum justo amplius, parietes crassiores, ejusque tela muscularis nonnullis jam in locis metamorphosin adiposam praebet. In acumine duo posita sunt coagula fibrinosa, magnitudine pisi, mollia ac granulosa. Valvulae mitrales ad magnitudinem ventriculi habent rationem; valvulae semilunares normales. Aorta ascendens et arcus aortae justo ampliores. Aorta thoracica descendens normalem praebet amplitudinem; parietes ejus sanae; aorta abdominalis eodem modo se habet. Arteria anonyma deest. Arteria subclavia dextra ex arcu aortae ipso originem sumit, in sinistro arteriae subclaviae sinistrae latere, prope ad eam, at paululum deorsum. Tum arcu decurrit trans primam vertebram dorsalem inter oesophagum et columnam vertebralem ad suam extremitatem. Loco quo solet, primam transit costam. Carotis utraque singulae ex arcu exoriuntur, prope inter se, ambo aeque sunt amplae. Vena jugularis ea est crassitudinis ut digitum medium inferre possis, sinistra dimidio est tenuior. Vena cava superior justo amplior, truncus anonymus haud justo amplior.

Membrana mucosa oesophagi capillarem ostendit injectionem, at nullas alias mutationes, praesertim in eo nihil loco, quem arteria subclavia transit. Hic in vertebrarum columna etiam nil miri videtur. Ventriculus astrictus nil pathologiae ostendit. In intestinis tenuibus passim sanguinis suffusiones; ejus in mesenterio glandulae suppuratae. Intestini crassi membrana mucosa praesertim ad regionem iliococcalem subrubricunda. Hepar, justo majus, manum trans costas falsas prominet; at normalem praebet colorem et soliditatem. Lien justo major et solidior. Uterque ren dimidio deminutus; superficies eorum crasse granulata, colore ex rubro flavescente et marmorato. Tela dura est; pyramides haud perspicue videntur. Sanguine carent. Tunica propria facile resoluta, nonnullis in locis est justo crassior.

Hunc si sectionis eventum ei comparamus, quem exspectaveramus, videmus, morbi Brigthii diagnosin eo esse probatam; renes eo, quo in tertio et atrophiae quidem stadio dicuntur, modo mutati erant; in plerisque corporis cavis exsudati magnam invenimus quantitatem, praesertim in cavis pleurae et in pericardio. Tum necropsia docet, veram fuisse vitii cordis diagnosin. Ventriculi sinistri cavum justo erat amplius,

parietes justo crassiores; et quum tela ejus muscularis adiposam jam ostenderet metamorphosin, eoque pateat, hypertrophiam cordis diutius jam exstitisse, nos sane contendere posse puto, hypertrophiam causam morbi Brigthii fuisse. Ante mortem hypertrophiae rationem certe non demonstravimus; nunc eo hoc factum esse vidimus, ut partim pericardii hydrops, partim cavorum pleurae exsudatum sonum percussionis amplius obtunderent; quare sidum cordis definire non potuimus.

Si ad hypertrophiae causam procedimus, ante mortem eam quoque demonstrare non licebat. Primum quidem aneurisma adesse aortae vel arteriae anonymae putavimus; quam vero opinionem postea, quum confirmari non posset, rejecimus. Nunc ea invenimus, quae hunc in errorem nos induxerant. Sub sterno et in dextro sterni latere serosum exsudatum in maculis pseudoligamentosis positum erat, quod percussionis sonum hoc loco obtuserat, et a corde et vasis propinquis motum pulsatorium acceperat. Tum arcus aortae vel arteriae anonymae adesse stenosem putavimus. At opinio nos est frustrata! Aorta ascendens et arcus aortae justo erant ampliores, et aorta thoracica descendens nihil ostendit miri. Una tantum aderat vasorum anomalia, quam supra exposuimus. Queritur, num hanc anomaliam hypertrophiae causam dicamus, an potius nobis confitendum sit, causam ignotam fuisse et sectione instituta remansisse. Quam ut interrogationem dissolvere possimus, nos eorum in memoriam reducimus, quae antea de anomaliae sequelis dicta sunt. Murray circulationem sanguinis inter deglutitionem retardari, quum oesophagus dilatatus arteriam ad columnam vertebralem apprimeret; Autenrieth hanc sanguinis retardationem vitia cordis organica sequi posse putavit. Quae vero opiniones nil probant; quum Murray de cordis conditione nihil dixerit, et quum intelligendum non sit, quale fuerit cor in illo Autenriethii casu, quod „magis erat justo minus quam majus.“ At nonnulla afferre possumus argumenta, quibus, in arteria subclavia sanguinis circulationi impedimentum obstetisse, eoque cordis hypertrophiam effectam esse, demonstrari potest. Quae sunt: 1) sonus aortae secundus, cum accentu elatus. Qui quum eo nascatur, ut sanguinis unda, systole cordis in aortam propulsa, impedimento oblato, majore vi adversus valvulas seminulares rejiciatur, quum tota in aorta nullum invenimus impedimentum, id in eo tantum loco collocandum est, quo arteria major comprimitur. Qua in re dissimulare quidem non possumus, contrarium esse ab opinione solita ut compressio rami aortae tonum aortae ipsius augere, itaque sonum secundum amplificare possit. Contenditur enim, coarctationem aortae ipsius solam sanguinem ita posse retardare, quum circulus sanguinis major ampliorem habeat extensionem, ut rami impedimentum tonum trunci ipsius augere posset. Quare primum hoc argumentum adhibere non possemus, nisi secundo etiam affirmaretur. 2) Aortae lumen usque ad arteriae subclaviae dextrae originem justo est amplius, dum aorta thoracica descendens normale praebet lumen; itaque si sanguinis circulatio retardata et aortae amplitudinem tonumque auxit, et cordis hypertrophiam procreavit, in arteria subclavia tantum haec effici potuerunt.

3) Dissimiles arteriarum radialium pulsus tertium afferunt argumentum. Arteria subclavia compressa, sanguinis in vasis peripheriicis copia deminuitur. Ex iis, quae morbi historiae praemisi, notatis historicicis sane est perspicuum, parvum radialis dextrae pulsum ita constanter in omnibus anomaliae casibus, qui vivi observati sint, inventum esse, ut autores inter dysphagiae lusoriae symptomata eum collocarent. Contendit quidem Fleischmann, id nec via sanguinis longiore, nec oesophagi mollis pressione fieri posse, sed casu quodam fortuito. Quas enim protulit causas Autenrieth. Priore de causa cum Fleischmann consentimus; nam quum arteria subclavia justo plures ramos non emittat, sanguinis copia longiore via deminui non potest; at veram esse alteram, putamus. — Quae argumenta si justa putantur, contendere possumus, in arteria subclavia sanguinis circulationi impedimentum obstetisse, ex quo cordis hypertrophia exorta sit.

Quum ipsius arteriae nullae viderentur mutationes, hoc circulationis impedimentum pressione externa tantum fieri potuit. Quamvis perspicuum sit, arteriam inter deglutitionem oesophago, cibo dilatato, comprimi posse, haud eodem liquet modo, hac brevissima pressione hypertrophiam effectam esse. Attamen hac tantum ratione eam possumus explicare; omnino enim demonstrari posse non puto, oesophagum vacuum arteriam compressisse. Aortae sonus secundus semper quidem cum accentu efferebatur. Quum anomaliam subclaviae adesse non putaremus, aegrotae deglutientis quaestio non instituta est. Tum si pulsum intermittentem invenissemus, eo optime res demonstrata esset.

Restat, ut videamus, quae hic anomaliae casus ad de dysphagiae lusoria doctrinam afferat. Ut jam supra commemoravimus, Schönlein dysphagiam lusoriam semper exoriri contendit, si arteria subclavia inter oesophagum et columnam vertebralem transeat. Nostra morbi historia patet, anomaliam magnum corpori contraxisse damnum, at nullam procreasse dysphagiam. Per nonnullos dies aegrota deglutitione difficili dolebat; at aphthis in ore et faucibus exortis; nuncquam ob vasorum anomaliam fame urgebatur, minus adhuc confecta est, ut illae mulieres, quarum e morbis Bayford et Autenrieth dysphagiam lusoriam composuerunt. Quare illam Schoenleini opinionem nihil valere, patet. — Si autem ea, quae dysphagiae lusoriae dicuntur signa, contemplamur, ea bolum deglutiendum non respicere invenimus. Bolus enim paulisper tantum haeret, nec evomitur, nec in oesophago remanet; impedimentum obstans cite superat, et in ventriculum defertur. Dum impedimentum superat, cordis palpitationes, dyspnoea sensus imminentis suffocationis exoriuntur. Quorum omnium, quae a viris maxima fide dignis observata sunt, nulla vidimus; itaque alias illis adfuisse rationes, putamus. Fortasse paries posterior mollis tracheae hic respienda est, et oesophago dilatato trachea ipsa aliquid comprimi potest.

Duas autem, quas Autenrieth contendit, veras esse res, noster affirmavit casus: mulier anomalia affecta erat, ejusque molestiae ineunte pubertate inceperant.

Digitized by Google

THESES.

1) Saliva ad digerenda alimenta in ventriculo minimum valet.

2) Excisio in plerisque casibus lupi optima cura.

3) Retentio placentae artis opem postulat.

4) Certa febris scarlatinae cura nondum comperta.

Digitized by Google

SCHRIFTEN

DER

UNIVERSITÄT

ZU

KIEL

aus dem Jahre 1855.

Band II.

KIEL.

Gedruckt bei C. F. Mohr.

1856.

Digitized by Google

Digitized by Google

Inhalt.

I. Index scholarum per semestre aestivum habendarum.

II. Verzeichniss der Behörden, Commissionen, Beamten, Institute, Lehrer und Studirenden im Sommersemester.

III. Index scholarum per semestre hibernum habendarum.

IV. Verzeichniss der Behörden etc. Wintersemester.

V. Chronik der Universität.

1) Personalnachrichten.

a. Anstellungen, Beförderungen und Ehrenbezeugungen.
b. Abberufungen, Todesfälle, Quieszirung.
c. Habilitationen und Promotionen.

2) Von der Universität im Allgemeinen und von den Universitäts-Instituten.

1. Zur Geschichte der Universität. Rectoratsbericht aus den Jahren 1853 bis 1855.
2. Universitätsbibliothek.
3. Das homiletische Seminar.
4. Das katechetische Seminar.
5. Anatomisches Theater und Museum.
6. Das physiologische Laboratorium.
7. Die medicinische Klinik im academischen Krankenhause.
8. Die chirurgische Klinik im Friedrichshospitale.
9. Die Königliche Hebammenlehr- und Gebar-Anstalt.
10. Die pharmacognostische Sammlung.
11. Das philologische Seminar.
12. Die Münz- und Kunstsammlung.
13. Das pädagogische Seminar.
14. Das zoologische Museum.
15. Der botanische Garten.
16. Das mineralogische Museum.
17. Das chemische Laboratorium.
18. Das physikalische Institut.
19. Das Museum vaterländischer Alterthümer.
20. Der Kunstverein.

Digitized by Google

3) Vom Convict und den Stipendien.

a. Convictexamina.

b. Stipendien.

1. Verzeichniss der im Herzogthum Schleswig vorhandenen Stipendien für Studirende.
2. Stipendien im Herzogthum Holstein für Studirende. (Meistens Nachträge zu Seestern-Pauly's Bericht. Schleswig 1823.)
3. Schassisches Stipendium.
4. Vertheilung der vom Consistorio zu vergebenden Stipendien im Jahre 1855.

4) Chronik der Gelehrtenschulen.

5) Meteorologische Beobachtungen und Tabellen.

Anhang. Bericht über die Wirksamkeit des Kunstvereins in Kiel in dem Zeitraum vom 8. April 1854 bis zum 31. Januar 1856.

VI. Festreden, Memorien etc.

1. Zur Feier des Geburtstages Sr. Majestät des Königs Friederich VII. laden ein Rector und Consistorium. Inhalt: vom Einfluss der Philosophie auf die Jurisprudenz, besonders von der Benutzung der vier Arten des Grundes oder der Ursächlichkeit, von *H. Ratjen*.
2. Oratio qua in solemnibus regis augustissimi et serenissimi Friderici VII. nataliciis vota publica nuncupavit *Georgius Curtius*.

VII. Dissertationen.

Medic. 1. *J. Brix*, De laparotomiae indicationibus.
2. *A. L. O. Jenner*, De alkoholismo chronico.
3. *G. Volquarts*, De perichonritide laryngea.
4. *A. Ritter*, De vaccinis.
5. *F. Creutz*, De tumoribus ossium.
6. *G. Stender*, De cordis morborum vi ad animum.
7. *F. C. F. Sager*, De insamia.
8. *H. Holm*, De encephalomalacia arteriarum obstructione orta.
9. *A. Henningsen*, De peritonitide perforatoria.
10. *C. R. Matthiessen*, Congenitum oesophagi vitium in neonatis observatum.
11. *Th. Dittmann*, De myelitide.
12. *A. Berg*, De cerebri tumoribus.

Digitized by Google

1855. I.

INDEX SCHOLARUM

IN ACADEMIA

CHRISTIANA ALBERTINA

PER

INSTANS SEMESTRE AESTIVUM

A DIE INDE XVI. MENSIS APRILIS

USQUE

AD DIEM XVI. MENSIS SEXTILIS ANNI MDCCCLV

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

INEST GEORGII CURTII DE NOMINE HOMERI COMMENTATIO.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

Digitized by Google

Digitized by Google

Cum in aliis quaestionibus factum est, ut viri docti rei obscuritatem nominis notatione tollere conarentur, tum in maxima illa et difficillima, quae est de Homeri carminibus. Nomen enim Homeri si modo inventum esset quid significaret, fundamentum nonnulli existimabant jactum esse satis firmum, cui reliqua disputatio superstrueretur. In quo quamquam verendum est, ne erraverint, neve ea in nomine invenerint quae de re dudum mente concepta habuerant, tamen operae pretium esse videtur earum opinionum quae de Homeri nomine prolatae sunt duas paulo accuratius examinare. Altera est novissima, quam idcirco praetermittere nolebamus, quia ne inter philologos quidem desunt, quibus ea opinio prae ceteris arrideat

ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται

altera ea quae apud plurimos valet.

Anno enim abhinc tertio Holtzmannus nomen poetae linguae sanscritae ope explicare conatus est (*Zeitschrift f. vergl. Sprachforschung* I, 483 sqq.). Scilicet ea quae post Wolfium et Lachmannum apud magnam philologorum partem valent optime refutari posse ratus, si Homeri nomen jam illo tempore ortum esse demonstraret, quo Indorum Graecorumque gens una fuisset (p. 490), Homerum voluit esse Indorum Samâsam quendam a colligendis carminibus dictum; eamque opinionem in eo quem superiore anno de Nibelungarum carmine edidit libro quasi demonstratam ita persecutus est, ut etiam ad Germanorum poesin aliquid inde redundaret. Verum ut omittam, quam parum verisimile sit, nomen poetae, quem Herodotus quadringentis annis se majorem existimabat, ex antiquissima illa aetate esse repetendam, tria potissimum sunt argumenta, quae isti commento obstant. Primum enim — id quod nuper etiam Müllenhoffius, collega amicissimus, monuit (*Zur Geschichte der Nibelunge Not* p. 71) — nomen illud sanscritum Samâsas, quod graeco Ὅμηρος respondere contendit, secundum

Digitized by Google

Vjâsas, poetae nominis, analogiam fictum est; usitatur solum appellativum samâsas. Deinde quae de hujus vocabuli usu afferuntur, nihil aliud probant, nisi samâsas Indis fere valuisse quod Romanis compendium, vel ut ipsius Holtzmanni verbis utar (p. 487) „*die gedrängte übersichtliche Darstellung des Ganzen, die auf die Schoenheit der Form verzichten musste, um den Stoff vollständig zu umfassen.*“ Quid autem Homerus, cujus in singulis describendis copiosam perspicuitatem omnes mirantur cum fabularum compendio commune habet? Denique quominus Samâsas vocabulum cum graeco Ὅμηρος comparemus, grammaticae comparativae leges nos prohibent. Nam si Lacones, Eleos, Eretrienses excipimus, apud quos ϱ litteram interdum in antiquioris σ locum successisse constat, Graeci ab illa commutatione, apud alias gentes frequentissima, prorsus abstinuerunt. Quod cum Pottius, his in rebus accuratissimus, jam etymologicarum quaestionum volumine priore p. 131 docuerit, repetiit nuper in doctissimo de personarum nominibus libro p. 29. Ibi omnia fere quae de σ in ϱ mutato Holtzmannus dixit, ita refellit, ut pauca tantum habeam quae addam. Nam duo exempla a Pottio praetermissa sunt: κραιπνός et adjectiva in — ηρος. Prius a Boppio quidem cum sanscrito kshipras — quod celerem designat — comparatum est. Verum cum apud Graecos exstet καρπ-άλιμο-ς, significatione a κραιπνό-ς non multum distans, et κραιπ-άλη, quod proprie vertiginem designat, linguae graecae radix κραπ, καρπ vindicanda est, quae litteris juste mutatis recurrit in majorum nostrorum hlouf-an, nec separari potest ab eo quod est in lituanica lingua kryp-ti (verti, vacillare). Quod autem graecum οἰνηός et latinum vinosus eadem esse contendit, id imprudentius factum est ab Holtzmanno. Dudum enim constat latina adjectiva in -osus, quae antiquitus in -onsus terminabantur, graecis in -οεις ita respondere, ut utraque sanscritis in -vant comparentur. Tertium addere supervacaneum est; cui enim persuadeat ὀρᾶν cum sanscrito akshi, oculi nomine, cognatum esse, vir doctissimus inveniet neminem.

Longe minus incredibilis est ea de Homeri nomine sententia cujus locupletissimus auctor exstitit Welckerus. A quo notum est Homeri nomen ex ὁμοῦ et ἄρειν derivatum ita explicari (*Epischer Cyclus* I, 125 sqq.), ut compositorem vel eum designare dicat, qui vetustiora carmina breviora in unum longius conjunxerit et quodammodo coagmentaverit („*Zusammenfueger*“). Quae nominis interpretatio cum multis propter simplicitatem placuerit, tamen non defuerunt qui eam rejicerent, in quibus Bernhardyum (*Griech. Litteratur* II, 90) et Nitzschium (*Sagenpoesie* p. 377) nominasse sufficiet. Sed a nullo, quantum quidem scio, accuratius in hanc rem inquisitum est. Faciamus igitur inquirendi periculum, sed ita ut solius vocabuli rationem habeamus.

Digitized by Google

De quo si obloquendum erit viro quem inter magistros nostros veneramur, id salva pietate fieri posse, nobis persuasum est.

Ac primum quidem de accentu vocis agitur. Nam si praeter vulgatum ὄμηρος alterum fuit nomen, activa significatione praeditum, necesse erat ejus nominis ultima syllaba acueretur. Ut enim στρατ-ηγό-ς, ναυ-πηγό-ς, ὑμνῳδό-ς habemus, ita ὁμηρός exspectandum erat (*Göttling, Accentlehre* p. 320). At major, inquiunt, nominum propriorum licentia est,*) quae constat ab appellativis, unde originem ducant, saepe accentu distincta esse. Concedo: poterat ab ὁμηρός nominari Ὅμηρος quidam, ut a βοηθός Βόηθος, Welckero autem quasi pro appellativo est illud nomen, quo quoddam poesis epicae genus designatum esse contendat. Verum cum activa significatio uno accentu indicaretur, ea sane mutata accentus sede intelligi amplius non potuisset.

Deinde de utraque nominis parte quaerendum est, num id vere significet, quod propositum est. Prior pars non tam ὁμοῦ est, quam hujus genetivi stirps ὁμο-, innumerabili vocabulorum multitudini praefixa. ὁμοῦ autem cum latinorum simul et una adverbiorum notiones conjunctas habeat, proxime ab ἅμα abest, ex eadem radice repetendo (sanscr. sama), ita ut communionem quandam significet non nimis artam et, ubi cum dativo conjungitur, a σύν praepositionis, firmiorem nexum designantis, usu differat. Atque similis videtur praepositi ὁμο- ratio. Id ad σύν voculae vim prope accedit neque tamen ab ea non diversum est. ὁμόφωνοι ii dicuntur qui eandem vocem emittunt, ξύμφωνοι qui voces conjungunt; quare ὁμοφωνίας contrarium est πολυφωνία, συμφωνίας διαφωνία. Cujus discriminis Aristoteles sibi conscius fuit cum diceret (Polit. II, 5) ὥσπερ ἂν εἴ τις συμφωνίαν ποιήσειεν ὁμοφωνίαν. Quid inter ὁμώνυμα et συνώνυμα intersit non magis ignoratur, quam ὁμοπαθεῖς ac συμπαθεῖς diversos esse, ut συνήγοροι et qui apud Hesychium commemorantur ὁμήγοροι, ἰσήγοροι, ἐν ταὐτῷ συνήγοροι, id est, qui eandem causam agunt. Atque ὁμο- saepissime cum nominibus substantivis ita componitur, ut compositum vocabulum adjectivum fiat: ὁμοήθης, ὁμότιμος, ὁμομήτριος, ὁμόφρων, rarius cum verborum stirpibus: ὁμηγερής, ὁμόζυξ, ὁμοταγεῖς (οἱ ἐν τῷ αὐτῷ τάγματι Hesych.). Ea vero quae ex verbis facta sunt fere omnia passivam vim habent, activam pauca eaque rarissimi vel seri usus: ὁμάκοοι, quod nomen Pythagorae discipuli sibi indidisse dicuntur, ὁμοβλαστής, quod apud Theophrastum legitur, ὁμόδρομος, quod melius a δρόμος derivatur, ὁμοθελής, quod apud ecclesiasticos demum scriptores invenitur, ὁμοποιός, cujus Jamblichum testem afferunt. Et ne in his quidem, quibus

*) Cf. Düntzerus, *Zeitschr. f. d. Alterthumswissenschaft*, 1836, p. 1049.

Digitized by Google

non multa addi poterunt, ὁμο- prorsus idem valet quod σύν. Qui enim una currunt possunt ii quidem et ὁμόδρομοι et σύνδρομοι vocari; qui vero ex diversis partibus orsi in cursu conveniunt non sunt ὁμόδρομοι, sed σύνδρομοι, ut ὁδοὶ σύνδρομοι sunt viae concurrentes, πέτραι sive σύδρομοι sive συνδρομάδες, quas Ovidius (Met. VII, 62) mediis concurrere in undis dicit. Itaque id maxime discriminis inter utramque vocem intercedere videtur, ut ὁμο- consortium quoddam significet ab initio actionis jam exstans, σύν etiam communionis ipsa actione demum effectae signum esse possit. Eam ob causam omnia vocabula quae aut res vel compositas, vel coagmentatas, vel conjunctas, aut ipsam conjunctionem, vel nectendo, vel miscendo, vel collocando vel denique scribendo effectam, aut homines quolibet modo componentes vel conjungentes designant, praepositam habent σύν non ὁμο- voculam: συμπαγής, σύγκρατος, συμφερτός — σύναμμα, σύνδεσμος, σύνθεσις, σύνταξις — συνθέτης, συγγραφεύς. Quae vero aliter se habere videntur, accuratius inspecta huic regulae contraria non sunt, ut homericum ὁμ-ηγερέες, quod quam habet conveniendi notionem ea jam in stirpe ἀγερ inest, itaque praefixo illo ὁμο- non efficitur sed augetur eodem fere modo quo ἅμα cum verbo ἕπεσθαι conjunctum ejus significatum non immutat, sed paululum definit tantum et confirmat. Ita cum res sé habeat, sequitur, poetam istum breviora carmina in majora corpora conjungentem non ὅμ-ηρον, sed potius sive συνηρόν, sive συνάρτην vel συνθέτην nominandum fuisse.

Breviores erimus de altera vocabuli parte. Quae enim aptandi significationem habent verbi ἀρ formae, eae aut reduplicatae sunt, ut ἀραρεῖν — quamquam hujus significatio sibi non constat — ἀράρισκεν, aut ad aoristum sigmaticum pertinent. Sin ἀραρεῖν cum ὀρορεῖν, λελαχεῖν, λελαθεῖν, ἀκαχεῖν, δεδαεῖν, ἀράρισκε cum ἀκάχιζε, ἐδίδασκε, ἄρσαι cum ὄρσαι, λῆσαι, στῆσαι, βῆσαι comparamus, eo deducimur, ut primariam radicis notionem intransitivam fuisse ponamus, quae est in ἀρ-η-ώς, ἄρ-μενο-ς, ἄρ-τι, ἄρ-τιο-ς, ἄρ-θ-ρο-ν, ἀρ-θ-μό-ς, ἀρ-ι-θ-μό-ς, ἦρα (ἐπὶ ἦρα φέρειν), ἀρ-έ-σκ-ω, ἀρ-ε-τή et in magno compositorum numero, ex quo ἐν-αρ-ής, ἐρί-ηρ-ος, εὐ-ήρ-ης, ἀμφ-ήρ-ης, θυμ-ήρ-ης, πάρ-ηρ-ο-ς commemorasse satis erit. Consentiunt linguae cognatae. Sanscrita enim nobis praebet ṛ-tu-s, quod ubi juncturam significat prorsus respondet latino artu-s vel articulus, quibus ἄρ-θ-ρο-ν simillimum est. Nec longo intervallo ab his distare latinum ar-mu-s, Gothorum arm-s (brachium), Jacobus Grimmius docuit in lexico, quo nobis patrii sermonis ubertatem exponit. Et verisimile est arma proprie membra loricae, corpori apta (ἀρηρότα), dicta esse. Cum graeco ἄρτι autem, quod ejusdem stirpis est, comparatur lituanicum arti prope, artima-s propinquus, quibus fortasse latinum artu-s accedit; nam compages arta (Virg. Aen. I, 294) est εὖ ἀραρυῖα.

Digitized by Google

Fuit igitur sine dubio primaria radicis ἀϱ notio aptum esse *(sich fuegen)*. Ea autem praefixa syllaba ὁμο ita fere augetur, ut in antiquiore majorum nostrorum vocabulo ge-fuege. Itaque ὁμαϱτῇ vel, quod Aristarchus maluit, ἁμαϱτῇ ϱήσσοντες (Il. Σ, 571) dicuntur qui ad lini cantilenam tripudiant, ὁμαϱτήδην ἀχοντίσσαι (N, 584) vel ὁμαϱτῆσαι (M, 400), qui eodem temporis momento jacula mittunt, ὁμηϱεῖν et ὁμαϱτεῖν qui gradum conferunt (Virg. Georg. III, 166) vel conjuncti eunt *(einen Schritt gehen)*, et ὁμηϱτῆϱες sunt ἀκόλουθοι, συνήγοϱοι (Hesych.). Translata autem ad cantum significatione Musae ab Hesiodo φωνῇ ὁμηϱεῦσαι vocatae sunt (Theog. 38), quia conjunctis et inter se accommodatis vocibus cantant. Quem usum quamquam Welckerus (p. 129) pro sua sententia affert, Musae tamen apte concinentes ab illa quam quaerit significatione coagmentandi longius absunt. Restant Ζεὺς Ὁμάϱιος, qui ab eodem viro docto commemoratur (p. 128), et Ὁμάϱιον sive Ἀμάϱιον, utrumque a concordia dictum, nam si ὅμηϱοι fuerunt apti inter se et connexi inde facilis erat transitus ad designandum concordiae et testem et locum. Et quae ὅμηϱοι dicta sunt concordiae pignora, hoc nomen ex eo accepisse videntur, quod haec pacis confirmatio utrique parti ἐνὶ φϱεσὶν ἤϱαϱε.

Quare cum Homerus nobis nec fabulosus Samàsas, ipsis Graecis antiquior, nec compositorum eponymus *(„Ahnherr der Zusammenfueger,“ Welck.* p. 162) esse videatur, quaeritur, quid tandem significare possit nomen illud explicatu difficillimum, an forte quod apud Suidam de Homero fertur ἄγνωστος τοῖς ἀνθϱώποις idem in nomen cadat. Verum haud inepte Müllenhoffio in mentem venisse videtur (p. 71), vocabulum Ὅμηϱος simile quid sonasse atque germanicum ‚geselle,‘ ‚gehelfe‘ quibus nominibus poetae medii aevi se salutabant. Sed ejus vocis pluralem numerum veri simile est ante singularem fuisse. Reputatis enim iis quae Boeckhius, vir praeclarissimus, in prooemio indicis lect. Berol. aest. a. 1834 de Homeridarum gente, quae Chii fuit, luculenter exposuit, sic fere nomen Homeri ortum esse existimaverim, ut primum poetae inter se conjuncti et apti ὅμηϱοι vocati sint, ii deinde gentis sodalitio inito patronymicum Ὁμηϱίδαι nomen acceperint, postea vero ex civilium gentium more eponymus quidam inventus sit Ὅμηϱος, ‚qui gentis potius quam suam personam sustineret.‘ Nam similem sane in modum qui a cantus suavitate εὔμολποι vocati erant facti sunt Εὐμολπίδαι, Eumolpidarum autem auctor inventus est Eumolpus; nec puto post ea quae a Boeckhio demonstrata sunt quemquam dubitaturum, quin Αἰθαλίδαι, Εὐπυϱίδαι, Παμβωτάδαι, Κϱωπίδαι (κϱώπιον), Χαλκίδαι vel Milesiorum Εὐαγγελίδαι a negotio quod factita-

Digitized by Google

bant denominati sint. Fiet igitur Homerus nobis auctor vel eponymus poetarum gentilicia communione inter se conjunctorum *(Ahnherr der Sängerinnungen).* *)

Ceterum hanc nominis interpretationem evinci posse minime confido. Probabilior sane mihi videtur quam quas ante examinavimus. Verum in quaestione difficili multumque tractata satis mihi fecisse videbor si demonstravero, a nobis quoque, qui his in rebus cum Lachmanno sentimus, nomen Homeri probabilem in modum posse explicari.

*) Cf. Hoffmann, *Allg. Monatsschrift*, *April* 1852, qui simile quid de re suspicatur, quamquam nomen aliter interpretatus est.

SCHOLAE PROFESSORUM ORDINARIORUM.

EX ORDINE THEOLOGICO.

Dr. *C. Lüdemann*, h. t. Dec., 1) publico officio seminarii homiletici studiis et exercitationibus praeerit diebus Jovis hh. X. et XI.; 2) *privatim:* a) ethicen Christianam docebit diebus Lunae, Martis, Jovis ac Veneris h. IV., b) scholarum popularium rationem explicabit diebus Lunae ac Jovis h. V., c) seminarii catechetici exercitationibus et studia moderari perget diebus Mercurii hh. X. et XI. — Vocis cantus liturgici legibus conformandae cura viro hujus artis peritissimo demandata est.

Dr. *N. Thomsen publice* archaeologiam et historiam cultus sacri Christianorum tradet singulis diebus Saturni, binis horis XI—I. *Privatim* historiam ecclesiae Christianae universalem per partem ejus secundam quinquies h. XI—XII. enarrabit; item theologiam biblicam veteris et novi testamenti quinquies h. III—IV. exponet. *Privatissime* denique, sed *gratis* exercitationes historico-theologicas singulis diebus Saturni hh. VI—VIII. moderari perget.

Dr. *C. Wieseler* 1) tria priora evangelia *privatim* diebus Lunae, Martis, Veneris et Saturni hora X—XI. interpretabitur; 2) gravissima psalmorum capita *privatim* diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris XII—I. explicabit; 3) historiam passionis Jesu Christi secundum quatuor evangelia die Jovis hora X—XI. et die Saturni hora XII—I. publicis lectionibus exponet.

Dr. *G. Fricke* 1) *publice* epistolam Pauli ad Galatas datam binis diebus Mercurii et Saturni hora IV—V. interpretabitur; 2) *privatim:* a) historiam dogmatum inde a Christo nato usque ad reformationem exponet quinis horis, diebus Martis et Veneris horis V—VII. et die Mercurii hora V—VI.; b) principia Protestantismi utriusque ejusque historiam internam inde a Spenero usque ad nostram memoriam adumbrabit quaternis horis, diebus Lunae et Jovis horis V—VII.

EX ORDINE IURIDICO.

Dr. *J. W. Planck privatim* 1) jus criminale quinquies per hebd. h. XI. tradet; 2) exercitationes practicas, quales in judiciis privatis hodie in usu sunt, moderabitur ternis scholis h. XII.

Dr. *A. C. J. Schmid*, h. t. Dec., jus privatum ducatus Slesvici omnibus diebus non festis, h. IX—X., quater *privatim*, bis *publice* docebit.

Dr. *Guilielmus Girtanner privatim* Institutiones atque historiam juris Romani quaternis per hebd. diebus h. X—XII. tradet duce libro: *Lehrbuch der Institutionen von Th. Marezoll. 5. Aufl. Leipzig* 1854.

Dr. *C. Neuner privatim* doctrinam Pandectarum senis per hebd. diebus hh. X—XII. explicabit duce libro: *Puchta, Lehrbuch der Pandekten.*

Dr. *Guilielmus Eduardus Wilda publice* Examinatorium ac Conversatorium juris Germanici ac Holsatici privati instituet bis h. XI. *Privatim:* Historiam juris Germanici, inprimis ducatus Holsatiae ratione habita quinquies per hebd. enarrabit h. X.

EX ORDINE MEDICORUM.

Dr. *W. F. G. Behn privatim* 1) Zoologiam quinquies per hebd. h. XII. docebit; 2) quaternis scholis h. III. systema nervorum et organa sensuum demonstrabit.

Dr. *C. C. Th. Litzmann*, h. t. Dec., *privatim* 1) theoriae artis obstetriciae partem secundam tradet diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. VIII.; 2) Clinicen obstetriciam moderabitur diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Veneris h. IX.

Dr. *Aemil. F. Goetz* 1) pathologiae et therapiae specialis partem II. docebit sexies per hebd. h. IX—X.; 2) exercitationibus clinicis praeerit quotidie h. X—XII.

EX ORDINE PHILOSOPHORUM.

Dr. *H. Ratjen* Historiam literariam juris civilis adumbrabit diebus Lunae et Jovis h. pomeridiana III—IV. Bibliothecam publicam aperiet diebus horisque consuetis.

Dr. *P. W. Forchhammer privatim* 1) Archaeologiam tradet quaternis diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. XII—I.; 2) Aristotelis libros de republica interpretabitur ternis diebus Martis, Jovis et Veneris h. XI—XII.; 3) disputationes de rebus mythologicis et topographicis instituet singulis diebus Saturni hh. XI—I. Publico officio in seminario philologico tragoediae Aschyleae interpretationi praeerit singulis diebus Mercurii hh. XI—I.

Dr. *C. Himly* 1) chemiam theoreticam docebit et experimentis illustrabit h. X—XI.; 2) Exercitationes practicas et analyticas et pharmaceuticas in laboratorio academico sueto more hh. XI—II. instituet.

Dr. *G. Karsten*, h. t. Dec., *privatim* 1) physicen experimentalem senis diebus h. IX—X. leget; 2) mineralogiae systema quater p. h. diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris h. X—XI. exponet; 3) exercitationes physices practicas sueto more instituet;

Digitized by Google

publice crystallographiam die Mercurii h. X—XI. tradet; *privatissime* sed *gratis* colloquia physica moderabitur.

Dr. *H. M. Chalybaeus* 1) *publice* principia aesthetices diebus Lunae et Jovis h. IX—X.; 2) *privatim* introductionem propaedeuticam in systema philosophiae diebus Martis et Veneris IX—X.; 3) philosophiam religionis quat. h. VIII—X. diebus Mercurii et Saturni; 4) historiam philosophiae antiquae quaternis diebus h. IV. explicabit.

Dr. *Georgius Curtius privatim* 1) Grammaticam latinam docebit diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. IX.; 2) Thucydides orationes interpretabitur diebus Lunae, Martis et Jovis h. X.; 3) publico officio seminarii philologiei sodalibus Sallustii conjurationem Catilinariam interpretandam proponet reliquisque exercitationibus praeerit d. Mercurii h. IX—XI., d. Veneris h. X—XI.

Dr. *Guilielmus Seelig*, 1) artem financiariam diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris h. VIII. tradet; 2) idem de selectis politiae oeconomicae capitibus *publice* disseret diebus Martis et Veneris h. VII.

Dr. *Karolus Müllenhoff privatim* Taciti Germaniam diebus Jovis et Veneris h. III—IV. interpretabitur; grammaticam theodiscam diebus Lunae, Martis et Mercurii h. III—IV. docebit; *publice* exercitationes theodiscas diebus Jovis et Veneris h. IV—V. moderari perget.

Dr. *Gustavus F. Thaulow* 1) *privatim* historiam philosophiae recentioris quater explicabit diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. VII—VIII.; 2) historiam architecturae et sculpturae apud Graecos et Romanos semel enarrabit die Mercurii h. III—IV.; 3) paedagogiam et didacticam quater docebit diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. III—IV.; 4) *publice* in seminario paedagogico exercitationes practicas moderari perget. *Privatissime* repetitoria offert.

PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

IURIS.

Dr. *C. Christiansen privatim* processum criminalem quater per hebdom. h. X—XI., juris philosophiam quater p. h. hora XI—XII. docebit.

MEDICINAE.

Dr. *F. H. Hegewisch privatissime* artem medicam docebit.

Digitized by Google

Dr. *F. Weber privatim* quinquies per hebd. h. VII. anatomiam pathologicam generalem et specialem docebit; *publice* ubi et quando id fieri poterit, sectiones, et inde exercitationes pathol. histolog. instituet.

Dr. *P. L. Panum privatim* physiologiae humanae sectionem primam, sc. physiologiam generalem et physiologiam functionum vitae animalis sexies p. h. horis p. IV—VI. docebit et experimentis illustrabit; *privatissime* exercitationes chemicas et histologicas medicorum sueto modo diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris h. m. IX—XII. moderabitur.

Dr. *G. P. E. Kirchner privatim* 1) Organicam chemiae pharmaceuticae partem die Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. m. VIII—IX.; 2) Pharmacologiae partem generalem die Mercurii h. m. VIII—IX., die Saturni h. m. VIII—X. docebit; 3) Medicinam forensem, juris studiosis praecipue accommodatam, die Lunae, Jovis et Veneris h. XII—I. aut alia hora, audituris commoda, tradet.

PHILOSOPHIAE.

Dr. *E. F. Nolte publice* demonstrationes plantarum h. III—IV. d. Lunae et Jovis instituet; *privatim* botanicen docebit h. VII—VIII. quinquies per hebdomadem. Excursiones botanicas hor. postmerid. III. d. Saturni instituet. Nec iis deerit, qui praelectionibus suis *privatissimis* de singularum plantarum familiis uti volunt.

Dr. *K. W. Nitzsch privatim* 1) Daniae et ducatuum historiam enarrabit quinquies per hebd. hora IV—V.; 2) Antiquitates Romanas adumbrabit ter per hebd. hora IX—X. *Publice* exercitationes historicas instituet semel per hebdomadem.

Dr. *Fridericus Harms* tradet *privatim* logicam ternis p. h. diebus hor. VIII.; *publice* encyclopaediam scientiarum naturae bis p. h. hor. VIII.

Chr. K. F. Molbech bis per hebd. *publice* carmina mythologica Oehlenschlaegeri explicabit; *privatissime* sed *gratis* exercitationes danicas ternis p. h. horis, diebus Lunae, Martis et Jovis h. VI—VII. solito more moderabitur.

Dr. *G. D. E. Weyer privatim* 1) astronomiam calculatoriam docebit diebus Lunae, Martis et Mercurii h. VI—VII.; 2) trigonometriam atque theoriam sectionum conicarum leget diebus Lunae, Mercurii et Saturni h. X—XI.; *publice* calculi differentialis et integralis partes selectas tractabit diebus Jovis et Veneris h. VI—VII.

Dr. *A. Dillmann* 1) *privatim* librum Jesaiae quater per hebdomadem, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. IV—V. interpretabitur; 2) *privatissime* sed *gratis* grammaticam linguae Sanscritae ternis diebus docebit; 3) *publice* exercitationes hebraeo-exegeticas binis vel ternis horis pomer. moderari perget.

Digitized by Google

DOCTORUM PRIVATORUM.

IURIS.

Dr. *Ernestus Friedlieb* 1) jus privatum germanicum inprimis juris Holsatici rationem habiturus quinis lectionibus iisque *privatis* docebit h. IX.; 2) juris ecclesiastici tam catholici quam protestantium principia *privatim* explicabit diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. XII.; 3) juris encyclopaediam eadem hora diebus Martis, Jovis et Saturni ad librum suum *Juristische Encyclopädie, Kiel* 1853, bis *privatim*, semel *publice* exponet.

MEDICINAE.

Dr. *W. H. Valentiner* de evolutione ovi animalium vertebratorum et hominis disseret.

Dr. *Th. Valentiner privatim* docebit histologiam cum exercitationibus practicis quaternis scholis, horis definiendis.

Dr. *P. Jessen publice* Psychologiam diebus Martis et Veneris h. IX—X. docebit.

Dr. *Herm. Schwartz privatim:* De puerperarum morbis disseret ter per hebdomadem; *privatissime:* Operationes obstetricias explicabit.

Dr. *F. Esmarch privatim* clinicen chirurgicam moderabitur quotidie horis XII — II.; chirurgiam docebit quotidie hora pomerid. III — IV.; *privatissime* cursum operationum chirurgicarum instituendum offert.

Dr. *Carolus Bartels* 1) *privatim* de morbis venereis bis per hebd.; 2) *publice* de sectionibus legalibus bis per hebd. disseret.

Dr. *M. Claudius*, prosector, *privatim* 1) Histologiam tradet cum exercitationibus practicis, sexies p. h.; 2) Anatomiam topographicam corp. hum. bis p. h.; 3) Osteologiam et syndesmologiam ter p. h.; *privatissime* examinatoria de anatomia corp. hum. habebit.

PHILOSOPHIAE.

Dr. *G. H. Handelmann publice* historiam Americanam semel per hebd. perget enarrare; *privatim* ternis per hebd. horis historiam tradet temporis Caroli V. et sacrorum instauratorum.

Dr. *P. Buttel privatim* theoriam numerorum ter per hebd. diebus Lunae, Mercurii et Saturni h. XI—XII. tradet; *publice* selecta capita geometriae analyticae bis per hebd. diebus Martis et Veneris h. IX—XI. leget.

Digitized by Google

LECTORES LINGUARUM ET ARTIUM MAGISTRI.

S. Lubbren, lector linguae anglicae, *publice* diebus Mercurii et Saturni hora VIII—IX. exercitationes practicas anglice scribendi et legendi instituet. *Privatissime* scholas anglicas quotidie habendas offert.

J. A. Schwob-Dollé, linguae gallicae lector, *publice* binis per hebd. diebus exercitationes gallicas instituet. Praeterea lectiones *privatissimas* offert.

P. Guil. de Balle, publicus equitandi magister, artem equos subigendi docebit, et scholas habebit de externa forma equorum recte judicanda.

Th. Rehbenitz, artis delineandi magister publicus, eorum, qui opera ejus uti velint, in delineandi et pingendi arte exercitationes moderabitur.

Armorum tractationem, saltationem, reliquam gymnasticam discere cupientibus non deerunt magistri harum artium peritissimi ad easque docendas publico stipendio conducti.

LS

Digitized by Google

Kurs-Nr.	Montag	Dienstag	Mittwoch	Donnerstag	Freitag	Samstag/Sonntag
	Mathematik 5 (Gymnasium) Mathematik 6 (Gymnasium) Mathematik 7 (Gymnasium) Mathematik 8 (Gymnasium) Mathematik 9 (Gymnasium) Mathematik 10 (Gymnasium) Mathematik 11 (Gymnasium) Mathematik 12 (Gymnasium) Mathematik 13 (Gymnasium)	Mathematik 5 (Gymnasium) Mathematik 6 (Gymnasium) Mathematik 7 (Gymnasium) Mathematik 8 (Gymnasium) Mathematik 9 (Gymnasium) Mathematik 10 (Gymnasium) Mathematik 11 (Gymnasium) Mathematik 12 (Gymnasium) Mathematik 13 (Gymnasium)	Mathematik 5 (Gymnasium) Mathematik 6 (Gymnasium) Mathematik 7 (Gymnasium) Mathematik 8 (Gymnasium) Mathematik 9 (Gymnasium) Mathematik 10 (Gymnasium) Mathematik 11 (Gymnasium) Mathematik 12 (Gymnasium) Mathematik 13 (Gymnasium)	Mathematik 5 (Gymnasium) Mathematik 6 (Gymnasium) Mathematik 7 (Gymnasium) Mathematik 8 (Gymnasium) Mathematik 9 (Gymnasium) Mathematik 10 (Gymnasium) Mathematik 11 (Gymnasium) Mathematik 12 (Gymnasium) Mathematik 13 (Gymnasium)	Mathematik 5 (Gymnasium) Mathematik 6 (Gymnasium) Mathematik 7 (Gymnasium) Mathematik 8 (Gymnasium) Mathematik 9 (Gymnasium) Mathematik 10 (Gymnasium) Mathematik 11 (Gymnasium) Mathematik 12 (Gymnasium) Mathematik 13 (Gymnasium)
	Grundschule Deutsch 1 Grundschule Deutsch 2 Grundschule Deutsch 3 Grundschule Deutsch 4 Deutsch 5 (Gymnasium) Deutsch 6 (Gymnasium) Deutsch 7 (Gymnasium) Deutsch 8 (Gymnasium) Deutsch 9 (Gymnasium) Deutsch 10 (Gymnasium) Deutsch 11 (Gymnasium) Deutsch 12 (Gymnasium) Deutsch 13 (Gymnasium)	Grundschule Deutsch 1 Grundschule Deutsch 2 Grundschule Deutsch 3 Grundschule Deutsch 4 Deutsch 5 (Gymnasium) Deutsch 6 (Gymnasium) Deutsch 7 (Gymnasium) Deutsch 8 (Gymnasium) Deutsch 9 (Gymnasium) Deutsch 10 (Gymnasium) Deutsch 11 (Gymnasium) Deutsch 12 (Gymnasium) Deutsch 13 (Gymnasium)	Grundschule Deutsch 1 Grundschule Deutsch 2 Grundschule Deutsch 3 Grundschule Deutsch 4 Deutsch 5 (Gymnasium) Deutsch 6 (Gymnasium) Deutsch 7 (Gymnasium) Deutsch 8 (Gymnasium) Deutsch 9 (Gymnasium) Deutsch 10 (Gymnasium) Deutsch 11 (Gymnasium) Deutsch 12 (Gymnasium) Deutsch 13 (Gymnasium)	Grundschule Deutsch 1 Grundschule Deutsch 2 Grundschule Deutsch 3 Grundschule Deutsch 4 Deutsch 5 (Gymnasium) Deutsch 6 (Gymnasium) Deutsch 7 (Gymnasium) Deutsch 8 (Gymnasium) Deutsch 9 (Gymnasium) Deutsch 10 (Gymnasium) Deutsch 11 (Gymnasium) Deutsch 12 (Gymnasium) Deutsch 13 (Gymnasium)	Grundschule Deutsch 1 Grundschule Deutsch 2 Grundschule Deutsch 3 Grundschule Deutsch 4 Deutsch 5 (Gymnasium) Deutsch 6 (Gymnasium) Deutsch 7 (Gymnasium) Deutsch 8 (Gymnasium) Deutsch 9 (Gymnasium) Deutsch 10 (Gymnasium) Deutsch 11 (Gymnasium) Deutsch 12 (Gymnasium) Deutsch 13 (Gymnasium)
	Englisch 5 (Gymnasium) Englisch 6 (Gymnasium) Englisch 7 (Gymnasium) Englisch 8 (Gymnasium) Englisch 9 (Gymnasium) Englisch 10 (Gymnasium) Englisch 11 (Gymnasium) Englisch 12 (Gymnasium) Englisch 13 (Gymnasium)	Englisch 5 (Gymnasium) Englisch 6 (Gymnasium) Englisch 7 (Gymnasium) Englisch 8 (Gymnasium) Englisch 9 (Gymnasium) Englisch 10 (Gymnasium) Englisch 11 (Gymnasium) Englisch 12 (Gymnasium) Englisch 13 (Gymnasium)	Englisch 5 (Gymnasium) Englisch 6 (Gymnasium) Englisch 7 (Gymnasium) Englisch 8 (Gymnasium) Englisch 9 (Gymnasium) Englisch 10 (Gymnasium) Englisch 11 (Gymnasium) Englisch 12 (Gymnasium) Englisch 13 (Gymnasium)	Englisch 5 (Gymnasium) Englisch 6 (Gymnasium) Englisch 7 (Gymnasium) Englisch 8 (Gymnasium) Englisch 9 (Gymnasium) Englisch 10 (Gymnasium) Englisch 11 (Gymnasium) Englisch 12 (Gymnasium) Englisch 13 (Gymnasium)	Englisch 5 (Gymnasium) Englisch 6 (Gymnasium) Englisch 7 (Gymnasium) Englisch 8 (Gymnasium) Englisch 9 (Gymnasium) Englisch 10 (Gymnasium) Englisch 11 (Gymnasium) Englisch 12 (Gymnasium) Englisch 13 (Gymnasium)
	Französisch 5 (Gymnasium) Französisch 6 (Gymnasium) Französisch 7 (Gymnasium) Französisch 8 (Gymnasium) Französisch 9 (Gymnasium) Französisch 10 (Gymnasium) Französisch 11 (Gymnasium) Französisch 12 (Gymnasium) Französisch 13 (Gymnasium)	Französisch 5 (Gymnasium) Französisch 6 (Gymnasium) Französisch 7 (Gymnasium) Französisch 8 (Gymnasium) Französisch 9 (Gymnasium) Französisch 10 (Gymnasium) Französisch 11 (Gymnasium) Französisch 12 (Gymnasium) Französisch 13 (Gymnasium)	Französisch 5 (Gymnasium) Französisch 6 (Gymnasium) Französisch 7 (Gymnasium) Französisch 8 (Gymnasium) Französisch 9 (Gymnasium) Französisch 10 (Gymnasium) Französisch 11 (Gymnasium) Französisch 12 (Gymnasium) Französisch 13 (Gymnasium)	Französisch 5 (Gymnasium) Französisch 6 (Gymnasium) Französisch 7 (Gymnasium) Französisch 8 (Gymnasium) Französisch 9 (Gymnasium) Französisch 10 (Gymnasium) Französisch 11 (Gymnasium) Französisch 12 (Gymnasium) Französisch 13 (Gymnasium)	Französisch 5 (Gymnasium) Französisch 6 (Gymnasium) Französisch 7 (Gymnasium) Französisch 8 (Gymnasium) Französisch 9 (Gymnasium) Französisch 10 (Gymnasium) Französisch 11 (Gymnasium) Französisch 12 (Gymnasium) Französisch 13 (Gymnasium)
	Latein 5 (Gymnasium) Latein 6 (Gymnasium) Latein 7 (Gymnasium) Latein 8 (Gymnasium) Latein 9 (Gymnasium) Latein 10 (Gymnasium) Latein 11 (Gymnasium) Latein 12 (Gymnasium) Latein 13 (Gymnasium)	Latein 5 (Gymnasium) Latein 6 (Gymnasium) Latein 7 (Gymnasium) Latein 8 (Gymnasium) Latein 9 (Gymnasium) Latein 10 (Gymnasium) Latein 11 (Gymnasium) Latein 12 (Gymnasium) Latein 13 (Gymnasium)	Latein 5 (Gymnasium) Latein 6 (Gymnasium) Latein 7 (Gymnasium) Latein 8 (Gymnasium) Latein 9 (Gymnasium) Latein 10 (Gymnasium) Latein 11 (Gymnasium) Latein 12 (Gymnasium) Latein 13 (Gymnasium)	Latein 5 (Gymnasium) Latein 6 (Gymnasium) Latein 7 (Gymnasium) Latein 8 (Gymnasium) Latein 9 (Gymnasium) Latein 10 (Gymnasium) Latein 11 (Gymnasium) Latein 12 (Gymnasium) Latein 13 (Gymnasium)	Latein 5 (Gymnasium) Latein 6 (Gymnasium) Latein 7 (Gymnasium) Latein 8 (Gymnasium) Latein 9 (Gymnasium) Latein 10 (Gymnasium) Latein 11 (Gymnasium) Latein 12 (Gymnasium) Latein 13 (Gymnasium)
	Spanisch 5 (Gymnasium) Spanisch 6 (Gymnasium) Spanisch 7 (Gymnasium) Spanisch 8 (Gymnasium) Spanisch 9 (Gymnasium) Spanisch 10 (Gymnasium) Spanisch 11 (Gymnasium) Spanisch 12 (Gymnasium) Spanisch 13 (Gymnasium)	Spanisch 5 (Gymnasium) Spanisch 6 (Gymnasium) Spanisch 7 (Gymnasium) Spanisch 8 (Gymnasium) Spanisch 9 (Gymnasium) Spanisch 10 (Gymnasium) Spanisch 11 (Gymnasium) Spanisch 12 (Gymnasium) Spanisch 13 (Gymnasium)	Spanisch 5 (Gymnasium) Spanisch 6 (Gymnasium) Spanisch 7 (Gymnasium) Spanisch 8 (Gymnasium) Spanisch 9 (Gymnasium) Spanisch 10 (Gymnasium) Spanisch 11 (Gymnasium) Spanisch 12 (Gymnasium) Spanisch 13 (Gymnasium)	Spanisch 5 (Gymnasium) Spanisch 6 (Gymnasium) Spanisch 7 (Gymnasium) Spanisch 8 (Gymnasium) Spanisch 9 (Gymnasium) Spanisch 10 (Gymnasium) Spanisch 11 (Gymnasium) Spanisch 12 (Gymnasium) Spanisch 13 (Gymnasium)	Spanisch 5 (Gymnasium) Spanisch 6 (Gymnasium) Spanisch 7 (Gymnasium) Spanisch 8 (Gymnasium) Spanisch 9 (Gymnasium) Spanisch 10 (Gymnasium) Spanisch 11 (Gymnasium) Spanisch 12 (Gymnasium) Spanisch 13 (Gymnasium)
	Naturwissenschaften 5 (Gymnasium) Naturwissenschaften 6 (Gymnasium) Naturwissenschaften 7 (Gymnasium) Naturwissenschaften 8 (Gymnasium) Naturwissenschaften 9 (Gymnasium) Naturwissenschaften 10 (Gymnasium) Naturwissenschaften 11 (Gymnasium) Naturwissenschaften 12 (Gymnasium) Naturwissenschaften 13 (Gymnasium)	Naturwissenschaften 5 (Gymnasium) Naturwissenschaften 6 (Gymnasium) Naturwissenschaften 7 (Gymnasium) Naturwissenschaften 8 (Gymnasium) Naturwissenschaften 9 (Gymnasium) Naturwissenschaften 10 (Gymnasium) Naturwissenschaften 11 (Gymnasium) Naturwissenschaften 12 (Gymnasium) Naturwissenschaften 13 (Gymnasium)	Naturwissenschaften 5 (Gymnasium) Naturwissenschaften 6 (Gymnasium) Naturwissenschaften 7 (Gymnasium) Naturwissenschaften 8 (Gymnasium) Naturwissenschaften 9 (Gymnasium) Naturwissenschaften 10 (Gymnasium) Naturwissenschaften 11 (Gymnasium) Naturwissenschaften 12 (Gymnasium) Naturwissenschaften 13 (Gymnasium)	Naturwissenschaften 5 (Gymnasium) Naturwissenschaften 6 (Gymnasium) Naturwissenschaften 7 (Gymnasium) Naturwissenschaften 8 (Gymnasium) Naturwissenschaften 9 (Gymnasium) Naturwissenschaften 10 (Gymnasium) Naturwissenschaften 11 (Gymnasium) Naturwissenschaften 12 (Gymnasium) Naturwissenschaften 13 (Gymnasium)	Naturwissenschaften 5 (Gymnasium) Naturwissenschaften 6 (Gymnasium) Naturwissenschaften 7 (Gymnasium) Naturwissenschaften 8 (Gymnasium) Naturwissenschaften 9 (Gymnasium) Naturwissenschaften 10 (Gymnasium) Naturwissenschaften 11 (Gymnasium) Naturwissenschaften 12 (Gymnasium) Naturwissenschaften 13 (Gymnasium)
judicium, erörterte in dem ersten Theile unter seinen Argumenten auch die quatuor causae, in dem zweiten Theil handelt Ramus von Axiomen, Syllogismen und der Methode. Es giebt nach R. nur Eine Methode, vom Generellen zum Speciellen. Ein warmer Anhänger von P. Ramus war der Basler Professor Joh. Thom. Freig [24]), der selbst sagt: Mihi in philosophia multos annos coeco Ramus instar Christi fuit [25]). In seinem Pandektencompendium nach der Legalordnung oder Paratitla seu synopsis pandectarum juris civilis [26]), die später als Wesenbeck's Lehrbuch erschienen, giebt er, wenn er eine Materie etwas ausführlicher erörtert, wie Dig. IV. 4. und V. 1., die species, die causae, effectus, adjuncta und dissentanea an, und berücksichtigt dabei die causa efficiens, materialis, finalis und formalis, aber man kann diesen enthusiastischen Schüler des Ramus nicht nach den vier causae charakterisiren.

Matth. Wesenbeck, dessen Leben Gundling erzählt [27]), hat in Deutschland die Methode, nach Legalcompendien, das Recht zu lehren und zu lernen, wesentlich gefördert, er schrieb, um die rechte Methode zu zeigen, eine Methodologie des Rechts, die freilich später erschien, als seine Anwendung dieser Methode [28]). Nach dem Institutionenstudium muss, nach Wesenbeck's Ansicht, zuerst eine Uebersicht der Pandekten, des Codex und der Decretalen nach der Titelordnung mit Berücksichtigung der generellen und singularen Titel gegeben werden. Bei jedem Titel sind Definitionen und Eintheilungen voranzuschicken, die causae der Materie jedes Titels, so wie die effectus, adjuncta, affinia, contraria, die actiones mit ihren cognata, adjacentia und exceptiones sind zu erörtern. Nach einer solchen Titelübersicht muss man sich mit den einzelnen leges und constitutiones, so weit sie noch praktische Gültigkeit haben, beschäftigen. Die Hauptschrift Wesenbeck's, an welche sich längere Zeit bis Lauterbach das juristische Studium in Deutschland anschloss, worüber Mehrere, Bachov, Hahn, Brunnemann Noten und Commentare schrieben, sind seine paratitla oder sein commentarius in pand. et codicem. Er hat darin geleistet, was er in seiner Methodologie als Haupterforderniss für ein einfacheres Rechtstudium aufstellte, eine geord-

---

24) J. Th. Freigius vita Rami steht vor seiner Ausgabe von P. Rami praelectiones in ciceronis oratt. octo consulares, Basileae 1580. 4. Freig gab auch die opera Audomari Talaei, des Hauptfreundes und Genossen von Ramus, heraus, Basil. 1576, 4, und schrieb Basileae 1582 de logica jureconsultorum.

25) in vita P. Rami, p. 45.

26) Basil. 1583. 8.

27) l. c.

28) Prolegomena jurisprudentiae de finibus et ratione studiorum librisque juris. Lipsiae 1584, 1585. 8. Seine oeconomia juris, eine Uebersicht des Römischen, des Lehn- und canonischen Rechts, erschien 1571 und wieder 1579, seine paratitla werden schon 1567 erschienen sein, später sind sie unter dem Titel commentarius in pandectas et cod. mehrmals gedruckt. Seine Methode findet sich auch in seinen nach seinem Tode gedruckten Commentarii in tit. cod. de pactis et de fide instrumentorum. Witebergae 1594. 8.

Digitized by Google

nete Uebersicht des Rechtsmaterials, welches in den einzelnen Titeln regelmässig nach dem erwähnten Schema erörtert wird.

Wesenbeck's Methode, die man wohl mit Unrecht auf P. Ramus zurück zu führen suchte, und für die er sich nicht auf Ramus beruft, verlor in ihrer Form bald ihr Ansehen, wenn auch sein genanntes Lehrbuch längere Zeit in grosser Achtung stand und oft gedruckt wurde. Später hat die Wolf'sche Philosophie einigen formellen Einfluss auf die Behandlung der Jurisprudenz gehabt, was Wolf selbst zu fördern sich bemühte, indem er an Beispielen zu zeigen suchte, wie seine demonstrative Methode die Erklärung des Römischen Rechts fördere, aber er fand wenige Nachfolger.

Digitized by Google

Zur Feier des Geburtstages Seiner Majestät des Königs FREDERIK'S VII., welche am 6. October 1855 um 12 Uhr in dem grossen academischen Hörsaale mit einer lateinischen Rede des Professors der Beredtsamkeit, Dr. G. Curtius, begangen werden wird, laden Rector und Consistorium der hiesigen Christian-Albrechts-Universität hiemit geziemend ein den hochgeehrten Curator der Universität, die hohen Königl. Militär- und Civilbehörden, die hochverehrlichen Stadtbehörden, die hochwürdige Geistlichkeit, die geehrten Lehrer der Gelehrtenschule, alle Angehörige unserer Universität, sowie sämmtliche Bewohner der Stadt und alle Freunde des Vaterlandes.

Kiel, den 24. September 1855.

Digitized by

1855. VI. 2.

ORATIO

QUA

IN SOLLEMNIBUS REGIS AUGUSTISSIMI ET SERENISSIMI

FRIDERICI VII

NATALICIIS

DIE VI MENSIS OCTOBRIS ANNI MDCCCLV

AB ACADEMIA CHRISTIANA ALBERTINA CELEBRATIS

AUCTORITATE SENATUS ACADEMICI

VOTA PUBLICA NUNCUPAVIT

GEORGIUS CURTIUS

PHILOSOPHIAE DOCTOR

PHILOLOGIAE ET ELOQUENTIAE PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

MDCCCLV.

Digitized by Google

CURATOR ILLUSTRISSIME,

RECTOR MAGNIFICE,

PROFESSORES, DOCTORES SPECTATISSIMI,

AUDITORES OMNIUM ORDINUM ORNATISSIMI, HUMANISSIMI.

Non casu hoc in plerisque terris institutum est, ut principis natalicia, quamquam ad omnes cives aeque pertinent, praecipue tamen in litterarum quae dicuntur universitatibus sollemni consessu atque oratione celebrarentur. Nam qui hoc lege sanxerunt ante omnia haud dubie id spectarunt, ut, cum omnes fere quae in Germania florent litterarum sedes principis alicujus liberalitate conditae sint, pie quotannis renovaretur memoria ejus, qui litterarum colendarum inter cives primus summusque auctor exstitit, simul autem gratiae referrentur hujus in regno successoribus, qui quae ab eo condita essent, sua benignitate conservarent atque augerent. Quare nostrum est laeto hoc die pro rege augustissimo ac serenissimo Friderico Septimo pia vota pronunciare, qui hanc Kilonensem academiam a Christiano Alberto duobus fere abhinc saeculis fundatam quanti ipse habeat, non modo suis nobis, quorum numquam obliviscemur, verbis dixit, sed etiam multis clementiae et benevolae hujus universitatis curae documentis probavit. Neque tamen haec una causa esse videtur, propter quam regis diem natalem hoc modo festum agimus, sed aliam praetereae credo in animo fuisse iis qui hunc inter nos morem constituerunt. Minime enim eos latuit, quantum respublica cum litteris necessitudinem haberet, eamque ob causam ut dux ille clarissimus qui universitatem condidit his terris aliquid deesse putavit, nisi litterarum lumine illustrarentur, ita principis natalicia noluerunt decore aliquo ex litteris petito carere. Quam ob rem non solet hac occasione in mera gratulatione subsisti, sed ipsarum litterarum certe aliquod libamentum proponi, quod festo hoc die haud indignum videatur. Profert igitur pro sua quisque studiorum ratione cui hoc dicendi munus obtigit ea, quae ab hoc sollemni conventu non prorsus abhorrere arbitretur.

Verum enim vero quo major in dies fit ambitus vel earum rerum, quae unius disciplinae finibus circumscribuntur, eo difficilius est dicendi materiam invenire tot

Digitized by Google

tamque diversi studii viris aptam. Itaque quaerenti mihi, viri amplissimi, qua de re apud vos hodie verba facerem, ejus ipsius quam modo indicavi difficultatis in mentem venit, quod nimis disparata atque sejuncta esse videntur varia literarum genera. Tanta enim profecto inter haec discrimina intercesserunt, ut cum haec Musarum domicilia universitates litterarum nominentur, re potius diversitas quaedam oborta sit, nec litterarum incremento salutaris et ab ipsa earum natura prorsus aliena. Nam ut tum cum multo minus ampla ab hominibus eruditis spatia perlustrarentur longe facilius fuerit, diversa litterarum genera mente complecti, quam his nostris diebus, quibus singulae artes totam hominis vitam requirunt, manet tamen semperque manebit unum inter omnes quicunque litteris operam navant vinculum. Omnibus enim hoc propositum est, ut aliis rebus neglectis id unum, quid in quaque re verum sit, investigent. Haec est ipsa litterarum et unitas et sanctitas, quae diversas vias euntes conjungit, haec efficit, ut litterarum sedes longe majoris in republica momenti sint quam quae ad vitae utilitatem vel commoditatem instituta sunt. Nam ut ecclesiae est pietatem erga deum et religionem in genere humano alere et conservare sic eorum qui in litterarum universitatibus artes bonas docent, adolescentium animos sacro veritatis amore imbuere eosque et doctrina et exemplo suo ita instituere, ut in sua quisque arte id unum sequatur quod verum ducat. Et quoniam nostro tempore multi inveniuntur, qui hanc litterarum studii sanctitatem vel parvi faciant vel impugnent, prorsus necesse est, omnes qui id quod dixi sibi proposuerunt communis quem sequuntur finis conscios factos fortiter iis resistere, qui aut propter ingenii tarditatem aut pejoribus etiam causis commoti nostrum veri investigandi studium repudient. Quod cum conjunctis viribus optime fieri possit, in tanta studiorum diversitate operae pretium est circumspicere, quomodo inter se cohaereant, quae confinia sint vel duobus vel pluribus communia. Ac fuit quondam tempus quo universae doctrinae theologia ita praefuit, ut omnes ducere et regere sibi posse videretur. Id vero, quamquam nostris diebus religionis in hominum animos vis reviguit, pauci tamen erunt qui restitutum cupiant, pauciores qui unquam restitui posse confidant. Insecuta est philosophia, quae diu adeo hominum animos in se convertit, ut suis argumentis plerasque disciplinas prorsus commutaret. Neque tamen eadem nunc est quae fuit decem lustris abhinc philosophorum auctoritas. Qui cum fines suos saepe transgressi nimium sibi sumpsissent, caelumque se et terram ratiocinando emetiri posse opinati essent, contra eos exstiterunt, qui nihil nisi quod oculis conspici vel auribus percipi posset pro vero haberent, totum vero philosophandi genus aspernarentur. At cum nulla prorsus disciplina eo studio carere possit, quod omnibus quodammodo viam monstret, tenebit philosophia eum locum, ut omnia praeparet, quid in suo cuique genere summum propositum sit ostendat itaque omnes disciplinas inter se connectat. Accedit historia, quae cum universam rerum memoriam complectatur, a quo litterarum genere prorsus aliena dici potest? Sed majoris etiam momenti est, quod quicunque litterarum studiis operam

Digitized by Google

daturi sunt eadem apud nos disciplina ad ea studia formari atque institui solent, quae quasi fundamentum habet litteras graecas atque latinas. Nam cum nihil fingi possit ad exercenda puerorum ingenia efficacius quam earum linguarum studium, quae plerisque uberiores, omnibus magis excultae sunt, nihil ad mores emolliendos aptius, nihil ad pulcri honestique sensum excitandum melius, quam qui generis humani magistri facti sunt eosdem nostrae juventuti servare, minime audiendi sunt ii, qui magis quid quotidianae vitae usus quam quid humanitatis ratio postulet, spectandum rati alias juventutis ad severiora studia praeparandae vias commendant. Manet igitur etiam hoc inter diversa litterarum genera vinculum quod communi illi fundamento superstructa sunt. Neque hoc parvi faciendum est, quod qui usquam terrarum ad doctrinae subtilioris laudem adspirant omnes latinae linguae sonos exaudiunt, omnes non pessimam eruditionis partem Romae atque Graeciae debent. Nunc vero, viri amplissimi, non id ago ut haec antiquitatis studia extollam, quae cum a summis omnium temporum viris saepissime praedicata sint, meis laudibus non indigent, sed aliud mihi proposui de quo pauca in medium proferrem.

Ex ipso enim antiquarum cum occidentis tum orientis linguarum studio nova quaedam orta est disciplina, quam nomine nec latino nec graeco linguisticam appellaverunt. Non dico eos qui philosophorum more in ipsam sermonis humani naturam inquirunt eamque qualis sit argumentationibus sibi assequi posse videntur — hi enim a vero saepissime aberrarunt — sed alia in his rebus inventa est via, tutior, nisi spes fallit, et facilior, ex quo innotuit vetustissima illa lingua, mirum in modum conformata, qua Indi sacra utuntur, Sanscrita, quae doctis qui primi eam exposuerunt Britannis jure visa est graecam latinamque linguam ubertate aequiparare ac fere superare. Brevi autem post Germanorum imprimis hominum acumine atque industria demonstratum est hac lingua accurate examinata nos ad communem fontem pervenire posse, ex quo inter Asiae gentes praeter Indos Persae, inter Europaeos et qui meridiem occuparunt Graeci et Itali, et qui septentrionales regiones Germani, Slavones, Celtae sermonem suum deduxerunt. Qua re inventa non modo eae quas commemoravi linguae multifariam illustratae sunt, sed luculento exemplo ostensum est, quo modo in omni hoc studio versandum sit. Boppium igitur, qui primus inter nos has vias munivit, statim insecutus est Jacobus Grimmius, qui cum ille tantam linguarum multitudinem summatim explicaret, minorem sed satis profecto magnum Germanicarum linguarum ambitum ita exploravit, ut primus omnium, qua ratione initia atque incrementa linguae alicujus investigari possent, monstraret. Simul Guilelmus Humboldtius latiora spatia perlustravit. Cum enim jam origo et natura earum linguarum perquisita esset, quae ceteras praeclara quadam indole superare videbantur, vir ille multiplici doctrina et ingenii summa quaeque appetentis vigore insignis ad interioris Asiae et Americae linguas se convertit, instructusque copia exemplorum eo usque inaudita docuit, quam immenso discrimine generis humani linguae inter se distarent et quam parum ipsam

Digitized by Google

sermonis naturam et vim cognituri in formulis illis ex paucarum linguarum studio deductis acquiescere possemus, quae viris doctis diu suffecerant, ipse autem de universa sermonis humani natura primus solidiora proposuit. Ita factum est, ut cum antea earum tantum gentium linguae quae cultu atque humanitate ceteras superent, accuratiore studio dignae visae sint, nunc ipsae propter se omnium gentium linguae tamquam ingenii humani documenta in suo quodque genere admirabile pervestigentur. Unde quantum lucis venerit ad generis humani primordia cognoscenda atque ad universam historiam, quisque sentit, qui quae nunc de populorum initiis statuuntur cum doctissimorum, qui hujus saeculi initio vixerunt, hominum opinionibus comparat.

Hoc igitur studium quale factum sit et quales fructus tulerit nunc omitto, verum — ut ad id quod mihi proposui redeam — quemadmodum aptum sit ad varios scientiae, ut ita dicam, orbes inter se conjungendos, paucis expositurus sum. Duo enim praecipue doctrinae genera sunt, quae majore in dies discrimine separantur, alterum historicum, in praeteritarum rerum cognitione occupatum, alterum physicum, naturae leges formasque perquirens. Habet autem ea quam descripsi linguarum pervestigatio cum utroque aliquid commune eamque ob causam, quia magnopere vidimus cavendum esse, ne varia doctrinae genera prorsus separentur, ne hoc quidem vinculum nobis parvi faciendum erit. Ac primum quidem multa sunt quae linguarum studium cum rerum naturalium scientia connectant. Nam si originem respicimus, nonne sermo hominibus natura datus est? Fuerunt sane, qui hoc negarent. Alii enim priscos homines institutione quadam a divino numine verba sua accepisse, alii contra consilio et arte utilitatis causa rebus nomina imposuisse et pacto quodam inter se inito de verborum usu statuisse arbitrati sunt. Sed quis hodie in priorum temporum tenebras relapsus talia crediderit? Immo ad eam quaestionem de qua magna inter antiquos philosophos controversia fuit, utrum verba natura an positione essent, quicunque nunc acrius de his rebus judicant uno omnes ore sic respondent, ut ex ipsa humani ingenii natura sermonis originem repetant. Jam vero cum disciplinae alicujus ratio ab eo in quo versetur argumento pendeat, ex naturali sermonis origine sequitur, ejus perscrutandi rationem a physicorum via non prorsus diversam esse posse. Ac profecto ut ii qui plantis cognoscendis operam dant, ante omnia id agunt, ut plantarum varia genera ac species accurate inter se distinguant, sic iis qui linguas pervestigant quaerendum est, quae inter se cognatae et ab una stirpe propagatae sint, stemmatis autem quibusdam linguarum constitutis rursus, quid vel diversae originis linguis commune sit explorant, eumque in modum ad paucas quasdam linguarum formas perveniunt quae quamquam ex antiquissimo inde tempore diversae fuerunt, tamen annon ad unam aliquam speciem reduci possint, dubitatur. Accedunt aliae similitudines. Nam ut ex naturalium rerum ita ex linguarum studio explosi sunt, qui nimia sapientiae confidentia ante res ipsas accurate cognitas difficillimas quaestiones soluturi erant. In

Digitized by Google

utroque argumento intellectum est prae ceteris ea acerrime observanda esse, quae oculis nostris proposita essent, a singulis demum quam diligentissime examinatis ad rerum causas eorumque quae essent rationem escendi posse. Itaque haud inepte nostrorum temporum grammaticos et cum anatomicis et cum chemicis qui vocantur compararunt. Irridebunt medici nostri eum qui cultro nunquam adhibito de corporis humani structura judicaturus est; non minus autem reprehendendus est qui ante verba in membra sua resecta in eorum originem inquirit. Chemicorum autem instar, qui toti in dissolvendo et conjungendo sunt, grammatici vel minutissimas vocabulorum partes resolvunt, earum vim ponderant et quomodo inter se conjungi possint, investigant. Multum porro et physici et grammatici comparatione utuntur, quae cum a nulla subtiliori doctrina abesse possit, incredibile est, quantum his quaestionibus commodi attulerit. Exstat igitur et grammatica et anatomia comparativa. Pervenire student in utroque genere a minimarum rerum diligentissimo studio ad leges quasdam generales, quae cum etiam in linguarum conformatione natura sint, nec fortuitae haberi possunt, nec a singulorum arbitrio pendent sed necessariae sunt.

Tam multa igitur cum sint communia iis qui linguarum humanarum variam indolem perscrutantur cum rerum naturalium curiosis, possit aliquis eo induci, ut haec studia non modo cognata, sed plane eadem esse dicat. Et exstiterunt profecto qui linguarum studium contenderent naturalium quaestionum particulam esse, a reliquis earum partibus reapse non diversam. Verum si quis de hominum sermone non aliter dicturus esset atque de boum mugitu vel de avium cantu, is haud dubie ipsam sermonis naturam non explicaret. A ceterorum enim animantium vocibus hominum sermo non gradu sed ipsa re differt. Eadem avium genera per innumerabilem annorum seriem eosdem sonos emittunt voluptatis, desiderii, luctus nuntios, hominum autem sermo, diversis temporibus diversus, habet et initia sua et incrementa et certo modo degenerat. Quare etiamsi ii qui linguas perscrutantur multa similiter instituunt atque rerum naturalium periti, tamen ex altera parte cum historicis artissime conjunguntur. Nam ut omnium rerum quae ad animum spectant, ita linguarum historia est, quae a rerum humanarum suorumque uniuscujusque gentis fatorum cognitione separari nequit. Itaque ut ab historico ante omnia hoc postulamus ut turbidos rivulos a puris fontibus distinguat et quoad fieri potest, unde cujusque rei notitia ad nos pervenerit, exploret, sic is qui in lingua aliqua pernoscenda versatur in eo qui nunc auditur verbi alicujus sono acquiescere non potest. Antiquiora tempora repetenda sunt, ex quorum dicendi usu quam accuratissime fieri potest quae ejus vocabuli apud unamquamque gentem antiquissima forma sit investigabit. Id autem qui fieri potest, nisi ita, ut litterarum formas sonosque, scriptorum auctoritates et discrimina, dialectorum differentias, poeticae et pedestris orationis, oratorum denique, historicorum, philosophorum diversam dicendi rationem respiciat? Ea omnia vel parvae vel nullius operae sunt in gentibus nullo vitae cultu insignibus, at in earum linguarum quibus praeclarissimae gentes usae

Digitized by Google

sunt studio, singularem disciplinam efficiunt, philologiam, quae haec conjunctim cognoscenda sibi proponit. Quamquam inveniuntur qui philologiam a linguarum propter se ipsas tractandarum studio prorsus separaturi sint. Aliud dicunt esse in linguae alicujus structuram inquirere, aliud orationis usum et varietatem cognoscere. In quo unum est quo maxime inniti posse videntur. Simile enim in linguis accidit atque in corporibus humanis. Corpora cultu atque humanitate nou majora nec robustiora fiunt, sed paulatim a pristino vigore declinant; linguae quo magis eae gentes quarum in usu sunt moribus, institutis, artibus excellunt, eo plus ab antiquissimi tomporis in singulis verbis proferendis sinceritate et gravitate sonique quodam pondere recedunt. Nihilo tamen minus magnum inter utramque rem discrimen intercedit. Corpora enim eorum qui nunc vivunt hominum concedat forsitan aliquis majorum nostrorum, quales Arminii et Marobodui temporibus fuere, corporibus nulla re praestare, sermonem autem nostrum si quis cum eo comparat, quo homines Germani nono vel decimo saeculo usi sunt, is sonos quidem fractos, ipsam autem linguae vim minime debilitatam inveniet. Nam cum non propterea loquamur, ut sonoras voces emittamus, secundum vetustas quasdam leges conformatas, sed ut mente concepta verbis significentur, linguae alicujus praestantia non ex singularum vocum sono aut pleniori aut exiliori, neque ex formis magis aut minus conservatis aestimanda est, sed prout vario hominum ad vitam atque ad bonas artes usui inservit. Errant igitur qui linguas temporum decursu tantum degenerasse opinentur non minus, quam ii qui apud gentes humanitatis expertes nihil nisi rudimenta quaedam verborum inveniri putant. Linguarum enim ratio haec est, ut temporibus ultra omnem hominum memoriam remotis suam quaeque in universum formam accipiat, quae quamquam secundum gentium naturas magis aut minus perfecta est, semper tamen non ad balbutiendum, sed ad loquendum et ad ea quae ad gentis alicujus sensum pervenerunt designanda sufficit. Posterioris temporis est ex iis quae antiquitus traditae sunt radicibus et stirpibus magnam verborum segetem propagare, eorum significatum confirmare atque excolere, similia distinguere, certum dicendi usum cultiori tempori accommodatum omnibus quasi legem imponere, a priorum temporum licentia diversam. Quae omnia quantopere linguae alicujus totam rationem immutare possint, documento est lingua latina, quae ab Ennio inde usque ad Augusti tempora non sine singulorum hominum Graecis litteris excultorum ingenio atque industria ad certam aliquam normam directa est constantiae ergo et elegantiae admirabilem. Neque minus ex ejus qua nos utimur linguae fatis intellegitur, quid etiam ad hanc rem ingenii praestantia animorumque intentio possit. Quis enim nescit, Lutheri praeclaro exemplo factum esse, ut ex superioris Germaniae domicilio ad haec usque littora perveniret, eumque qui inde a Lessingio fuit litterarum inter nostrates florem multum contribuisse, ut linguam scilicet unam haberemus, eamque ad diversa dicendi genera mirum in modum aptam. Quare quamquam in linguarum studio hoc primum et summum est, ut principia explorentur, quibus neglectis

Digitized by Google

reliqua fundamento carent, tamen qui in his subsistere neque a litterarum sonis verborumque formis ad significationis et usus varietatem transire vellet, is dimidiam operis partem praetermitteret. Ad posteriorum autem temporum copiam non est accessio, nisi per ea, quae historico et philologo cum grammatico communia sunt, litterarum historia, morum institutorumque, vitae publicae et privatae ratio.

Vidimus ea de quibus dicimus studia in confiniis quodammodo posita esse duorum, quae maxime sibi opponi viderentur, generum, historici atque physici. Eadem vero ne a philosophia quidem, communi illa omnis scientiae matre, aliena sunt. Nam qui animus hominis qualis sit sibi quaerendum proposuit num negligere potest, qualem ipsi homines animum cogitaverint, vel quomodo ad animi notionem omnino pervenerint? Id vero ex linguarum, omni philosophia antiquiorum, studio discimus. Ex verborum enim origine et primitiva significatione intellegitur, quid homines de sua ipsorum natura non tam cogitaverint, quam sui sibi non prorsus conscii senserint, quomodo ab iis quae sub sensus cadunt designandis paulatim ad notiones a sensu remotas transierint eaque verba repererint, quorum multa posteriori aevo, propria vi aboleta, notae tantum rerum et quasi compendia significandi facta sunt. Inest igitur omnino in verbis popularis quaedam, ut ita dicam, sapientia, quae ad notiones verbis designatas recte intellegendas magni momenti est. Logica autem a grammatica numquam prorsus separari potuit; huic disciplinae syntaxis origines respiciendae sunt. Tantum enim abest ut, hominum generi ab initio fuerint illae sententias connectendi regulae, quas posteriora tempora sequuntur, ut has ex simplicissimis dicendi formis ortas hominumque generi paulatim cogitandi simul et dicendi leges inventas esse probari possit. Quis autem negaverit ad illas leges cognoscendas multum interesse, quomodo ortae et quibus ex initiis deductae sint?

Haec vero in qua versamur quaestio non tantum ad ea litterarum studia pertinet, quorum cura academiis tradita est, sed etiam aliquo modo ad rem illam gravissimam, cujus jam antea mentionem injeci. Nam qui negant in gymnasiis nostris antiquarum litterarum principatum servandum esse, cum aliis argumentis vanis atque infirmis utuntur, tum hoc, quod pueros a nostri temporis studiis in antiquitatem ab his remotissimam ablegari dicant. In quo quidem quantopere fallantur, ea de qua dicimus disciplina nobis potest exemplo esse. Quamquam enim novissimis temporibus inventa atque exculta est, tamen facillime cum lingua latina atque graeca in scholis docenda conjungitur. Non dico Boppii vel Grimmii libros puerorum in subselliis volutandos esse; id enim si fieret, vel si nimii omnino essent praeceptores in hoc studio, vereor, ne accuratae veterum linguarum scientiae in locum levis recentioris grammaticae primis labiis degustatae notitia succederet a severa doctrina prorsus aliena — sed poterunt ii quibus grammaticae docendae munus injunctum est, hanc artem ita tradere, ut pueri etiam in sonorum litterarumque mutatione, in nominum et verborum declinatione, in tota denique sermonis conformatione leges quasdam et analogias valere

Digitized by Google

intellegant ac vel minutiora his in rebus a casus arbitrio exclusa eruditorum hominum studio digna esse quodammodo persentiscant. Quapropter ab hoc studio fructus exspectari possunt iis similes, quos multi ex naturalium tantum rerum scientia proventuros existimant. Haec enim quam multa inter se communia habeant, jam demonstratum est.

Verum satis jam diu, viri amplissimi, vobis commoratus esse videbor in argumento, quod vereor, ne multi vestrum ad festum hunc diem parum aptum, immo jejunum ac nimis tenue habeant. At cum saepe ex hoc loco audita sint, quae cum vita publica cohaererent, nostrorum, si quid video, temporum ratio ea est, ut omni nunc latius vagandi studio omisso in nostro nos orbe contineamus. Quem ne quis nimis artum vel homine ingenuo indignum existimaverit. Satis enim multi nunc ubique fere terrarum sunt, qui cum multa aliter atque speraverant evenerint, neglecto jam ac fere contempto omni honestiori studio in lucro faciendo atque in cute curanda unicam hominum salutem ponant. Alii contra ab una pietate atque a religionis quodam rigore omnia exspectant. Ad quae nisi accedit humanitas, quae sine litterarum flore nulla est, ad morum quandam ferocitatem deferemur, qualis mediis illis temporibus fuit, quae nonnullis nunc admirabilia videntur. Ita vero ab ea quam nobis proposueramus quaestione cum ad universam temporum nostrorum rationem deducti simus, possumus eo unde exorsi sumus, reverti. Nam quo minus saecula nostra litterarum lumine carere possunt, eo magis exoptandum est, ut diu nobis liceat in hac nostra academia sentiendi et docendi libertate, adolescentium undique frequentia frui, atque eo magis nobis deus implorandus est, ut regem augustissimum atque serenissimum, Fridericum Septimum, summa sua auctoritate studia nostra protegentem, diu salvum atque incolumem conservet. — Dixi.

Digitized by Google

1855. VII.
MEDIC. I.

DE

LAPAROTOMIAE INDICATIONIBUS AGITUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE IMPETRANDIS.

SCRIPSIT

JACOBUS BRIX

BRUNSHOLMENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

1855.

Digitized by Google

Imprimatur.

C. C. Th. Litzmann,

h. t. Dec.

Digitized by Google

De laparotomia ejusque indicationibus agere, operae pretium mihi esse videtur, quum praesertim novissimis temporibus hac in urbe casus occurrerit, quo medicus quidam exterus leviori et temerario animo certe haud justis ex indicationibus operationem illam perfecerit.

Laparotomia (a λαπάρα, molli lateralis abdominis parte et τέμνω, secare) incisio abdominis aut per se ipsa operationem constituit, aut plerumque pars prima operationis etiam majoris est. Quam inde ab antiquisissimis jam temporibus perfectam esse, ex compluribus exemplis videmus. *Athenaeus* enim enarrat, *Xanthum* memoriae prodidisse, Andramitem, Lydorum regem, feminas, quibus ennuchorum instar uteretur, castravisse [1]). Et de Gyge idem refert *Suidas*. Etiam Aegyptorum moris fuisse, ut mulieribus testes exscinderent, a *Strabone* [2]) narratur. Quos Creophagi, gens Arabica, imitati esse dicuntur. In usum therapeuticum autem primus *Praxagoras* (anno trecentesimo quadragesimo primo a. Chr. n.), et quidem in ileo, laparotomiam adhibuisse videtur, ut tradit *Caelius Aurelianus* [3]). Quamquam nonnulli scriptores (*Cliston* et *Le Clerc*) hunc locum ad herniotomiam factam referunt. Neque deinde operationis nostrae vestigia reperimus — tantum illa timorem videtur attulisse medicis —, nisi saeculo quindecimo p. Chr. in sectione caesarea. Quae quamquam jam in fabulari Graecorum historia (ut in Dionyso et Asclepio nato) significatur, atque etiam, ut in mortuis gravidis fieret, a Numa Pompilio lege regia imperatum est — ut etiam viri nonnulli celeberrimi a *Plinio* hoc modo nati enumerentur —, tamen in viris non ante tempus, quod commemoravimus, factam esse, satis constare videtur. Sequuntur dein casus laparotomiae graviditatis extrauterinae caussa, a *Mathia Cornace* primo perfectae (a. 1549) [4]); postea laparotomia in aegrotis, in quibus corpora aliena per oesophagum in tractum pervenerant, a *Schwabe* primo instituta (a. 1635) [5]); nec non ad retrahenda in cavum abdominis intestina in hernia incarcerata, a *Smaltzio* primo perfecta [6]); dein ad instituendum anum artificialem, a *Dubois* primo (a. 1783) [7]) adhibita.

1) Dipnosophia, lib. I, pag. 517. 2) Geograph. pag. 531. 3) De acut. morb. lib. III, cap. 17. 4) M. Donati de hist. med. mirab. lib. IV. c. XXI. 5) Baldingers Magaz. Bd. XIII. Hft. I. 6) Decker, exercit. pract. c. VI, p. 449. 7) Boyer über chir. Krankh. Bd. VIII, p. 410.

Digitized by Google

Omnino autem praeter caussas, quas jam commemoravi, laporatomiae perficiendae occasionem dederunt hae fere affectiones: Degenerationes ovarii diversi generis; tumores uteri, quamquam rarissime; varia genera graviditatis extrauterinae; foetus in cavum abdominis egressus per ruptum uterum vel vaginam; in retroversione vel antroversione uteri nonnisi proposita est laparotomia a *La Chaïx*; corpora aliena in cavo peritonei sita, aut extrinsecus, ut sclopetorum tela, aut ex visceribus eo perlata, ut faeces, calculi biliosi, sanguis extravasatus et conglomeratus; dein omnes caussae, quae intestina impervia reddunt, strictura organicae inferioris partis tractus, faeces induratae, incarcerationes internae, atresia ani, colon deficiens, intussusceptio, circumvolutio intestinorum; strictura oesophagi, in qua *Sédillot* artificialem tractus introitum laparo-gastrotomia facienda instituere periclitatus est[1]); hydrops saccatus, quem *Le Dran* primus laparotomia instituenda radicaliter sanare conatus est eo, quod externum vulnus apertum teneret[2]); retroversio processus xiphoidei, quam secuta sunt inspirationis impedimenta et vomitus pertinacissimus: in quo casu *Billard* laparotomiam fecit prospero eventu processum xiphoideum in rectum situm redigens[3]); aneurysma arteriae iliacae communis, in quo laparotomia facta est ad ligandam aortam abdominalem ab *A. Cooper* primo[4]). Hae fere sunt caüssae, quas reperi laparatomiae occasionem praebuisse.

Jam si, antequam nosmetipsi ad statuendas laparotomiae indicationes aggredimur, respicimus quot et quanta sint pericula ex operatione nostra manantia, et qui fuerint exitus, semper illam esse violationem gravissimi momenti reperimus, quam tantummodo perficias et absoluta necessitudine coactus, et justa spe impletus, fore ut operatione ipsa feliciter peracta revera magnum commodum aegroto afferas. Quamquam difficilius est, accurate dijudicare, quanti sit momenti ipsa laporatomia, quae, nulla alia operatione addita, aut prorsus non saepe perfecta, aut non satis memoriae tradita sit. At sunt hic respiciendi eventus e penetrantibus abdominis vulneribus manantes, semper fere tristissimi. Quod satis inter omnes constat; ita ut etiam apud Japanenses summi magistratus imperatoris ira collecta, quum certam sibi mortem adducere velint, abdomen incidendo aperiant. Proximae autem mortis caussae variae ex operatione nostra oriuntur. Inter gravissima pericula semper est habita violatio peritonei aëri atmosphaerico expositi, quod una cum aliis irritamentis alienis, ex manibus chirurgi, instrumentis etc. semper fere inflammationem adducit. Accedit, quod saepissime jam abdominis viscera, imprimis peritoneum, praegressis morbis ad contrahendam inflammationem aptissima facta sunt. Sin vero intra cavum peritonei alia operatio per longius temporis spatium perficitur, valida inflammationis caussa saepe additur extravasato vel sanguine, vel contentis intestinorum etc. Sed etiam alia in

1) Lettre addressée à M. C. Presid. de l'Acad. des scienc. 1849. 2) Mémoir. de l'Acad. de Chir. Vol. II. p. 442. 3) Journ. de Méd. de M. Sédillot. tom. 22. pag. 263. 4) Rust Handb. d. Chir. B. II p. 73.

Digitized by Google

aperiendo peritonei cavo est caussa mortis, non in inflammatione posita. Haud raro enim videmus brevi spatio post apertum abdomen vel etiam inter ipsam operationem aegrotos celerrime collabi; cujus rei caussam penitiorem nondum satis cognovimus; opinamur autem, esse aëris atmosphaerici in nervos peritonei periphaericos vim profligantem. Qui casus saepissime in iis, qui aetate provecti sunt, occurrit. Magnam ad laparotomiam saepe affert difficultatem et periculum alia res, quae etiam summa adhibita diligentia non semper evitari potest, prolapsus intestinorum, et repositu difficilium, et eo magis ad inflammationem vel ad gangraenam contrahendam idoneorum. Interdum maximum affert periculum vel etiam mortem haemorhagia, modo e tegmentis abdominis, modo ex internis partibus, eo magis extimescenda, quod valida remedia desiderantur, quibus profluvivum in abdominis cavum, flaccidis parietibus circumdatum, cohiberi possit. Fieri quoque potest, ut pars intestinorum inter labia vulneris, etiam sutura jam conjuncta, incarceretur. Aut remanent post operationem pertinacia et acerbissima mala, adhaesiones viscerum, stricturae intestinorum, fistula stercoralis; vel vulneris cicatrice non satis confirmata herniae abdominales oriuntur.

Quibus tam multis et tantis periculis e laparotomia manantibus jam facile est intellectu, eventus operationum, quae memoriae traditae sint, maxima e parte infaustos fuisse. Quamquam certe magna pars operationum, propter ipsum infortunatum exitum haud enunciata est. Quod in laparotomia etiam saepius, quam in aliis gravibus operationibus factum esse puto eo, quod errore diagnoseos in abdominis morbis saepissime peccatum est, ut manifeste docet historia exstirpationis ovarii. Neque illi errores a dijudicando operationis periculo prorsus abstrahantur velim, quasi ad id re vera non pertinentes. Certe enim secundum cerebri morbos affectiones abdominis sunt eae, quae facillime decipiunt et parum intelliguntur; cujus rei argumenta duco et e natura morborum ipsorum, (quippe quum in profundo jacentes validissimis inquisitionis adjumentis nostri temporis difficiliorem fere aditum praebeant), et e rebus factis et auctoritatibus; sunt enim inter eos, qui erraverunt in cognoscendis illis morbis, celeberrimi medici, ut docet ex aliis exemplum illustrissimi *Dieffenbach*, qui ipse profitetur, se aliquando anteriorem ventriculi parietem, usque ad crassitudinem unius digiti amplificatum et induratum, pro tumore sinistri ovarii habuisse[1]). Et in casibus exstirpationis ovarii a viro illustrissimo, *Kiwisch*[2]) collatis, videmus sexies et octagies operationem perfectam esse; bis et vicies non potuisse perfici; quaterdecies errorem diagnoseos factum esse; omnino 64 casus infaustum, 58 felicem exitum habuisse. Ad quod recte admonet Kiwisch, casus infausti exitus nequaquam esse omnes in medium prolatos. Quodsi idem in sectionibus caesareis a *Kayser*[3]) collectis respicimus, certe hic vel infaustiorem exitum reperimus. Inter 341 enim operationes collatas 214 fuerunt infelicis, 127 felicis exitus. Meliorem exitum praebent 13 casus

1) Rust's Magazin, Bd. XXV, Hft. 2, S. 369. 2) Klin. Vortr. II, p. 158. 3) De eventu sect. Caesar. Havn. 1841.

Digitized by Google

laparotomiae a *Stachelhausen*[1]) collati, propter graviditatem extrauterinam factae; 9 enim matres sanatae sunt; quamquam, praeter generalem illarum comparationum incertitudinem jam commemoratam et numerum minorem, hic etiam illud respiciendum est, quod in nonnullis casibus natura, jam suppuratione ad eliminandas foetus partes adnitens, solum adjuvata est leviore operatione. Quid quod idem auctor 7 casus laparotomiae propter uterum in partu ruptum factae enarrat, qui omnes bene exierunt. Nec non 8 casus laparogastro- vel enterotomiae propter corpora aliena perfectae, omnes prosperi eventus, idem auctor affert. At magna eorum pars e temporibus vetustioribus, ab historiae fide haud raro degredientibus, depromta est. E 26 casibus laparotomiae in infantibus factae ad instituendum anum artificialem traditis ab illustrissimo *Baum* in praelectionibus, 17 infauste abierunt. E 12 casibus ejusdem operationis, et in adultis et in infantibus factae, quos *Stachelhausen* contulit, 7 haud exoptato evenierunt. Ceteri casus laparotomiae in medium prolati, ut ad ligandam aortam, ad curandum volvulum aut intussusceptionem, omnes fere tristissimum habuerunt exitum.

Cum his tantis periculis laporatomiae conferendum est etiam illud, quod persaepe ipsa naturae vis, nulla fere arte interposita, aliena in cavo peritonei sita, sive sint in eo orta seu extrinsecus eo perlata, innoxia reddit, aut adhaesiva inflammatione viscerum proxime sitorum proprio indumento ea circumdans, aut suppuratione eliminans. Quare equidem quam arctissime circumscribam ambitum indicationum ad laparotomiam propositarum. Primum maxime prodesse potest laparotomia ad eximendum ex abdomine foetum in nonnullis casibus graviditatis extrauterinae atque rupturae vel uteri vel vaginae, et in certis quibusdam casibus pelvis angustioris. Coërcenda tamen est etiam haec indicatio justis legibus, quales proponit *Naegele* in compendio suo. Dein dubitari non potest, quin in multis casibus tumorum ovariorum laparotomia et exstirpatio tumoris applicanda sit. Etsi, quam sit difficilis, vel potius impossibilis multis in casibus accuratior diagnosis, iterum demonstravit casus tristis eventus, qui hic proxime occurrit, in quo omnia ad operationem urgere videbantur. Alios peritonealis cavi tumores rarrissime credo indicaturos esse laparotomiam, inter quos potissimum fortasse sacci echinococcorum. Felices, quos supra commemoravi, casus remotorum e tractu corporum alienorum, saepius in hunc usum laparotomiam postulare videntur. Quod ut re vera fiat, tantum abest, ut etiam *Delpech*[2]) operationem illam gastro- vel enterotomiae prorsus rejecit. Quem quamquam sine exceptione non imiter, certe raro tantum illam operationem adhibendam puto, quia plerumque tum demum de laparotomia cogitari potest, quum inflammatio jam graviora symptomata reddit, et quia locum corporis alieni accuratius indicare difficillimum est. Neque credo in volvulo, vel in incarceratione interna, vel in intussusceptione saepius esse indicatam laparotomiam, propter easdem caussas, quas modo attuli. In intus-

[1]) De laparotomia. Bonn. 1837. 2) Précis élementaire. Vol. II. p. 67 ff.

Digitized by Google

susceptione autem accedit etiam illud, quod operatione longius procrastinata talis est conditio intestinorum, qualis non reparari possit. Quis enim intussusceptionem non prorsus recentem etiam in cadavere sine gravissima partium laesione dissolvere potuerit? Ad instituendum anum artificialem ut adhibeatur laparotomia, certe nonnumquam vitali, quem vocant, indicatione postulatur, si nullo alio modo tractus pervius fieri potest. Ad eximendum e cavo abdominis extravasatum sanguinem filius *Joannis L. Petit* et postea *Larrey* laparotomiam semel fecerunt; quorum casuum qui fuerint exitus, non satis cognovi. Quamquam certe in desperato casu, quum ingens in cavum abdominis sanguinis copia effusa et coagulata sit, quam neque naturae vi imbibitum, neque paracentesi remotum iri sperari possit, — in tali casu laparotomia adhibenda est. At prorsus operationem illam rejiciendam esse puto ad erigendum retroversum uterum, qui si externa manuum applicatione non potuit reponi, certe adhaesionibus ita fixus est, ut etiam per magnam abdominis aperturam difficillimum sit, sub levatam intestinorum copiam ad uterum pervenire eumque dissolvere et erigere. Qualis operationis qui sit exitus, vix dubium erit. Neque hodie admittenda est laparotomia ad ligandam aortam abdominalem, neque ad curandum hydropem saccatum, neque ad retrahenda in abdomen intestina in hernia incarcerata. Ceterum respiciendum est, omnino de hac operatione generales tantum propositas esse leges; nam in gravissima quaque operatione maxime semper, quae sit propria aegroti cujusque natura atque conditio, cogitandum est.

Jam ut omittam ipsius operationis explicationem, quum omnino manuum actiones verbis demonstrare et difficile et saepe inane esse arbitrer, statim ad enarrandam historiam morbi progrediar, quae ad dissertationem nostram pertinere videtur.

Willich, 60 annos natus, mense Martio hujus anni in polyclinicam curam nosocomii academici hujus urbis receptus est. Quo tempore non fere conquerebatur, nisi pectoris affectiones, spiritum angustiorem atque tussin, quibus praecipue nocte vexaretur. Quarum caussa levis tantum emphysematis gradus repertus est; neque quidquam exspuebatur. Neque ullam digestionis organa perturbationem praebebant. At fuit animi habitus morosus et quasi hypochondricus. Pectoris affectio remediis anticatarrhalibus una cum narcoticis tractabatur; unde haud magnum commodum percepit. Majo mense morbo correptus, ut professus est, ex offensione quadam, qua irritatus esset, et vomitu bilioso affectus est; mox etiam Icterus subsecutus est. Neque tamen illo tempore in regione hepatis dolores animadversi sunt. Medicamentis catharticis refrigerantibus paucos per dies adhibitis Icterus abiit, excepto levi quodam faciei colore icterico. Nonnullas demum hebdomades post aegrotus primum vehementissimos dolores in regione costarum spuriarum dextri lateris et scrobiculi cordis conquestus est. Sinister hepatis lobus in sinistram partem aliquantum prominebat, et, ut etiam hypochondrium dextrum, sub pressura dolebat. Applicatis cucurbitulis dolores mitigati sunt; neque tamen prorsus decesserunt. Accessit mox etiam oedema crurum, quod

Digitized by Google

adhibitis involutionibus et medicamentis diureticis paullatim minuebatur. Aliquod post tempus doloreshypochondrii dextri ex sperata cum vehementia iterum se praebuerunt. Illo demum tempore quaestio accurata duos digitos transversos infra marginem costarum prope exteriorem musculi recti abdominis marginem ostendit tumorem, haud prominentem, oblongum, satis durum, sub pressura dolentem, immobilem, magnitudine trium fere digitorum utroque diametro, qui cum abdominis integumentis non cohaerebat, in profundum autem abdominis sese extendere videbatur. Quem tumorem extensam esse fellis vesicam tunc quidem vero proximum judicatum est. Mox aegrotus a cura polyclinici instituti se removens, Hamburgum profectus, operationem chirurgicam subiit ultimo mense Julio. Aegrotus postea professus est, tumorem albicantem, magnitudine ovi columbini ex abdomine sibi ablatum esse, et quidem, ut sibi narratum sit, e superficie hepatis. Utcumque res se habet, hoc constat, laparotomiam factam esse. Aegrotus ipse vulnus operationis initio bene consanascere visum esse dixit, affirmatumque sibi, jam a toto malo sese liberatum; postea autem in pejus conditionen mutatam esse. Nihilo minus medicus ei permisit, ut Kiliam domum proficisceretur, tribus hebdomadibus post perfectam operationem. Ubi illo ipso die, quo advenerat, miser ille arcessivit medicum, qui in dextra abdominis parte incisuram magna ex parte jam cicatrice obductam conspexit; tota enim quominus coalesceret, obstitit filum ligaturae adhuc inhaerens. Circa vulnus fuerunt recentes hirudinum morsus et abdomen percussum in hac regione obtusum sonum praebuit, qui ad inferiorem partem usque ad ligamentum Ponpartii sese extendit. Pars abdominis, quam significavimus, pressa vehementer doluit. Neque defuerunt generalia peritonitidis signa. Mox pars labiorum vulneris jam conjuncta sese aperuit; regio iliaca dextra si ad vulnus versus premebatur, satis magna copia puris mali aspectus profluebat. Eodem tempore diarrhoea vehemens, quae nullo remedio potuit cohiberi, orta est; excreta pessimum odorem praebebant et copiam sanguinis continebant haud ita magnam. Tamen aptis remediis adhibitis peritonitis circumcripta minuebatur; totum fere vulnus cicatrice occlusum est, quamquam ligaturae filum in profundo adhaerens remansit. Tum autem in regione incisurae tumor sese praebuit eo magis distincte, quo minor facta est exsudati in tegmentis et in cavo abdominis copia. Vehementissimi dolores una cum profusa diarrhoea omnem somnum aegroto eripiebant, qui celeriter labens die VI mensis Octobris e vita decessit.

Quum et morbus et tractandi modus summam omnium exspectationem et studium concitassent, accuratissima cadaveris inquisitio facta est, hora vicesima octava post mortem. Ex repertis tamen, ne longus sim, ea tantum, quae vel gravioris momenti sunt vel ad nostram rem aperte spectant, afferam.

Cavum cranii et cerebrum non ostendit ulla memoratu digna. Pulmones pallidi, obtusis marginibus, aperto pectoris cavo parum collabentes, totum fere obtegentes pericardium, emphysematis imaginem praebent; cellulae aëreae nudis oculis conspiciuntur. In apice pulmonis dextri caverna sinuosa magnitudine ovi columbini

Digitized by Google

deprehenditur, cujus parietes secreto inspissato et puriformi obtecti sunt; in propinquitate singuli tuberculorum noduli depositi sunt. Larynx et ductus aëriferi aliquantum sunt dilatati. Membrana pituitosa pharyngis et oesophagi, valde rubefacta, ulcera aphthosa haud profunda ostendit. Endocardium nonnullos locos praebet turbidiores. Abdomen collapsum, excepto tumore in dextra parte sito, cicatrices ostendit cucurbitulorum et morsuum hirudinum. In dextra parte tegmentorum abdominis intervallo duorum digitorum a linea alba in eademque cum ea directione procurrens cicatrix linearis conspicitur, ab altitudine umbilici usque ad aequam cum spina oss. il. ant. sup. lineam sese extendens. In media cicatrice crusta adhuc remansit, filum ligaturae nondum solutum continens. Aperto cavo abdominis tegmentisque reflexis exadversum cicatricem externam funiculus conspicitur latitudine duorum fere digitorum, partim e pseudoligamentis ortus, majore e parte ex omento majore, inflammatione adhaesiva cum tegmentis abdominis conjuncto. Filum ligaturae usque ad secundam partem tertiam crassitudinis tegmentorum abdominis intus procurrit. Quod circuitu duorum digitorum compluribus duris nodis circumdatur, usque ad magnitudinem nucis procedentibus, in tegmentis abdominis sitis, qui persecati, singularem carcinomatis aspectum praebent. Nec non in ea, quae cum tegmentis abdominis coaluit, parte omenti noduli majores ejusdem generis conspiciuntur. Postquam intervallo unius digiti a tegmentis abdominis funiculus persecatus est, reperitur cicatrix peritonei linearis prorsus exadversum cicatricem externam sita, in quam funiculus intrusus est et coaluit. Sed adversus eundem locum omentum majus etiam cum aliis tumoribus a tergo prominentibus coaluit, qui carcinomata retroperitonealia esse reperiuntur. Necnon in eodem loco cum magno glomere conjunctum est, in quo intestinum tenue, colon ascendens et duodenum inter se coaluerunt. Cujus glomeris anterior pars aperturam ostendit, marginibus laceratis circumdatam, per funiculum cum vulnere externo conjunctam. Quae apertura ducit in cavum, inter varia intestina et carcinomatis nodos situm, sordida et carcinomatosa sanie atque liquidis faecibus impletum. In quod insertus digitus pervenit in quattuor diversas partes variorum intestinorum, hoc cavo inter se conjunctorum, in superiorem et inferiorem coli ascendentis partem, et in superiorem et inferiorem illius loci intestini ilei, qui sex fere digitos ante valvulam coli situs, cum glomere cohaeret. Nodi qui varias illas partes in unum glomus conglutinant, persecati ostendunt planitiem laevam, splendidam, albam, e qua succus quasi lacteus exprimi potest, et filorum duriorum tractus singulis pigmenti maculis interjectis, sanguinis extravasati vestigiis. Succus lacteus microscopicae inquisitioni praebet substantiam molecularem, guttulas adipis, nucleos et magnam copiam cellularum variae magnitudinis variaeque figurae, rotundas, oblongas, angulatas, caudatas, continentes unum, vel duos, vel tres nucleos, plerumque permagnos, saepe etiam minorem vel majorem copiam granorum adipis, quae praebet redientem, quam vocant, adipis formationem. Aperturae quattuor intestinorum, in commune cavum ducentes, valde coartatae sunt, ut digitum indicem vix admittant;

Digitized by Google

et membrana mucosa his locis ostendit excrescentias molles, luxuriantes in formam villorum, quasi semipellucidas, sanguinem facile fundentes, quae etiam sub microscopo aspectum carcinomatis villosi praebent. Situs viscerum aliquantum mutatus est; quum enim, quod commemoravimus, glomus in eo fere loco situm sit, quo colon ascendere solet, major intestini tenuis pars in pelvim minorem depressa est. Pars pylorica ventriculi, agglutinata in glomere parte transversa superiore duodeni, longe in inferiorem abdominis partem detracta est, ita ut a colo transverso valde extenso obtegatur. Pylorus reperitur coartatus membrana musculari et mucosa illo modo induratis et amplificatis, quo carcinoma pylori incipere solet. Duodeni interna superficies in loco, quo intestinum illud cum glomere cohaeret, distortionem ostendit; praeterea hyperaemiam aliquam et hypertrophiam membranae mucosae. Intestini tenuis superficies externa in infima parte ruborem praebet saturatiorem et in uno loco exiguum corium exsudati peritonitici. Etiam pars parietalis peritonei ex adverso in dextra et inferiore parte abdominis sita, majorem, quam sanae partes, habet ruborem. Mesenterium intestini tenuis nonnullos carcinomatis nodos ostendit. Intestini crassi membrana mucosa inde a flexura dextra in formam granorum tumefacta est; accedit in colo transverso hyperaemia; in colo descendente et recto ulcera graviora, eo majora, quo profundius sita sunt, plana, modo satis rotunda, modo sinuosa et figurae inaequabilioris, in partibus profundioribus semicirculata et in summis plicis sigmoideis sita. Hepar sanum est, neque ullam praebet cicatricem vel carcinomatis vestigium. Vesica fellis adhaesione cum glomere conjuncta, maxime extensa est, usque ad magnitudinem ovi anserini. Parvam continet bilis lentae et inspissatae copiam, sed magnum numerum calculorum, figurae polygoniae, laevis et splendidis cum lateribus et acutis marginibus, coloris vel fusci vel e viridi nigricantis, variae magnitudinis; unus amplitudinem habet nucis juglandis. Quorum numerus est 184. Membrana mucosa vesicae fellis mollior est et solutior.

Sunt sane in historia hujus morbi nonnullae res minus perspicuae. Neque enim tempus satis cognovimus, quo tumor malignus initium ceperit, neque locum, unde exortus sit. Equidem tumorem illum, qui animadversus est, antequam Hamburgum proflectus est aegrotus, cystidem fellis, calculis impletam, fuisse arbitror. Vix enim tot et tantos calculus tam brevi temporis spatio oriri posse puto. Quamquam jam tum tumorem quoque malignum, sub cystidis fellis tumore occultum, adfuisse verisimile est. Quemadmodum autem se habuit res quoad pathologiam, therapiam certe nequaquam justam adhitam esse a medico isto Hamburgensi, id constare arbitror. Quidnam enim eum adducere potuit ut laparotomiam faceret? Quodsi benignus fuit tumor, ut hydrops cystidis fellis vel saccus echinococcorum, vix quisquam medicum excusatum putabit de operatione tam perniciosa perfecta, nisi proxime aliquod vitae periculum imminuerit. Malignus autem si fuit tumor, eo minus fas fuit (nisi indicatio vitalis jubebat) ita agere, ut, etiam ex operationis ipsius summo periculo elapsus, tamen

Digitized by Google

in maximum recidivae discrimen aegrotus vocatus sit. At nullum praesens vitae periculum imminuisse, ex aegroti testimonio manifeste cognitum est. Nullo igitur modo hoc in casu medicum excusatum puto de laparotomia facta.

THESES.

1) Pneumothorax lethalem semper exitum afferat haud necesse est.

2) Punctio vesicae urinariae supra symphysin instituta ceteris methodis praeferenda est.

3) Liquor Amnii foetui nutriendo non inservit.

4) Calor animalis a respiratione maxima e parte pendet.

Digitized by Google

Digitized by Google

1855. VII.
MEDIC. II.

DE

ALKOHOLISMO CHRONICO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE IMPETRANDIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ANDR. LUDOV. OTTO JENNER

PLOENENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

1855.

Digitized by Google

Imprimatur.

C. C. Th. Litzmann,

h. t. Dec.

Digitized by Google

Permirum semper nobis visum est, quod, etsi valetudini nocere potus alkohol continentes bibendi consuetudinem jam dudum constiterit, tamen viri artis medicae periti nostris demum temporibus in hanc rem ea, qua par est, diligentia inquisiverint. Antiquissima videlicet memoria proditum est, foedo illi ebrietatis vitio semper obnoxium fuisse humanum genus. Nunc vero nonne videmus ita invaluisse illum rerum spirituosarum abusum, ut ex ipsis gentibus exstiterint, qui summo studio illud malum opprimere et radicitus tollere nitantur? Nonne coierunt hi viri in alkoholis exilium conjurati in societates? Nonne, ut tanto validius rem aggrederentur, ipsae societates rursus mutuo vinculo sese conjunxerunt? Nonne ipsa quoque religio, ubi in perniciem fere reipublicae eruperat haec labes, in arenam descendit, quasi propugnatura in communem hostem? Hiberniae nos recordari, quivis facile sentiet, ubi prosperrimo successu rem egit Matthew; quo ipso teste edocemur ex octagies centenis millibus hominum quinquagies fere centena millia jurejurando se obstrinxisse, ut omni potuum alkohol continentium usu sese abdicarent. Neque parum res successit. Post tres enim annos dimidia parte minus, quam antea in illa insula consumptus est spiritus et pari gradu increvit incolarum opulentia.

Quomodo vero hic vir et omnino societates istae rem egerint, ad nos nunc jam nil attinet dicere, quippe quibus propositum est, alkoholis in corpore humano rationem pro parte medica illustrare. Atque ita quidem recte nobis videmur rem instituere, ut primum et ipsius alkoholis in corpore humano et singularum corporis materiarum per alkohol infecti vices perscrutemur, dein altero loco subjungamus, quae omnino intersit inter omnem organismum et alkohol ratio. Nam tantum non omnes, quae alkoholismum subsequuntur noxae, ex chemicis rationibus facili opera explicari possunt. Inter eas, quae inde recte explicari non possunt, est delirium tremens, de quo postea erit sermo.

Quin ante paucos annos etiam viguit opinio, omnem organismum eo evertere alkohol, quod nervorum systema corrumpat. Conveniebat enim inter omnes, immutatum permeare per sanguinem et a pulmonibus inprimis dimitti alkohol.

Digitized by Google

Rayer tum et *Brodie* sine ulla dubitatione negabant omnem alkoholis vim chemicam, admittentes isti nullam nisi nervorum systematis irritationem. Imo *Flourens*, *Toepken*, *Orfila*, alii certas adeo corporis partes, veluti cerebellum, plexum coeliacum prae ceteris affectas nominabant.

Primus novae sententiae, scilicet resorberi alkohol auctor exstitit *Henle*, neque tamen is de ulla tum mutatione chemica cogitavit. *Magendie*, *Bouchardat* et *Sandras* certas jam designaverunt ventriculi et tractus intestinalis venas, ut quae solae alkohol resorbere possent.

Omnibus tamen etiam tum visum est immutatum alkohol inficere organismum. Et *Schultzius* quidem corpusculorum sanguinis immutationem quandam observans hanc putavit agnoscere alkoholis vim; immutata enim ista non jam sufficere ad justam partem oxygenii recipiendam; consectarium esse parum acidi carbonici dimitti, denique venosum fore sanguinem. Huic fere assensus *Huss* (in libro, quem vernacule redditum „*chronische Alkoholkrankheiten*“ inscripsit v. d. Busch) lipomatosin tamen potatorum, cujus jam a *Scherer*, *Lecanu* et *Lehmann* observatae nulla omnino apud *Schultzium* erat ratio, explicare conatus est. Contendit enim primum mutare in adipem alkohol, deinde alkohole mutari hepatis functionem, denique impediri respirationem eoque sanguinem plus carbonei recipere.

Adipis longe aliam esse originem, infra videbimus.

Observarunt jam *Bouchardat* et *Sandras* acidum aceticum saepe olere potatorum cadavera atque in ipso sanguine id inesse demonstraverunt; *Schlossberger* etiam acidum formicicum reperit.

Quae quam recte isti viderint et quomodo explicanda sint, jam videbimus.

Resorberi in ventriculum aut in intestinum rectum illatum alkohol multis exemplis probatum est. Nunquam vero in sanguine ipsum alkohol agnitum est, imo vel brevi in aldehydum mutatum; receperat scilicet oxygenium. Sed ubi recepisset, difficile erat cognitu.

Tandem Doctori *Duchek* ita successit res, ut nonnisi in ipso sanguine hasce mutationes fieri posse satis firmis probaret argumentis (in libro, quem inscripsit „*Ueber das Verhalten des Alkohols im thierischen Organismus*“). Ventriculo ipso semper aliquam oxygenii partem continente nullus experimentorum inde petitorum certus usus fuerat. Injecit igitur *Duchek* in intestinum rectum, in quo nullum inesse oxygenium constat, alkohol et ecce, eodem modo cessit res: extemplo in aldehydum mutatum est alkohol. Luce clarius apparuit nullum nisi ex sanguine oxygenii esse ortum, neque nisi sanguini immixtum in aldehydum mutari alkohol. Sponte vero consequi docuit, statim, ubi intraverit venas, mutari; alioquin enim necesse est illico coagulari sanguinem, quum statim albumen coagulet alkohol. Cui quidem rei inservire videtur pellium animalium porositas, quippe perquam tenuissimis tantum alkoholis particulis sanguinem attingere licet. Quo fit, ut oxygenio in sanguine insito satis ampla pateat

Digitized by Google

superficies et statim insequatur mutatio. Plane eodem modo, ubi alkohol per magnum spatium diffuderis, statim potitum, quod in aëre est, oxygenii, in aldehydum mutari observabis. Quod simpliciter hac formula arithmetica recte describitur: $C_4\ H_6\ O_2$ aequiparare alkohol.

Jam si duae oxygenii partes ex sanguine recipiuntur, consequitur:

$$2\ HO + \text{Aldehydum} = C_4\ H_4\ O_2.$$

In aldehydum igitur mutatum alkohol corpori infertur et ebrietatis statum efficit. Probatum hoc experimentis, quibus animalia tentavit *Duchek*. Alkohol illico coagulatione sanguinis exanimavit animalia, aldehydum contra sine sanguinis coagulatione inebriavit.

Fuere quidem, qui contra hanc sententiam monerent, exspirari per pulmones et odore cognosci alkohol.

Sed hos errore inductos, neque ipsum alkohol, sed singulorum potuum aroma, quod vocant, cum aldehydo conjunctum, odoratos esse puto. Sic, ut exemplis rem geramus, vinum, quum „Oenantheaethera," spiritus sacchari, quum, quem vocant „*Buttersäureäther*" contineat, qui singulis potibus proprium sibi odorem impertiunt. Isti vero hisce ex aromatis vulgo cognoscere potus soliti perperam alkohol odorari sibi visi sunt.

Denuo ex sanguine recepto oxygenio, aldehydum, uti recte jam statuerunt *Bouchardat* et *Sandras*, in acidum aceticum mutatur.

Quamdiu igitur in sanguine aldehydi aliquid restat, durat ebrietas; mutato in acidum aceticum, evanescit, jamque in eo est res, ut incidat status, quem vulgari vocabulo „*Katzenjammer*" dicunt; adest scilicet dyspepsia per acidum aceticum effecta, durans illa, donec aut ulterius progressa mutatio, aut acidum aceticum est remotum per aliquid remedium alkalescens.

Aldehydum, cujus formulam cognovimus hanc: $C_4\ H_4\ O_2$, rursus duas oxygenii partes recipit, unde evadit formula:

$$HO + \text{acidum aceticum} = C_4\ H_3\ O_3.$$

Acidum vero aceticum, quum hoc modo ex sanguine non possit excerni, oxygenio assidue recepto, in talia corpora mutari necesse est, quae ex corpore removeri possint. Denuo igitur ex sanguine recepto oxygenio, acidum aceticum mutatur in formicicum, quod jam *Schlossberger* reperit, acidum.

Sed ut hoc procreat acidum aceticum, multo majore ei opus est oxygenii parte, quam qua priores iniit mutationes. Quatuor igitur partibus receptis, jam sic habet formula: $HO + \text{acidum formicicum} = 2\ C_2\ HO_3$.

Inventor hujus acidi *Schlossberger* dubius tamen haesit, num ex alkohole gigni posset.

Quodsi jam in decursu oxydationis cum oxygenio conjungitur acidum formicicum. Hujus conjunctionis proles nascetur acidum oxalicum. Quod hac formula expressum reddes: $HO + \text{acidum oxalicum} = C_2\ O_3$.

Digitized by Google

Tandem sensim mutati alkoholis ea fit natura, ut organismus id secernere valeat. Mutatur scilicet acidum oxalicum in acidum carbonicum. Denuo enim recepto per acidum oxalicum oxygenio, jam habemus:

acidum carbonicum 2 CO_2.

Universam igitur conjunctionum seriem nacti sumus hanc:

$$\begin{aligned}
C_4\,H_6\,O_2 + O_2 &= 2\,HO + C_4\,H_4\,O_2\\
C_4\,H_4\,O_2 + O_2 &= HO + C_4\,H_3\,O_3\\
C_4\,H_3\,O_3 + O_4 &= HO + 2\,C_2\,H\,O_3\\
C_2\,H\,O_3 + O &= HO + C_2\,O_3\\
C_2\,O_3 + O &= 2\,C\,O_2.
\end{aligned}$$

Vides praeter acidum carbonicum aquae copiam satis magnam gigni. Id, quod bene convenit rei vulgari experientia notae, uberiori scilicet inter pocula urinae secretioni.

Potatorum minus, quam sanorum hominum organismum secernere acidi carbonici, recte quidem jam a *Klenke* et *Böcker* observatum est, neque vero item causa hujus rei cognita. Minime enim, quae istorum fuit opinio, in sanguine magis magisque residet acidum carbonicum, sed ideo minus acidi carbonici gignitur, quod alkoholi, ut oxydetur, tantum oxygenii opus est, eoque tardatur, ut infra videbimus ceterarum substantiarum immutatio. Necesse esse, ut novus oxygenii commeatus in sanguinem subvehatur, id quidem in quovis potatore facile est cognitu. Pleniores enim inter potandum spiritus deficientem oxydationem indicant et oxygenium hacce pleniore respiratione adduci videtur.

Ipsius sanguinis substantiae non quidem singulae eandem, attamen cunctae minorem justa oxydationem inibunt, quia deficit ab alkohole detractum oxygenium.

Quae nos „*Kohlenhydrate*“ dicimus, substantiae aliam inibunt mutationem et sacchari praesertim singularis est metamorphosis.

Neque alia nisi duplex ratio cogitari potest de saccharo mutando, ut aut prorsus non oxydari possit atque merum secernatur, ut aliam metamorphosin subeat.

Quodsi si recte se habet, quod diabeti mellito prae ceteris potatores dicunt obnoxios, haud absonum foret ejus rei causam proponere hanc, quod immutatum saccharum per renes ex corpore secernatur.

Sin vero non secernatur saccharum, mox in sanguine prae ceteris multum existet atque deinceps in adipem mutabitur. Quae si recte statuimus — et recte nos statuisse omnis chemia testatur — inde facile intellexeris, cur potatorum sanguis sit lipaemicus, cur lipomatosis sive polysarcia propria sit potatoribus. Huss vero recensens lipaemiae atque lipomatoseos potatorum causas, ipsum alkohol in adipem mutari, ne chemica quidem ratione demonstrare potuit; contra, saccharum, impedita oxydatione in acidum carbonicum et aquam, mutari in adipem, quivis percipiet. Id vero recte vidit, impeditam respirationem lipomatoseos esse causam, siquidem defectum oxygenii intellexit.

Digitized by Google

Pari modo sanguinis, quae Nitrogenium continent, substantiarum mutationes retandentur necesse est. Quanquam enim de earum ratione adhuc non satis constat, jure tamen per se statuendum est, aliter earum habere etiam internum statum, quam in integro organismo. Id, quod vel ex in initio cachexiae ciborum cupidine et ex ingruente in decursu cachexiae potatorum macie, debilitate et imbecillitate haud temere conjeceris.

Jam respicientibus nobis et totius organismi et singulorum organorum, ubi incidit alkoholis intoxicatio, conditionem, obvia est totius organismi calamitas. Cujus causa videlicet est, quod nonnisi impedita munere suo funguntur singula organa. Ad singula vero organa, quae pertineant, mutationes hasce habeto:

Ingruente primum cachexia potatorum cutis mollis est atque lenta; mox in malis et naribus parvas venas varicosas procreat venosus sanguis. Omnibus nota potatorum acne rosacea, nostratium: *Kupfernase*, *Kupferwerk*. Inclinat cutis in erythemata, lichen, pruriginem, psoriasin et alia exanthemata et eczemata. Ingressa vero, de qua postea erit disputandum, tabe potatorum, arescit et crascescit cutis, coloremque induit pallidum atque lucidum.

Intumescit uberius, ingruente cachexia adeps telae subcutaneae, adultiore mox evanescit.

Eandem lipomatosin musculi prae se ferunt. Qua crescit adeps proportione, eadem imminuuntur musculi, donec adeo fiant atrophi, ut vel justa innervatione jam non contrahantur.

Ipsa quoque ossa, evanescente sensim tela, uberam, ut Rokitansky nos edocet, adipis copiam continent.

Assidua per alkohol producta irritatione eoque aucta cordis actione vulgo hypertrophia cordis nascitur; adipe toto in corpore increscente, adipositas cordis raro aberit. Neque, ingruente musculorum tabe, atrophia cordis solet abesse. Arteriae, interque eas imprimis arteria aorta atheromatum sunt sedes, neque cerebralium arteriarum ossificationes rarae existunt, quas crebro apoplexia sanguinea insequitur.

Membranae mucosae ad unam omnes catarrhales affectiones prae se ferunt. Laryngis catarrhus in causa est, ut aphonia existat. Bronchia manifestissima catarrhi signa produnt. — Ventriculi membrana mucosa hypertrophiam mammilarem (Francogallorum „état mammelonné“) haud raro conjunctam eam cum ulcere chronico perforante ostendit.

Hepar plerumque adipis incremento insigniter apparet amplificatum — pimelosis hepatis, hepar adiposum.

Inter nephropathias potatorum prae ceteris crebro morbo Brightii implicantur.

Neuropathiarum nulla fere exstat, in quam non inclinent potatores. Imprimis singulorum nervorum paralysi saepe laborant. Sic oculorum amaurosis nervi optici paralysin indicat. Impeditam functionem nervi oculomotorii hippus iridis, nervi hypo-

Digitized by Google

glossi porrectae ex ore linguae tremor et psellismus manifestant. De neuralgiis potatorum nota est res — rhachialgia, neuralgia nervi ischiadici et nervi cruralis.

Ex hisce tam variis singulorum organorum impeditionibus praecipue, quae ad digestionem pertinent, manifestae fiunt, quas eo vehementius invalescere consectaneum est, quo magis, ut supra demonstravimus, in arctiores fines cogatur sanguinis substantiarum mutatio et quo majore materiae commeatu corpus inde indigeat. Testis nobis satis luculenta est vita quotidiana. Normali adhuc digestione miro modo adaugetur potatoris corpulentia. Delectatur multa comedendo et valetudinis fruitur specie optima. At si assidua alkoholis irritatione tandem nascitur dyspepsia aut enteropathia aliqua, extemploque corporis nutritio impeditur. Evanescit lipamotosis, incipit macie extenuari corpus, ingruunt omnis generis calamitates. Imprimis in nervorum systemate grassantur morbi; conqueruntur aegroti de hallucinationibus, quibus somno priventur, neque ita raro fit, ut revera mento capiantur sive in stupiditatem, sive in dementiam sive in ipsam maniam delati. Neque vero sola lipomatosis evanescit, sed impedita semel digestione totus potatoris organismus raptim jam evertitur. Tabes totius organismi evolvitur. Tabe plane adulta, musculi atrophi, incessus incertus, manus trementes fiunt, omnes corporis vires corruunt. Sanguis hydraemiae signa offert, neque desunt, quae sequuntur hancce conditionem, mala. Si non alio jam morbo occubuit aegrotus, varia in eum irruunt hydropsiae genera; modo anasarca, modo ascites aut hydrothorax ex hacce hydraemia nascitur, aut hydrocephalus oritur, ita ut jure dicatur:

Qui vivit in vino, moritur in aqua.

Restat autem, cujus mentionem hic faciamus, morbus quidam, cachexiam saepe subitario interrumpens, dico delirium tremens, quod diversissimis e causis originem trahere potest. Modo enim refrigeratione, modo vel uno, si jam adest alkoholismus chronicus, potu nimio, modo subita omnium, in quibus alkoholis inest aliquid, poculorum abstinentia gignitur; nunquam vero (vd. *Wolff, Annalen der Charité, und Barkhausen, das* Delirium tremens) nisi antecedente jam cachexia potatorum. In quam vero morborum classem delirium tremens recensendum sit, difficile est dictu. Medium enim inter neurosin et veram mentis alienationem locum obtinet. Ingruentis morbi signa pathognomica agrypnia et phantasmata accipienda sunt; accedit singularis quaedam festinatio, qua quam maxime seduli atque properantiores esse videntur etsi vero stupidissime et stolide se gerant. Paucos vero post dies levis manuum et brachiorum tremor musculos occupat. Exulat somnus. Neque jam sui compotes aegroti esse solent. Vigilantes hallucinationibus vexantur. Videre sibi videntur modo monstrorum, modo parvulorum animalium imagines, modo puncta tantum ignea. (Fuerunt, qui hosce visus inde ex pupillarum vel amplitudine vel angustia pendere rati sint.) Aliter etiam laborantes aegroti clamores varios, aliaque talia audire sibi visi sunt. Simul alienata jam mente deliria vera eaque tamen aliquo modo singularia atque propria observantur. Aegroti vana loquuntur, plerumque de nogotiis suis sermones jaciunt, negligentiam

Digitized by Google

conqueruntur, poenas metuunt; ceteroquin loquaces et in risum et clamores effusi. Interrogati de aliqua re prudenter fere atque adeo festive respondent. Ita affecti interdum febri gravantur, plerumque tamen pulsu utuntur molli neque frequenti. Adultus morbus trium seu quatuor plerumque dierum decursu finitur, crisi per somnum interveniente.

Potatores delirio tremente affecti ad mortem haud raro rapiuntur paralysi plerumque sive pulmonum, sive cerebri, sive cordis; nonnunquam inflammatione quadam capti, phrenitidi aut pneumoniae alicui succumbunt.

Neque vero ipsum delirium tremens, etiamsi, qui eo laborarunt, sanati evadere videntur, pro cachexiae potatorum crisi habendum est; haec enim via sua grassata eo usque saepe invalescit, ut, qui delirii trementis impetum sustinuerint, ipsi eo certius mox victimae cadant.

Perperam olim perniciosam alkoholis vim in eo, quod admixtum ipsi vulgo „*Fuselöl*“ dicunt, positam esse crediderunt. Multis enim experimentis a *Dahlstroem*, *Huss*, *Duchek*, aliis in animalibus institutis satis probatum est, ipsum alkohol efficere intoxicationem et vi quidem proportione, qua adsit in potu diversa. Quo fit, ut cerevisia (4 %) quam rarissime neque nisi profusissima temeritate ingesta, fortiora vero vina (24 %) et prae ceteris spiritus frumenti, spiritus sacchari (40 — 60 %) intoxicationis causae facile existant.

Quodsi igitur, ut cachexiae potatorum viam aperiat, alkoholis est propria atque certa vis, nonnullis tamen etiam aliis de causis, quae alioquin fortasse diu dilata esset, cachexia properatur. Huc catarrhorum interque eos imprimis gastricorum pestem pertinere supra jam indicatum est. Huc praeterea referenda est refrigeratio et qui sua sponte, neque ulla intercedente alkoholis vi, hepatis aliquem morbum provocent, animi motus, irae, sollicitudines, curae.

Morbos, qui cum cachexia potatorum complicati esse possunt, multifarios esse, et pro sua ipsius quidem natura multifarios esse debere, quivis facile intelliget. Cui enim non morbo obnoxium labefactum semel corpus?

Cujus diversissima et systemata et organa ita complicari possunt; ventriculus ulcere praesertim chronico, tum hepar, tum pulmones. Ante omnia nervorum systema. Semper occurrit manuum tremor, pareses, diversorum nervorum paralyses. In sanorum receptacula publica potatorum imprimis gregibus replentur; atque epileptici plerique ex eorum sunt numero.

Quodsi, qui cachexiae potatorum socios se adjungere possint, morbo enumerare velis, paucos profecto reperias, qui non possint. Diversissimam vero ideo formam cachexiam induere per se apparet.

Curanti vero et simplicem et complicatam potatorum cachexiam duae imprimis leges servandae sunt: altera, ut omnem potus, cui alkoholis quicquam immixtum est, usum aegroto interdicant; altera, ut ipsos, quiqui morbi et molestiae adsint, removeant.

Digitized by Google

Quam primo loco posuimus, prophylactica cachexiae curatio, non est medici, sed publicae privataeque hygienes.

Ac medici quidem primum est, ut digestio quomodo se habeat, perspiciat, indeque omnem auxilii ferendi rationem instituat. Hinc enim prosperi eventus proxima spes pendet. Dispecta igitur et perspecta quam accuratissime digestione remediis modo antiphlogisticis, modo alterantibus, modo solventibus aut tonicis utendum erit. Perlustranti tibi formulas medicas occurrent modo emulsionum, modo magnesiae, sulphuris, modo radicis calami, radicis gentianae, modo acidorum mineralium, elixir vitrioli Mynsichti, modo corticis chinae, ligni quassiae, alia nomina.

Dein restituta in justum statum digestione, sanguis ut restauretur, curandum erit. Cibis igitur, qui facile digerantur, alendus aegrotus, neque, nisi contraindicatio exstiterit, a remediis martialibus omnino abstinendum erit.

Impeditior autem, quam digestionis, nervorum systematis corrupti diagnosis est. Cerebri quidem organici morbi, apoplexiam, dico, encephalitidem, encephalomalaciam, epilepsiam, alios ex certis artis legibus, etsi habita semper cachexiae ratione, tractandi erunt. Dynamicis vero morbis, veluti formicationi, tremori, anaesthesiae, subsultui tendinum, hallucinationibus, aliis, nervina remedia, *Hussio* auctore, adhibenda erunt; spasmatis igitur, subsultui tendinum, formicationi opium ejusque praeparata, imprimis morphium aceticum; anaesthesiae, paresibus radix arnicae, radix valerianae, radix imperatoriae, radix serpentariae, nux vomica, ammonium carbonicum vel phosphorus.

Delirii trementis curatio pro singula quaque organismi conditione varietur necesse est. Plerumque crisin somno induci sufficiet. In hunc finem magnae opii doses adhibenda sunt (gr. j — gr. iv pro dosi). Si vero accedat irritatio cerebri seu ipsa inflammatio, hirudines adhibendae. Nunquam vero, quod olim fieri solitum commendavit etiamnum *Rayer* (Mémoire sur le delirium tremens) venae secandae. Multiplici enim experientia edoctus Wolffius auctor exstitit properari secatis venis interitum. Praeterea caput fomentis frigidis obtegendum et opium una cum tartaro stibiato adhibendum est. Wolffius multus est de zinco acetico (Dr. j. — Dr. ij ad aquam Unc. vj) eoque uno delirium tremens sanare posse sibi visus est; somno vero non inducto, eventu eo faciliori opium dari fertur.

Quum autem chronicum jam delirium adolevit, debilesque et viribus deficientes sunt aegroti, ab omni opii usu abstinendum est, dandaeque in ejus vicem magnae herbae digitalis doses (Dr. β — Scr. ij ad colaturam Unc. vj).

Difficilis igitur cachexiae potatorum curatio et quae assiduam atque curiosam medici diligentiam requirat. Neque pro meritis semper gratia refertur; vixdum enim resumptis viribus, aegroti saepius in pestem, cui modo evaserunt, relabuntur.

THESES.

1. Ligatura torsioni arteriarum est praeferenda.
2. Cor sanguinis circulationis non sola est causa.
3. Symphysiotomia omnino rejicienda.
4. Icterus non est morbus.

Digitized by Google

1855. VII.
MEDIC. III.

DE

PERICHONDRITIDE LARYNGEA

CUIUS MORBI ADIICITUR CASUS POST TYPHUM OBSERVATUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLQUARTS

UTINENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

1855.

Digitized by Google

Imprimatur.

C. C. Th. Litzmann,

h. t. Dec.

Digitized by Google

Nomine perichondritidis laryngeae inflammationem membranae nutritiae cartilaginum laryngis — perichondrii — processusque, qui eam sequuntur, comprehendimus. — Non est, quod miremur, medicos antiquiores hujus morbi mentionem non fecisse, quum hoc malum et inter ea referendum sit, quae rarius observantur, et diagnosis plurimis in casibus aegroto adhuc vivo difficillima sit. Quum vero medici nostri aevi diligentissime se ad anatomiam pathologicam applicantes necroscopias frequentiores atque accuratiores instituissent, quum naturae, tum origini hujusce laryngis affectionis lux allata est. In libris medicorum et chirurgorum antiquiorum morbus, de quo hoc loco agitur, variis designatur nominibus. Alii enim vomicae laryngis, alii abscessus laryngis, alii necrosis laryngis, alii laryngitidis submucosae nomine in describendo morbo nostro utebantur. Denique Albers, qui de pathologia laryngis optime meruit, varios illos unius morbi exitus inflammatione perichondrii laryngis oriri demonstrans, perichondritidis laryngeae nomen statuit. Neque post eum auctores optimi hanc sententiam rejecerunt.

Priusquam symptomata morbi, quatenus in aegrotis observari possunt, describere aggredior, in processus pathologico-anatomicos inquirere liceat.

Simili ratione, qua periostitis, quae in ossibus extremitatum frequenter observatur, etiam perichondritidem in larynge exstare, probabile videtur. Praevia enim hyperaemia et stasi exsudatum gignitur, quod et in perichondrio ipso et inter id atque cartilaginem deponitur. Quod ad naturam hujus exsudati attinet, primum plus minusve plastica esse solet, quo fit, ut perichondrium telaque cellulosa eo imbuta crassescant; tum, majore exsudati copia effusa, perichondrium cartilagine amovetur; quum vero, quae inflammatione exsudantur ob arctam perichondrii cum cartilagine conjunctionem, quominus libere et abunde effundantur, prohibentur, eo facilius suppuratio exstare potest. Exsudatum denique in pus commutatum quum neque integumenta cartilaginum externa, neque interna libere et expedite permeare possit, modo membranam laryngis mucosam, modo telam cellulosam musculosque superficiem externam vestientes quasi suffodiens, in abscessum congeritur. Interea perichondrium pure dissolvitur. Haud raro frustula cartilaginis vel totam cartilaginem perichondrio liberam in cavitate

Digitized by Google

abscessus pure natantem invenies. Fragmenta cartilaginea ipsa prout brevius vel diutius puri seu ichori objecta erant, et structura sua et forma varie commutata sunt. Primum nitor glabritasque, qua gaudet cartilago normalis, nec non pelluciditas ejus quasi lactea desideratur; superficies corrosa, colore flavo; textura autem soluta humore praeter normam imbuta invenitur. Interdum cartilaginis superficies imaginem vestis coactae breviter tonsae praebet. Microscopii auxilio adhibito substantiam intercellularem modo punctulis distinctam, modo jam in fibrillos discissam videbis. Cellulae cartilaginis autem seu nucleum minus distinctum habent, seu, omnino eo carentes, pingue refertae sunt. Simul cum hac degeneratione cartilaginis sic dicta adiposa atrophia marginum exstare solet. — Attamen non solum ea, quae modo relata est, ratione substantia cartilaginea destruitur, sed etiam aliae variae ejus commutationes ab autoribus commemorantur. Alii enim se in cavea abscessus fragmenta cartilaginis necrosi degenerata, mollia, colore subnigro invenisse; alii cartilaginem victam, quasi corneam, fuisse referunt. Plurimi enarrantur casus, qui inflammatione procedente ossificationem cartilaginis effectam esse probant. Belloc et Trousseau*) in libro de phthisi laryngea complures afferunt morbi historias, ubi sectione cadaveris instituta quidquid cartilaginis cricoideae perichondrio privatum in cavitatem abscessus prominebat vel in pure natabat in massam osseam commutatum erat; quin potius tota cartilago interdum ossificata erat. (Vide observat. casus V. XXIV. XXV.) Sed fortasse quispiam dixerit, cartilaginem jam in os mutatam fuisse antequam inflammatio perichondrii exorta fuerit, quum ossificationis processus in cartilagine cricoidea jam ab anno aetatis tricesimo quinto vel quadragesimo incipere soleat. Si verum praevia perichondritide laryngea in juvenibus, qui in ipso aetatis flore erant, cartilagines laryngis osseae, vel etiam illa una cartilaginis pars, quae perichondrio nudata pure natabat, massa ossea incrustata inveniebantur, id quod in casibus tribus ab Henrico Florman**) jam anno millesimo septingentesimo nonagesimo relatis observatum est, non est quod dubitemus, quin ossificatio inflammatione ipsa procreari possit.

Perichondritidem laryngeam plurimis in casibus cartilaginem cricoideam, rarius cartilaginem thyreoideam, nunquam fere cartilagines arytaenoideas occupare, auctores omnes consentiunt.

Abscessus, quod attinet ad magnitudinem valde inter se differunt; nunc enim pisi magnitudinem non excedunt, nunc verum mali parvi ambitum superant.

Parietes abscessus et tela cellulosa submucosa plus minusve degenerata, et musculis laryngis textura sua plerumque valde commutatis, seu, quod pingue referti sint, seu, quod singuli fibrilli exsudato deposito arcte inter se coaluerint, constituuntur.

*) Traité pratique de la phthisie laryngée etc., par A. Trousseau et H. Belloc. *Uebersetzt von Dr. Romberg. Leipzig* 1838.

**) *Der Königl. Schwed. Academie der Wissenschaften neue Abhandlungen, aus der Naturlehre etc., auf das Jahr* 1790.

Digitized by Google

Morbus si diutius tenet caverna non ita raro propria gaudet membrana interna, quae aut granulationibus rubris, teneris, aut tela cellulosa colore cinereo componitur. Paries anterior abscessus pure propulsus nonnullis in casibus in cavitatem laryngis prominet — vomica laryngis —; in aliis contra pariete posteriore provoluto cavum laryngis comprimitur vel etiam coarctatur; in aliis denique, ubi pus versus integumenta colli externa congeritur, in regione cartilaginis thyreoideae tumor subrotundus, fluctuans in conspectum venit.

Abscessus et in laryngis, et in pharyngis cavum, et foras se aperire potest. Una cum pure nunc etiam degenerata cartilaginis fragmenta ejiciuntur. Aegroti autem semper fere seu cartilaginis frustulo glottidem obturante, seu oedemate glottidis subito exorto suffocati obeunt. Tamen etiam perichondritidem laryngeam, quae jam abscessum necrosinque cartilaginis genuerit, sanari posse, illis casibus demonstrari videtur, in quibus aegri postquam frustula cartilaginea una cum pure ore rejecerunt ad sanitatem mediocrem restituebantur. Jacturam cartilaginis, quam larynx fecerit, materia ossea restitui verisimile videtur. Fragmenta cartilaginea in caverna si retinentur modo corporum extraneorum perpetuam irritationem quum excitent, et inflammationis et suppurationis processum alunt usque dum aegri misere obeunt.

In utram cavitatum abscessus pus frequentissime emittat, autores, qui de perichondritide laryngea agunt, in diversas abeunt sententias. Ex illis casibus, quos Albers*) cognovit, pus frequentissime in laryngem, rarius autem in pharyngem, perraro foras se effundere judicat. Dittrich**) contra in observationibus, quas et ipse fecerit et ex aliorum scriptis collegerit, perforationem pharyngis frequentissimam esse profert. Mirandum non est, quod pus tam raro integumenta colli externa perforat, quum et sedes perichondritidis profunda, quae, ut supra jam dixi, lamina posteriore cartilaginis ericoideae plerumque exoritur, et fasciae musculique colli exitum difficilem reddant. — Abscessu ad amplitudinem quandam progresso etiam partes vicinae plus minusve afficiuntur. Tela cellulosa laryngi proxima tumescit; musculi ejus, ea, quam supra nominavimus ratione, degenerantur; membrana mucosa et submucosa inflammatione correpta subito saepe et inopinate exsudato seroso replentur; nec non mucosa pharyngis inflammatione rubra et tumefacta esse solet.

Quamquam plurimis in casibus perichondritis laryngea socia tantum aliorum morborum et chronicorum et acutorum est, tamen nonnullae morbi nostri historiae referuntur, quae hanc affectionem etiam idiopathicam interdum exsistere, aperte demonstrant. Jam Flormann historiam nautae enarrat, quam hoc loco breviter referam liceat, quum optimam perichondritidis laryngeae idiopathicae imaginem nobis praebeat. Vir nauticus, robustus et valens, triginta circiter annorum, quum per quatuordecim dies deglutiendi et respirandi difficultatem minime vero gravem conquereretur, in

*) *Graefe's und Walther's Journal für Chirurgie und Augenheilkunde. Vol. XXIX, Heft 1.*
**) *Prager Vierteljahrsschrift.* 1850.

Digitized by Google

nosocomium receptus est; sed vixdum novem diebus praeteritis jam suffocatus obiit. Flormann quum aegrum tres dies ante mortem visitaret haec symptomata animadvertit: Respiratio fuit profunda, difficilis neque tamen accelerata; exhalatio foetida. Inspiratio difficilior, strepitu peculiari, quasi singultante stipata et exspiratione diutius continens. Quum aër in pulmones ducere studeret aegrotus simul humeros elevabat. Semper fere in lecto surrectus sedebat. — Vultus anxius; facies pallida magis, quam rubra; neque intra, neque extra collum tumor. Lingua impura; deglutitio difficilis; tussis frequens; perpetua exscreatio salivae spumosae. Aeger perinvite loquitur; vox solito altior non est. — Pulsus frequens, parvus.

Sectione cadaveris instituta anterior laryngis tracheaeque paries integer repertus est: in parte laryngis posteriore autem abscessus magnitudine nucis juglandis pure repletus, qui in cavitatem laryngis ita projectus est, ut aditus aëris ad pulmones prorsus fere distractus esset. — Pus cinereum, serosum, foetidum. Musculi arytaenoidei et crico-arytaenoidei multo pure circumdati lardi imaginem offerentes. — Epiglottidis mucosa paululum tumefacta et rubescens, ceterum et forma et textura illaesa. Rima glottidis parva, ligamentis tumefactis fere clausa. Cartilaginis thyreoideae superficies interna rubra; cartilago ipsa inviolata. — Cartilaginum aryt. mucosa et submucosa tumefactae, quasi aëre inflatae, rubrae; inter cartilagines atque earum membranas exsudatum serosum, subfuscum. Cartil. aryt. dextra in massam steatomatosam mutata; sinistra normalis. Cartilaginis cricoideae pars tertia in superficie posteriore pure destructa; in latere ejus dextro major cartilaginis defectus, quam in sinistro. Margines erosi, asperi, dentati, ossificati. Cartilago reliqua normalis. — Pulmones diaphragmati adhaerentes, ceterum intacti.

Quum paulo post alii duo nautae eodem morbo perirent et secto cadavere eadem fere reperta sint, Flormann vitam nautarum, multo conclamando et vociferando, origini morbi ansam dare, opinatus est. Attamen hoc momentum aetiologicum non magni aestimandum sit, quum morbus homines, qui ex officio quum longius tum frequentius sermonicari vel clamare solent, ut praecones, histriones, cantatores aliosque frequentius non corripiat. Multo magis verisimile videtur, refrigerationes frequentes, quibus nautae obnoxii sint, quum et imbribus et vento ut se opponant cogantur, origini mali magis favere. Itaque aliquot autores, quorum in numero Hasse,*) perichondritidem laryngeam causa rheumatica interdum excitari judicant. — Inter casus quatuordecim ab Albers collectos sex refrigerio, quatuor laesione laryngis, effusa imprimis contentione colli, duo typho abdominali, unus variolis, unus syphilide exstitisse dicuntur. Quaestionibus recenter institutis perichondritidem laryngeam plurimis in casibus cum morbo altero se complicare, elucet. Dittrich quindecim observationes refert, in quibus perichondritis laryngea typhi socia fuit. Excepto hoc morbo, cujus conjunctionem

*) *Hasse, Pathol. Anatomie. Bd. I.*

Digitized by Google

cum perichondritide l. infra uberius disseram, inflammatio perichondrii laryngis syphilidem, variolas, tuberculosin pulmonum comitatur.

Perichondritidis laryngeae cum syphilide secundaria complicationem Albers, Rockitansky et Hasse commemorant, etiam Dittrich complures observationes hoc connubium spectantes refert. Qui perichontritidem laryngeam in syphilide secundaria primariam exstare negat, sed sociam semper affectionis peculiaris partium laryngis mollium, quae laryngostenosin efficere soleat, habendam esse affirmat. Exsudatum syphilidis proprium in mollibus laryngis partibus depositum, ulceribus sanatis, plerumque in cicatricem callosam et fibrosam mutatur, nonnunquam autem in pus liquefactum destructiones largiores efficit, quae quidem ad perichondrium progressae etiam perichondritidem abscessumque laryngis gignunt. Etsi perichondritidem laryngeam in syphilide secundaria plurimis in casibus hac ratione ingruere verisimile videtur, tamen etiam primariam exstare posse ut credamus adducimur, praesertim quum in dyscrasia syphilitica periostii inflammationes saepissime observentur.

Quum in exanthematibus acutis, tum in variolis, pustulis aggeratim eruptis, mucosa pharyngis non solum, sed etiam laryngis hyperaemiae vel inflammationis universae particeps esse solet. Extensa variolarum eruptione et in epiglottide et in cavitate laryngis pustulae molles, confluentes interdum se ostendunt totaque laryngis mucosa hyperaemia et inflammatione tumefacta conspicitur. Raris in casibus, inflammatione in partes laryngis profundiores progressa, perichondritis exoritur, quae quidem tum demum mortem aegroto afferre solet, quum jam in integumentis corporis externis desquamatio exanthematis incipit. Ceteroquin et in aliis corporis regionibus hoc in morbo inflammationes circumscriptae, quae ad suppurationem tendunt, observantur; neque solum abscessus subcutanei, sed etiam periostitides suppurativae in hominibus variolis necatis inveniuntur. Quae res etiam abscessus in vicinitate cartilaginum laryngis interdum apud miseros, qui exanthemate varioloso jam defloreseente occubuerunt, repertos perichondritide laryngea effectos fuisse, magis probare videtur.

Perichondritidem laryngis abscessusque, qui nonnunquam in decursu tuberculosis pulmonum observantur, tarde tantum et gradatim crescere Albers affirmat. Exulcerationem membranae mucosae et una cum perichondritide exstare et eam sequi posse, profert. Etiam Rockitansky se ulcere tuberculoso integumenta laryngis interna perforante necrosin cartilaginis abscessumque frequentius observasse, commemorat. Si vero in cadaveribus eorum, qui phthisi pulmonum perierunt, intacta membrana mucosa laryngis ulceribusque omnino absentibus abscessum laryngis e perichondritide exortum invenimus, utrum fortuito accesserit perichondritis an certum cum tuberculosi pulmonum habuerit connexum, quaerendum sit. Dittrich perichondritidem laryngeam et laryngis abscessum in phthisicis eadem ratione, qua decubitus in osse sacro, in scapula aliisve regionibus, quae corporis pressui maxime obnoxiae sint, exoriri conjecturam defendit. In casibus duobus abscessus laryngis cum tuberculosi pulmonum complicati,

Digitized by Google

quos ipse vidit, non solum in regione ossis sacri, sed etiam in scapulis decubitus vulnera profunda, permagna aderant; cartilago cricoidea ossificata. Itaque hunc decubitum internum eo progigni, quod lamina posteriore cartilaginis cricoideae ossificatae partes molles in superficie anteriore columnae vertebralis sitae perpetue comprimantur, autor noster putat. Monet autem Dittrich id maxime decubitus origini favere, quod membranae mucosae eorum, qui phthisi tuberculosa laborent, magis exsiccatae sint et larynx ipse loco rarius moveatur, quum aegroti et ob minorem ciborum appetitum et ob auctam lentitudinem deglutiendi motus rarissime faciant. Praeterea, ut exstet decubitus ille internus cartilago jam ossificata sit, necesse esse. Quamquam causas allatas perichondritis laryngea ut in cartilagine cricoidea exstet, multum afferre minime nego, tamen in iis, qui tuberculosi pulmonum laborent, irritationem laryngis perpetuam, catarrho tussique excitatam, ut partes quoque laryngis profunde sitae, imprimis perichondrium, ad inflammationem magis inclinentur, plurimum valere opinor.

Perichondritis laryngea, quae typhum comitatur, duplici ratione progigni potest, seu, quod ulcus typhosum lentescens a cavo laryngis propagatum profundiusque descendens, membrana mucosa et submucosa perforatis, perichondrium corripit ejusque inflammationem excitat, seu, quod perichondritis ulceribus typhosis in larynge nusquam exstantibus per se exoritur, id quod frequentius observatur. In singulis casibus difficile, si res ita fert, dijudicari potest, qua ratione perichondritis exorta sit, verumtamen in abscessibus, qui ulcus typhosum perforans sequuntur, mucosa laryngis lato in ambitu destructa invenitur neque in reliquo larynge ulcera typhosa deesse solent; si vero per se perichondritis enata sit, fistulam minore foramine in laryngis cavum se effundere, satis liquet. Praeterea etiam sedem abscessus respicias, opus est. Cartilaginem cricoideam si pure erosam vel destructam invenis, perichondritidem laryngeam per se exstitisse, quoniam, ut supra commemoravimus, haec ipsa cartilago inprimis inflammatione corripiatur, justis de causis conjectari potes; si vero musculus transversus atque cartilagines arytaenoideae reliquis cartilaginibus intactis inflammatione et pure degenerata sint, perichondritidem exulceratione typhosa exortam esse, quum ulcus typhosum laryngis in regione musculi transversi et cartilaginum aryt. sedem quasi dilectam habeat, aperte contendere audeas.

Liceat mihi, precor, hoc loco casum perichondritidis laryngeae post typhum exortae in clinice Illustrissimi Goetz observatum referre.

Lena Delfs die decimo nono mensis Novembris anni superioris in nosocomium academicum recepta est. Viginti tres annos nata statura corporis firma, collo brevi et crasso, musculis bene nutritis. Quod quidem anamnesi comperirimus, puella adhuc semper valuisse videtur; fuerunt autem, qui eam vitam evagantem et libidinosam degisse dicebant; neque tamen syphilide eam unquam laborasse certis confirmari potest signis. Aegra ipsa de origine morbi haec refert: Tres dies antequam nosocomium petiverit, quum iter molestissimum aquilone aspero adverso a domicilio suo Kiliam

Digitized by Google

proficiscens pedibus perfecisset, mox frigore vehemente se correptam fuisse; accessisse dolores acutos quum lumborum, tum pectoris; nonnisi summo cum labore se spiritum duxisse.

Aegrota nosocomio recepta quum examinaretur etiamnunc dolorem in cordis regione fixum, angustiam pectoris, cephaleam conqueritur. — Adest anxietas atque inquietudinis sensus; vexatur aegra tussi sicca; cutis temperatura adaucta; pulsus frequens, durus — centies circiter in sexagesima horae parte repetitur — respiratio brevis, accelerata. Etsi vox rauca est, tamen laryngis dolorem non queritur aegra. Lingua rubra, sicca fissuris descripta; margines muco subfusco cincti; ciborum appetitus omnino deest. Cordis regio digito percussa sonum obtusum praeter normam se extendentem dat, nec non tubae auscultatoriae auxilio adhibito strepitus ille peculiaris, qui frictione parietum pericardii exsudato deposito asperorum exstare solet, observationem fugit; ceterum cordis soni distincte audiuntur. In organis corporis reliquis quae a norma discedant non inveniuntur. — Aegra semel tantum alvum solvit; sedes normalis.

Quum anamnesi, tum statu praesenti diagnosis pericarditidis stabilitur. — Venaesectio Unc. xij facta est; porrigitur singulis horis calomelanos gr. j. —

Diebus proximis febris paululum remittit; neque pericarditidis signa tam exacta sunt. Die morbi quinto symptomata pleuritidis levis in latere pectoris sinistro emergunt. Lingua aegrae adhuc rubra, sicca; urget sitis. Alvi dejectiones liquidae. Pulsus non ita plenus neque tam frequens, quam diebus praeteritis. Dat. Infus. digit. c. natro nitr.

Dum interea in decursu morbi pericarditidis symptomata magis magisque evanescunt, signa alia, quae splenisationem pulmonis sinistri exortam esse demonstrant, se ostendunt. — In regione scapulari sinistra sonus obtusus respiratioque bronchialis auditur; sputa sparsa quidem, sed sanguine interdum commixta tussi exscreantur.

Praeterea cephaleam magis conqueritur aegrota; mens quasi caligine circumfusa esse videtur. Somno saepius delirio levi excutitur. Alvi dejectiones liquidae. Pulsus nonagies sexies in sexagesima horae parte micat. — Ventris dolores non queritur aegra.

Die morbi octavo symptomata, quae sunt typhi propria, jam magis evadunt. Dejectiones alvi liquidae, fere aquosae, frequentiores. Lingua sicca, media rubra tarde tantum exseritur; labia et gingiva muco sicco, fuliginoso obtecta. Major mentis depressio. Percussione instituta auctus lienis ambitus ostenditur. Sitis maxime urget. Ciborum appetitus prorsus deest. — Acida ordinantur.

Ab die morbi decimo symptomata typhi etiam exaggerantur. Alvus octies vel decies in nychthemero solvitur; nonnunquam sedes involuntariae. Aegra modo noctu delirare, modo mediocriter dormire solet. Cutis sicca semper atque segnis. Pulsus nonagies vel centies in sexagesima horae parte repetitur. — Interea splenisationis

Digitized by Google

signa in pulmone sinistro semper animadvertuntur. Tussi vero sputa sanguinea non amplius ejiciuntur.

Rancedo exilitasque vocis, qua jam ingrediente morbo aegrota laborabat, interdum ad aphonium absolutam ascendit. Quae vocis conditio alternat, quum nunc clariore, nunc depressiore voce fruatur aegra.

Die morbi vicesimo secundo etiam decubitus vulnera non ita magna in natibus observantur. Aegra hoc tempore morbo maxime exhausta et confecta videtur; collabitur enim versus basin lecti; genae naresque colore livido sunt; oculorum fulgor obtusus, vultus lentus.

Nunc vero postquam morbus ad fastigium progressus est a die decimo mensis Decembis morbi vicesimo quinto, aegra sensim sensimque convalescere incipit. — Die decimo tertio mensis Decembris aegrota primum laryngis dolorem queritur, qui tamen jam postero die cataplasmate collo apposito levatur.

Ab hoc tempore ad sanitatem perfectam, ut quidem videtur, citissime progreditur. Diarrhoeae omnino sistunt; tussis, quae fuit antea molestissima, remittit; strepitus respirationis normalis auditur; decubitus vulnera sanantur. Jam lingua muco libera humescit. Crescente etiam ciborum appetentia aegra vires suas recipit. Denique die tertio mensis Januarii tam bene se habet, ut primum lectum relinquere possit. Sed eheu! jam postero die primo vespere aegra denuo laryngis dolorem queritur, quo noctu quidem somno non prorsus privatur, attamen ut iterum iterumque ad levandam respirandi difficultatem potum tepidum poscat, commovetur. Itaque die quarto mensis Januarii hora vespertina cataplasmata calida laryngi applicantur. Postridie, tempore meridiano, quum visitarentur in clinico aegroti, aegra nostra, quae paulo ante etiam prandium summo cum appetitu sumserat, etiam tam commode et sine ullo fere strepitu respirabat, ut minime adstantium animos in se converteret; tum vero ad inspiciendum collum faucesque ut surgat invitata, subito et praeter omnium opinionem singultu spastico tussisque convulsivae impetu inspiratione stridula stipato corripitur. Unde non solum respirationem liberam non recepit aegra, sed etiam cuncta symptomata, quae clausum laryngis vel imprimis glottidis aditum significant, exsistunt. Larynx forma sua quidem non mutatus, tamen pressu dolet. Fauces quamquam solito magis rubrae sunt, tamen neque tumor conspicitur, neque digito laryngi inducto ligamenta glottidis tumefacta distincte tactu percipiuntur. Pulmones ubicunque digito percutiuntur sonum reddunt sonorum; in regione thoracis posteriore et inferiore rhonchi mucosi et inspirationis strepitus asperior auditur. Apponuntur collo hirudines XII; porriguntur vomitiva, quae vomitus complures sedesque excitant repetitas. Sinapismis pectori femoribusque, fomentis fervidis cruribus applicatis sudor quidem excitatur at respirandi difficultates semper crescentes non levantur, sed potius horis proximis ad eum gradum evehuntur, ut vita ipsa jam jamque periclitetur. Interea etiam pulsus debilior et frequentior factus est — centies atque tricies — vel centies atque quadragies

Digitized by Google

in s. h. parte micat. — Signa, quae decarbonisationem sanguiuis ob respirationem impeditam graviter turbatam esse demonstrant, jam ita imminent, ut, ne suffocata pereat aegrota, tracheatomia suscipiatur. Inter operationem ipsam anxietas et inquietudo aegrae semper crescentes actionem maxime turbant.

Cutis, quae tracheam obtegit in longitudinem pollicis circ. j scalpello dissecatur; sanguis vulnere profluens facile comprimitur. Tela cellulosa pingue abundans postquam remota est annuli cartilaginei tracheae superiores exstant; qui, sicuti aegra in lecto surrecta est, cultello acuto perforantur. Vulnus initio quidem parvum deorsum paululum dilatatur. Aër haud sine strepitu et excedit et intrat. Tum tubo incurvato vulneri inducto crista plumata pennae usque ad tracheae bifurcationem protruditur, ut, si modo fieri possit, mucus removeatur.

Nihilominus respiratio melior non fit; aegra iterum ac saepius sanguinem spumosam respuit, atque horae sexagesimis quinque praeteritis, respirandi motus subito sistunt. Aegra semel iterumve dolorem in parte inferiore thoracis queritur, tum facie pallida labiisque lividis in pulvinum relabitur. Denique misera, quum identidem suppresse quidem, sed una cum aëris et intrantis et evadentis strepitu spiritum duxisset, brevi post obiit.

Autopsia cadaveris horas viginti tres post mortem instituta est. Corpus statura firma est; musculi bene nutriti. Macies quamquam non adest, tamen panniculus adiposus tenuatus est. In cavitate cranii sinus durae matris sanguinis pleni reperiuntur. Ceterum cerebrum ipsum normale. Larynge, trachea, oesophago, pulmonibus e cavo thoracis remotis, superficies anterior epiglottidis, nec non ligg. arytaenoidea epiglottica sinus ad instar magnitudinis fabae minoris extensa reperiuntur. Quo sinu sublato rimam glottidis tumore conciformi, qui a parte posteriore ligamenti thyreo-arytaenoidei superioris exoritur, fere reclusam vides; in summo cono ejus aliquantum ruboris cernitur. Oedema usque ad partem posteriorem ligamentorum glottidis effusum est. Laryngis et cartilaginis cricoideae pariete posteriore dissecto abscessus cavitas detegitur, cujus paries anterior cartilagine cricoidea, quae aliquam in partem pure erosa est, formatur. In cavo ipso exigua tantum puris invenitur copia. Lamina posterior cartilaginis cricoideae perichondrio nudata corrosa et aspera est; substantia ejus microscopii ope examinata pingue referta invenitur. Cavitatem abscessus specillo si perscrutamur tumor conciformis granulationibus, quae fistulae aditum circumdant, effingi intelligitur; fistula ipsa in abscessus cavum se aperit. Annulus tracheae cartilagineus tertius et quartus dissecti sunt. Bronchia majora parvam sanguinis fluidi copiam, atque pulmonis sinistri minora aliquantum sanguinis coagulati continent. Pulmones pleurae costali quidem adhaerentes, ceterum normales.

In cavo pericardii Unc. IV. seri; membrana ejus nonnullis in locis exsudatis depositis tumefacta et glabritate propria privata est. In cavo abdominis glandulae lymphaticae mesenterii ad magnam partem tumefactae; dissectae pus massamque

Digitized by Google

caseosam emittunt. In regione ileo-coecali ulcera typhosa compluria, quae et jam sanata sunt, et ad cicatricem tendunt, inveniuntur. Lien justo major. Hepar renesque normales.

Ex illis, quae supra de ratione, qua perichondritis laryngea typho exstare solet, dixi, nostro in casu inflammationem perichondrii primariam neque ulcere typhoso exortam esse, non immerito me conjectari posse puto. Etenim haec sententia eo probatur, primum quod neque in epiglottide, neque in reliquo laryngis cavo ulcera typhosa aut cicatrices eorum inveniebantur, tum, quod abscessus, qui minimo foraminulo cum larynge communicabat, ad cartilaginem cricoideam situs erat.

Quo tempore laryngis affectio primum exstiterit quamquam pro certo dicere non audeo, tamen principium mali cum typho jam ineunte concidisse, opinione auguror. Iter molestissimum, quod aegra vento obviam flante perfecerat, irritationi laryngis inflammatoriae sequentique raucedini et aphoniae primam ansam dedisse, verisimile videtur. Tum mala sanguinis conditio typho exorta inprimis perichondritidem laryngeam et quidem suppurativam excitabat. Re leviter examinata mirum videatur, quod aegrota in decursu typhi rarissime laryngis dolorem conquereretur. Si verum indolentiam et apathiam eorum, qui typho graviter afflicti sunt, respicimus, hoc morbi signum tum primum, quum jam convaluerit aegrota, exstitisse demonstratur. Quo tempore abscessus pus in cavum laryngis emiserit, minime dicere audeo, ab natura fistulae pus tarde tantum et gradatim laryngem perforasse, non sine causa mihi derivare posse videor. Quaeritur jam, quomodo sit explicandum, coartationem laryngis ad eum, quem vidimus gradum, tam rapide progressam esse. — Atque equidem puto, subitam aliquam laryngis irritationem eo fortasse excitatam, quod aegra, quum lecto surgeret, collum aliquantum contenderet, spasmum glottidis procreasse, quo quidem odema jam enatum etiam auctum sit. —

Quod ad aetiologiam perichondritidis laryngeae attinet, sexum virilem imprimis morbo obnoxium esse, commemoratu dignum est. Inter casus morbi tredecim, quos Albers collegit, viri fuerunt undecim; nec non observationes ab Dittrich collatae mulieres morbo rarissime laborare ostendunt. Restat, ut de symptomatologia perichondritidis laryngeae breviter disseram. — Non possumus non confiteri symptomata hujusce affectionis minus aperta et perspicua esse atque cum iis, quae sunt laryngitidis, prorsus fere congruere. Ingruit morbus raucedine, quae ad aphoniam perfectam saepissime crescit; accedit plerumque laryngis dolor modo major, modo minor, qui pressu augetur. Nonnunquam aegri solum aestus sensum in cavo laryngis queruntur. Vexantur etiam tussi brevi, clangosa; sputa mucosa non valde copiosa, striis sanguinis non ita raro intermixta. Fauces ruborem inflammatorium exhibere solent. Quodsi denique progredientc morbo pus in abscessum congeritur pro sede et ambitu ejus varia exstant signa. Modo enim si pus magis pharyngem versus diffunditur, deglutiendi

Digitized by Google

difficultates maxime eminent, modo verum, si membrana mucosa pure cartilagine avulsa est saccusque abscessus in cavitatem laryngis prominet, signa impeditae respirationis praecipue procedunt. Aegri non nisi summo cum labore spiritum ducunt; aër cum strepitu stridente per laryngem coartatum intrat. Simul summa vexantur anxietate aegroti; facie livida, frigida, sudore cooperta, oculis ex orbitis propulsis erecti in lecto sedentes miseri miseram offerunt imaginem. Pulsus frequentissimus, parvus. Si denique abscessus, quod interdum evenit, in laryngem seu tracheam effunditur, majore vel minore puris cum sanguine et frustulis cartilagineis commixti copia ejecta, respirandi difficultates paululum remittere, mox vero, seu pure denuo in abscessum confluxo, seu glottidis oedemate accedente, adeo increscere solent, ut aegri semper fere suffocati pereant. — Pus si foras evadere tendit, major laryngis intumescentia exstat, vel etiam abscessus, qui fluctuationis sensum praebet, conspicitur. Glandulas colli lymphaticas semper fere tumefactas esse, Albers commonet. Utplurimum autem et quidem tum maxime, quum perichondritis laryngea alios comitatur morbos, ineunte morbo symptomata allata aut prorsus desunt, aut tam minuta sunt, ut medici observationem fugiant. Quibus in casibus omnia summae dyspnoeae signa subito et inopinate ingruunt et quoque remedio frustra adhibito, aegri occumbunt.

Diagnosin morbi difficillimam esse atque adeo non ita raro omnino non confirmari posse, jam perspicuum est. Sin autem symptomata laryngitidis graviora in illis, quos supra nominavimus, morbis subito exstant, perichondritidis laryngeae suspicionem ut alamus adducimur. Sed tum demum diagnosis certior fit, quum praeviis signis, quae graviorem laryngis affectionem indicant tumor sub integumentis laryngis externis, qui fluctuationis sensum praebet, conspicitur, vel, abscessu in laryngem perrupto frustula cartilaginea una cum pure et sanguine rejiciuntur.

Exitus perichondritidis l. semper fere lethalis est, quum aegroti suffocati moriantur, seu quod saccus abscessus, seu quod oedema subito exortum seu quod fragmentum cartilaginis laryngi illapsum glottidem claudunt. Qua ratione tamen fieri possit, ut aegri ad sanitatem perducantur, jam supra commemoravi.

De cura perichondritidis laryngeae propria praecipere non audeo; eadem autem quae in laryngitide vera adhibentur remedia, etiam in perichondritide laryngea laudanda sint. — Quodsi inflammatio perichondrii laryngis alium comitatur morbum, eum ut idoneis remediis impugnes, suadeo. Ne aegrotus suffocatus obeat in hac laryngis affectione tracheotomia meliore quidem jure, quam in laryngitide membranacea, indicata est.

Digitized by Google

THESES.

1) Typhus diaeteticis magis, quam pharmaceuticis debellandus remediis.

2) Tracheotomia in laryngitide membranacea prorsus rejicienda est.

3) Certa ulceris venerei primarii diagnosis fieri non potest, nisi inoculatione viri.

4) Gastromalacia morbus non est.

Digitized by Google

1855. VII.
MEDIC. IV.

NONNULLA
DE
VACCINIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

ADOLPHUS RITTER
KILIENSIS.

KILIAE.
EX OFFICINA C. F. MOHR.
1855.

Digitized by Google

Imprimatur.

C. C. Th. Litzmann,

h. t. Dec.

Digitized by Google

VACCINAE VACCARUM.

Vaccinae vaccarum exanthema locale sunt, quod ruminibus solum, nunquam locis pilosis apparet, neque, ubi genuinum est, basim ruminum excedere videtur. Vaccina non, ut Batemanus[1]) putat, ad vesicularum, sed ad pustularum genus pertinet. Est enim pustula cellulosa, lympha initio pellucida, dein purulenta repleta, modo subcoerulea, modo helvola, modo denique rubella, quae plerumque quidem colorem ruminum sequitur, saepe autem areola inflammata et rubicunda redimitur.

De vaccinarum structura microscopica, etsi, quantum scio, explorationes nondum factae sunt, attamen constat, cellulosas esse pustulas, ita ut, si alicubi pungendo foramina efficiantur, nunquam tota lympha effluat, sed laesae solae evacuentur cellulae. Qua conditione prorsus differunt ab exanthemate quodam vesiculoso, quod idem in ruminibus invenitur, neque unquam rectum vaccinae contagium continet. Pustulis tabulam, quam dicunt, variolosam *(Pockenscheibe)* inesse Simonis[2]) explorationibus in dubium vocatum est. Plurimae, sed non omnes pustulae in centro instructae sunt fovea, quae vero ob crustam mature increscentem cognitu difficilis esse solet. Quod attinet ad formam pustularum, non semper rotundae, interdum et ovatae et dentatae et denique forma abnormes inveniuntur. Jennerus semper abnormes, Sacco semper rotundas pustulas esse dicit. Rotundam formam cum Heringio crebriorem esse arbitrer, neque enim ipse nisi rotundas aut ovatas vidi, neque in picturis, quas pater meus ad naturam delineavit, inveni.

Vaccinas tres vel quatuor dies latere testes sunt Sacco et Numannus. Quo tempore praeterlapso papula interdum halone rubro atque inflammato cincta oritur, quae crescit et paucis diebus in pustulam mutata plerumque maturius, quam vaccina hominum, crusta subfusca et cornea obducitur, quae ex umbilico orta usque ad fines propagatur. Die octavo vel nono materies densa et purulenta et inutilis fit ad inoculationem. Iterum octo vel novem diebus exactis crusta decidit et cicatricem cellulosam atque albam relinquit. Perdurantis autem suppurationis atque incrustationis pater meus[3]) approbante Heringio[4]) causas esse dicit vulnera, quae mulgendo fiant. Hoc enim modo ulcera irregulariter dentata crustis crassis, subfuscis obtecta exoriuntur.

---

1) *Bateman, Hautkrankheiten.*
2) *Simon, Hautkrankheiten.*
3) *Pfaff, Mittheilungen aus dem Gebiete der Medicin, Chirurgie und Pharmacie. Jahrg. II. Heft II.*
4) *Hering, über Kuhpocken an Kühen.* 1839. *p.* 124.

Digitized by Google

Materies vaccinarum genuinarum lympha glutinosa, limpida, subflava est, cujus naturam chemicam copia satis magna deficiente nec accuratius inspicere potui, nec ab aliis exploratam esse inveni.

Nonnulli auctores vaccas vaccinis affectas symptomatibus universalibus urgeri dicunt. Sacco et Youatt febrem universalem, lac diminutum, minorem ciborum appetentiam, oculos languidos, ruminationem, dum os vacet, symptomata esse vaccinarum commemorant. Jam vero Neergaardius[1]) et post eum Heringius[2]) aliter senserunt. Pater meus nonnisi depravationem lactis, nec eam quoque constantem animadvertit; Jennerus[3]) quoque, quippe qui magnum symptomatum universalium vaccinatorum pretium statuat, haud aliter sentire videtur, dicens: „The animals become indisposed.“ Quae quomodo se habeant, hoc quidem constat, symptomata universalia vaccinarum maxime varia esse, quin etiam saepius omnino deesse, quare nullo modo (id quod nonnulli voluerunt) diagnosis differentialis inter vaccinas genuinas et spurias iisdem fundari possit.

Etsi dubitari non potest, quin vaccinae contagiosae sint, tamen contagium dumtaxat fixum esse, et nonnisi translatione directa inficere videtur. Quum autem contagii a vacca ad vaccam translatio saepius difficilis sit inventu, et quum vaccinae septemtrionalibus quidem regionibus totas plerumque vaccarum greges implicent, auctores, qui vaccinas epizooticas esse dixerint, non defuere. Hoc autem falsum est; vaccinae sporadice oriuntur. Haud raro autem totae greges inficiuntur, quia omnes vaccae iisdem nocendi viribus eodem modo afficiuntur. Duarum gregum diversis, licet ejusdem regionis, pascis pabulantium altera vaccinis corripi, altera intacta manere potest, nisi contagium a mulgentibus, vel alio modo directe transfertur.

Etsi vaccinae vere vel autumno saepissime boves lactarias invadunt, tamen Heringio auctore vitulae quoque, sed raro quidem, inficiuntur. Vaccae, quae semel vaccinis defunctae sunt, nonnunquam ac fortasse haud raro iterum eodem morbo implicari posse videntur. Interdum autem vaccinas secundas celerius atque irregularius excurrere et minores pustulas producere pater meus observavit.

Multa antiquitus de spuriis vaccinis dicta sunt, quin etiam Heringius septem earum genera distinguit. Ego vero in patris mei explorationibus nixus unum tantum spuriarum vaccinarum genus existere arbitror; nec non Eimero[4]) assentior, qui cetera genera nonnisi veras sed exilius proruptas vaccinas esse dicat. Nam praeter inflammatorium exanthema vesiculosum, quod ruminibus inhaerere solet et ex mulgendi irritationibus nascitur, in pilosis uberorum partibus, non in ruminibus, vesiculae, quae nunquam contagium vaccinosum in se continent, inveniuntur. Quae vesiculae pisi

1) *Viborg, Sammlung von Abhandlungen. Bd. IV. p.* 348.
2) L. c. p. 117.
3) Jenner, An inquiry into the causes and effects of the variolae vaccinae. 1798.
4) *Eimer, die Blatternkrankheit in pathologischer und sanitätspolizeilicher Beziehung.* 1853.

Digitized by Google

amplitudinis, straminei coloris, structura cellulosa carent, et incisae flava lympha emissa omnino vacua fiunt. Pater meus ab anno 1825 usque ad annum 1852 quinquagies et semel vaccinas veras, et quater (semel simul cum genuinis, sed non in una et eadem vacca) spurias vidit.

VACCINAE HOMINUM.

Hominibus, qui neque variolis defuncti, neque vaccinati sunt, si lympham vaccinosam inseres, locis, quibus vaccinarum semen immissum est, propriae pustulae existunt. Statim enim post inoculationem incisiones leviter quidem, sed transitorie intumescunt. Secundo vel tertio die interdum tumor atque dolor glandulas axillares invadunt, sed brevi evanescunt. Quarto die loco incisionis nodulus quidam rubicundus et pruriens existit, qui crescere et quinto die in apice vesiculam pellucidam gignere solet. Vesicula continuo crescens septimo die in manifestam pustulam foveola centro praeditam, lymphaque clara pellucidave repletam vertitur. Turgentibus glandulis axillaribus sexto vel septimo die febris modo levior, modo gravior incipit. Die octavo pustula perfecta, lympha clara, pellucida, lenta tumens, colore matricis margaritarum, magnitudine ossis cerasi, areola duplici inflammatoria et rubra cingitur, quam ob rem a Jennero „the pearl in the rose“ vocatur. Quam pustulam si incideris, lympha particulatim parvis modo guttis effluit. Post diem octavum lympha turbida et ad diem undecimum purulenta fit; febris modo renascitur, modo non. Per mediam pustulam macula fusca diffunditur, quae in crustam tenuem mutata, mox pustulam in dies imminutam obtegens, siccior et friabilior facta, ad diem vicesimum, fovea parum profunda remanente, delabitur.

Anatomica pustularum vaccinosarum structura parum inquisita est; auctores vero pustulas vaccinarum aeque ac variolarum exstructas putasse mihi videntur, quia duo exanthemata aequalia haberent. Subtilibus accuratisque Simonis [1]) disquisitionibus certiores facti sumus, tabulam variolosam *(Pockenscheibe)*, quam plerique auctores exsistere putant, omnino deesse. Ego quidem non possum, quin Simoni assentiar, qui foveolam non pseudomeninge interioris pustulae, sed incisione oriri existimet. Permultis, quorum videndorum occasionem habui, casibus cum Simone formam umbilici semper vulneri respondere vidi. Quotiescunque enim, ut majorem pustulam producerem, incisionem longiorem feci, foveola oblonga exorta est; punctio vero parvam et rotundam foveolam genuit. Quum aliquando infans inter inoculandum manum lanceolae objiciens indicis volae vulnus oblongum intulisset, magna pustula exstitit, cujus foveola vulneri accurate respondit, id quod eos, qui foveolam glandulis sebaceis fieri velint, refutat. Similem casum Dr. Cosson narrat apud Simonem. Quae quum ita sint, inflammatione, quam incisio gignit, cutem epidermidi agglutinari arbi-

1) L. c. p 151.

Digitized by Google

tror, quo fit, ut, quum deinceps lympha inter cutem et epidermidem cumuletur, hoc loco epidermis recedere nequeat, et cuti inhaerens foveolam faciat. Structura cellulosa eo efficitur, ut quibusdam locis epidermis cuti inhaereat.

Constat lympha vaccinarum e claro liquore et cellulis, ad instar corporum cytoidum *(Eiterkörperchen)* conformatis, (diametr. 0,004‴—0,007‴) et Simone auctore e nonnullis moleculis (diametr. 0,001‴—0,0005‴). Omnibus, quos ego institui, inquisitionibus lympham alcaline reagentem inveni, sed interdum neutraliter reagere dicitur. Accuratior quidem analysis chemica mihi non innotuit.

Cicatrix, quae remanet, alba et lacunosa, lineas reticulosas et puncta fusca exhibet. Quo magis veterascunt cicatrices, eo magis et color albus, et lineae punctaque evanescunt, ita ut denique ab epidermide cicatrix jam distingui non possit. Attamen homines quadraginta vel quinquaginta annorum vidi, qui puerili aetate vaccinati cicatrices valde expressas exhiberent.

Ut autem lympha vel vacciolarum, vel paronychiae equorum erysipelatosae, sic etiam vaccinarum hominum lympha transferenda in hominibus, producuntur vaccinae. Ab homine ad hominem translatio usitatissima est, et, si diligenter fit, semper fere feliciter evenit; a vacca ad hominem autem, etsi summam diligentiam adhibeas, tantum fere decimo quoque casu succedere solet. Cujus rei cognitionem quum jam dudo habuissent, non defuerunt, qui vaccinas morbum hominibus proprium, et ab iis ad vaccas translatum esse vellent. Quam autem conclusionem falsam esse, eo apparet, quod quemque morbum alii animalium generi proprium ad aliud difficiliter transferri posse videmus. Ut uno ex multis exemplis utar, Syphilidem nomino, cujus in bestias translatio longa tantum experimentorum serie successerit. Ceterum contagium vaccinarum hominum fixum esse et lymphae inhaerere constat. Nonnisi directa lymphae insitione vaccinae gignuntur.

Infantum in vaccinas receptivitas major esse dicitur, quam adultorum, cujus opinionis causa esse mihi videtur, quod hodie soli fere infantes puerive vaccinari solent. Qua de re nihil certius edocere possum, quia occasio inoculandi adultos neque vaccinatos, neque variolis defunctos fere omnino mihi defuit; revaccinationes autem, quas observavi, receptivitatem usque ad tricesimum circiter annum non mutari, deinde autem evanescere docent. Cujus rei probandae causa tabellas nonnullas, quas e patris mei tabulis vaccinatoriis (*Vaccinationsprotocollen*) composui, addere mihi liceat.

Vaccinatorum 6413 ab anno 1846 usque ad annum 1854 fuerunt:

Pueri nondum annum nati	1240
Pueri 1—4 annorum	3539
Pueri 4—8 annorum	1172
Pueri octo annorum et majores	462
Summa	6413

Digitized by Google

Tab. I.

Aetas.	Incisiones octo factae pustulas genuerunt: 0	1—3	4	5—7	8	?	Summa.
Pueri nondum annum nati	26	172	81	440	474	47	1240
Pueri 1—4 annorum	45	434	228	1233	1471	128	3539
Pueri 4—8 annorum	21	147	80	403	476	45	1172
Pueri octo annorum et majores	7	52	29	148	187	39	462
Summa	99	805	418	2224	2608	259	

Summa 6413

Pueri 99, quorum incisiones pustulis carebant, subierunt octo post dies revaccinationem, cujus eventus fuit hic:

Tab. II.

Aetas.	Incisiones octo pustulas genuerunt: 0	1—3	4	5—7	8	?	Variolis defuncti.	Jam pridem vaccinati.
Pueri nondum annum nati	1	3	4	3	4	9	1	1
Pueri 1—4 annorum	2	3	0	7	10	20	3	0
Pueri 4—8 annorum	2	1	0	5	4	8	0	1
Pueri octo annorum et majores	1	1	0	1	0	2	0	2
Summa	6	8	4	16	18	39	4	4

Summa 99

Ratio numeralis *(Procentverhältniss)* est igitur haec:

Tab. III.

Aetas.	Incisiones octo produxerunt pustulas: 0	1—3	4	5—7	8	?
Pueri nondum annum nati	2,10 pCt.	13,87 pCt.	6,53 pCt.	35,48 pCt.	38,23 pCt.	3,79 pCt.
Pueri 1—4 annorum	1,27 pCt.	12,26 pCt.	6,44 pCt.	34,84 pCt.	41,57 pCt.	3,62 pCt.
Pueri 4—8 annorum	1,79 pCt.	12,88 pCt.	6,83 pCt.	34,39 pCt.	40,61 pCt.	3,84 pCt.
Pueri 8 annorum et majores	1,52 pCt.	11,26 pCt.	6,28 pCt.	53,68 pCt.	40,48 pCt.	8,44 pCt.

Digitized by Google

Tab. IV.

Ratio numeralis revaccinationum, quae prospere evenierunt.

Pueri nondum annum nati	93,33 pCt.
Pueri 1—4 annorum	90,91 pCt.
Pueri 4—8 annorum	83,33 pCt.
Pueri 8 annorum et majores	66,67 pCt.

Demonstrant igitur tabulae pueros diversarum aetatum eadem fere receptivitate esse praeditos. Eorum quidem, qui nullas pustulas nacti sunt, inter pueros nondum annum natos major est numerus (2,10 pCt. Tab. III), quam inter majores natu; sed hujus differentiae causam esse arbitror majorem difficultatem in infantibus diligenter inoculandis. Nec non Tab. IV revaccinationem infantum nondum annum natorum plerisque casibus et multo quidem crebrius, quam aliorum ordinum prospere evenisse docet. Puerorum octo vel plus annorum numerus (53,68 pCt. Tab. III), quorum pustulae incisionum dimidiam transgressae sunt, multo quidem major est, quam aliorum ordinum, sed omittendum non est, plurimos hujus aetatis pueros hieme summa cum diligentia vaccinari solere, ne lympha vaccinosa deficiat. Quam differentiam parvam ac fortuitam si relinqueris, singulae aetates eadem fere receptivitate fruuntur, quare neque iis, qui receptivitatem inde a primo aetatis anno minui, neque iis, qui infantes nondum annum natos minore receptivitate, quam majores natu praeditos esse velint assentiens aetatem puerorum ad contagium vaccinae recipiendum haud multum valere existimo.

DE DIVERSIS VACCINARUM ET VARIOLARUM CONDITIONIBUS.

Jenneri jam temporibus iterum atque iterum quaesitum est, *utrum variolae et vaccinae exanthemata sint aequalia externis modo conditionibus discrepantia, an diversi simili modo decurrentia?* Quae quidem quaestio neque parvi momenti ad doctrinam vaccinarum, neque minoris utilitatis est. Breviter igitur utriusque opinionis argumentis enarratis, cujus major sit auctoritas videamus.

Primo eo, quod hac de re scripsit, libello Jennerus vaccinas vaccarum morbum paronychia equorum erysipelatosa genitum in vaccas translatum esse voluit, seriore autem tempore vaccinas morbum vaccis proprium, variolas vero vaccinas in hominibus exacerbatas esse putabat. Jam inde a Jenneri temporibus permulti auctores vaccinarum et variolarum aequalitatem tueri conati sunt, quo facilius, ut ego suspicor, vaccinarum vim tuendi explicare possent. Sed plurimi auctores singulis tantum experimentis sese tuentes alias, qui contrarium docent, inquisitiones sive ignorant,

Digitized by Google

sive ignoscere volunt, et mihi quidem nimia cum levitate in hac re versari videntur. Accuratissime eam Baronus[1]) tractat, qui ad Ceelyi experimenta provocat.

Exanthematum aequalitatem probant, quae sequuntur:

Dr. Sonderlandius, circuli Barmensis physicus, vaccas stratis variolarum contagio quam maxime satiatis obtectas in mammis vaccinas genuinas recepisse contendit.

Thielus,[2]) medicus Kasanus, anno 1836 vaccis lympha variolarum inoculandis vaccinas genuinas se produxisse dicit. Anno 1838 eundem eventum nactus ex lympha, quam ita sibi comparaverat, plus quam tribus millibus hominum inserta veras vaccinas oriri vidit, nec non ex lympha variolosa per aliquod tempus inter tabulas vitreas reposita et lacte vaccarum diluta vaccinas veras pueris se inseruisse contendit.

Anno 1839 Baronus librum illum, qui inscriptus est: „The present state of vaccination," edidit, in quo aequalitatem vaccinarum et variolarum firmare conatur. Antiquioribus jam temporibus inter vaccas quum Continentis, tum Angliae variolas malignas viguisse, narrat. Vaccas Bengalenses jam inde a priscis temporibus pustulis, quas indigenae nominent „mhata" vel „gotee" (eodem nomine variolas quoque appellant), laborasse. Talis epizootiae residuis in ducatu Glocestriensi repertis Jennerum ad prima experimenta facienda usum esse putat. Browniun Silhetensem e crustis a tergis ventribusque vaccarum variolis infectarum depromptis in quatuor pueris vaccinas genuinas produxisse. Doctorem Waterhouse Jennero scripsisse: *„Bei einer der periodischen Impfungen, welche in Neuengland ein Mal in 8 oder 9 Jahren vorkommen, trieben verschiedene Leute ihre Kühe in ein Hospital, das in der Nähe eines volkreichen Dorfes war, in der Absicht, ihren Familien den täglichen Genuss ihrer Milch zu verschaffen. Diese Kühe wurden von Personen gemolken, welche die Pocken in jedem Stadium hatten. Die Folge davon war, dass die Kühe eine Ausschlagskrankheit an ihren Zitzen und Eutern bekamen, so ähnlich den Pocken, dass Jedermann in dem Hospitale, so gut als der Arzt, der mir die Geschichte erzählte, erklärte, die Kühe haben die Pocken."* In schola veterinaria Berolinensi vaccam lympha variolosa inoculatam et pustulas nactam esse; Viborgium Hafniensem eundem morbum canibus, simiis, porcis intulisse. In Aegypto quoque lympham vaccinosam variolis insertis procreatam esse. Postremo ad Ceelyi experimenta provocans hisce omnibus argumentis aequalitatem vaccinarum et variolarum satis probatam esse existimat.

Ceelyus enim anno 1839 ex vaccis, quibus variolas inseruerat, pustulas vaccinis simillimas nactus est. Permultorum, quibus hanc lympham inoculaverat, puerorum alii bonas modo pustulas locales, vaccinis similes, alii variolas veras et saepe malignas susceperunt.

---

1) Baron, Report of the Section appointed to enquire into the present state of vaccination, read at the Anniversary Meeting of the Provincial Medical and Surgical Association, held at Liverpool. the 25. Jul. 1839. *Deutsch v. Gmelin* 1840. Transactions of the Provincial Medical and Surgical Association. VIII.

2) *Henke, Zeitschrift* 1839. *Heft* 1.

Digitized by Google

Historia igitur harum animadversionum breviter relata nunc res, quibus viri celeberrimi se tueri conati sunt, in ordinem quendam redactas singulas refellere mihi in animo est.

1) Et jam priscis temporibus et nuper (in Gowalpora, pago Indiae orientalis) boves pestilentiis, quas observantes variolas esse judicavere, correpti sunt.

2) Hae pestilentiae iisdem temporibus viguerunt, quibus homines epidemiis variolosis laboraverunt.

3) Simul pustulae quoque leviores et locales inter boves serpserunt.

4) Hunc morbum Indi eodem nomine quo variolas appellant.

5) Simiae, canes et aliae bestiae, quibus variolae insertae erant, variolis affectae sunt.

6) Et equi, et oves, et vaccae epizootiis variolosis corripiuntur, quae magna similitudine inter se vel bonae, vel malignae esse possunt.

7) Variolae pueris insertae exanthema plerumque levissimum et locale, vaccinisque simillimum gignunt.

8) Vaccae contagio varioloso expositae variolas nactae sunt.

9) Lympha variolosa vaccis inserta vacciolas locales produxit, quae ad pueros translatae pustulas quod attinet ad decursum et benignitatem et formam vaccinis similiores genuerunt.

10) Lympham variolosam lacte dilutam si pueris inseres, vaccinae oriuntur.

11) Raro etiam insitione vaccinarum eruptiones pustularum generales gignuntur (Woodwille).

Ad 1. Praeter epizootias variolosas, malignas, quarum antiquiores scriptores mentionem faciunt, ab anno 1745 usque ad annum 1780 in Anglia quoque inter boves epizootiam malignam percrebruisse legimus. Eodem tempore hunc morbum in Picardia quoque fuisse Comes vicarius d'Azyr narrat. In Bengalia et Glocestria 1825 epizootiae observatae sunt, in quibus vaccae ab ungulis ad cornua pustulis obtectae fuerunt. Anno 1839 Gowalporam eppizootia invasit, quae ad pueros translata symptomata tam violenta suscitavit, ut medici lympha variolosa homines inoculare mallent. Gibsonius[1]) quoque epizootias malignas describit, in quibus vaccae violentis symptomatibus accedentibus pustulis, quae etiam in labra et linguam et pharyngem pertinebant, obserebantur. Etsi igitur negari non potest, quin boves epizootia maligna obrui possint, mirandum tamen est, quod observatores diligentes eam cum vaccinis semper localibus, solis vaccarum ruminibus insidentibus et sine febri decurrentibus confuderunt. Omnes enim auctores inter se consentiunt exanthema illud malignum nunquam solis ruminibus insidere. Eo accedit, quod epizootiae semper iis temporibus exstiterunt, quibus inter homines variolae grassatae sunt, quare morbum illum vaccarum

1) Transactions of the Medical and Physical society of Bombay. Vol. I.

Digitized by Google

pro variolis quidem, sed non pro vaccinis habere possumus. Factis non dubiis probatum est, variolas inoculando ad bestias transferri posse; cur non illae epizootiae fuerunt variolae? fons et occasio infectionis hercle non defuit; et cur hodie non in Germania epizootiarum fit mentio, quum tamen vaccinae adhuc saepius ibi grassentur? Propterea, puto, quod vaccinatione legibus firmata epidemiae variolosae neque tam generales, neque tam malignae amplius exstiterunt. Ceterum, ut jam supra dictum est, vaccinae sporadice tantum inveniuntur.

Ad 2. Quod epizootiae malignae simul cum epidemiis variolosis vigere solent, non potest, quin nostram opinionem firmet. Neque enim in Holsatia neque aliis regionibus vaccinae simul cum variolis grassantes observatae sunt. Lüders [1]) intra undecim annos septem epizootias vaccinarum in Holsatia observavit, per quod tempus, quantum ego quidem compertum habui, nulla epidemia variolosa major exstitit. Heringius quoque, qui annis 1825—37 in Würtenbergia crebras vaccinas, sed sporadicas tantum, viderit, ne unius quidem epidemiae variolosae contemporalis mentionem facit, id quod observator accuratissimus certe non omisisset; nec non pater meus, qui in Holsatia annis 1825—52 semel et quinquagies veras vaccinas observaverit, nunquam epidemiam variolosam simul cum iis increbruisse dicit.

Ad 3. Quod attinet ad leviores epizootiarum malignarum casus plurimi auctores vaccas paucis modo pustulis, quae minime solis ruminibus, sed etiam cervice, labris, dorso etc. insiderint obtectas fuisse dicunt. Bonae quaedam pustulae, solis ruminibus inhaerentes, quas nonnulli scriptores simul cum tali epizootia viguisse dicunt, verae quidem vaccinae fuisse possunt, observatores vero in eo erraverunt, quod, quae forte simul facta sunt, aequalia esse censuere.

Ad 4. Apud Baronum, Eimerum [2]) et alios multum valere videtur, quod Indi pustulas sive bonas, sive malignas eodem nomine, quo variolas appellent. Quae res si aliquam vim probandi haberet, non ad Indos nos recurrere opus esset; nostra enim lingua omnia hujus generis exanthemata „*Pocken*“ apellantur; Francogalli ea „boutons“, Angli „pox“ appellant. Sin autem e nomine quodam, quod vulgus diversis morbis imponere soleat, aequalitatem eorum judicare volumus, cur tandem exempli causa nemo adhuc Pericarditidem et Pleuriditem, Bronchitidem et Pneumoniam aequales esse dixit, quippe qui morbi a vulgo omnes uno nomine „*Brustentzündung*“ appellentur. Praeterea Dr. Stewart [3]) refert: Indigenas hunc morbum mattah perseveranter appellasse, etiam corporibus animalium quovis pustularum genere vacantibus; symptomata fuisse febrim, sitim, obtusum stomachum et paucis diebus post purgationem vehementem, salivationem profusam, catarrheuma narium; quarto die ulcera in lingua

1) *Hufeland's Journal. October* 1824.

2) *Eimer, die Blatternkrankheit in pathologischer und sanitätspolizeilicher Beziehung.* 1853.

3) Stewart, Report on smallpox in Calcutta 1833—34, 1837—38, 1843—44 and vaccination in Bengal from 1827 to 1844. Calcutta 1844.

Digitized by Google

pharyngeque et alvos cruentas exstitisse et brevi post bestias morbo consumtas esse. Pergit deinde: „In a good many cases certain rough elevations were printed ont to me on the skin, having the hair turned back or ruffled over a small phlegmonous base. A number of them undoubtly were produced by the burrowing of vermin or bites of insects, but many may also have been pustules without supposing them possessed of a specific character.“ Quibus verbis quum pustulosa hujus morbi conditio plurimis casibus in dubium vocetur, argumenta adversariorum confutata esse mihi videntur.

Ad 5. Ex inoculationibus, quas Viborgius, Pauletus, Hogardus et alii fecerunt, sequitur, ut animalibus quidem variolae inseri possint, non autem, ut variolae et vaccinae aequales sint.

Ad 6. Paronychia equorum erysipelatosa vaccinas vaccarum, utpote quae nunquam malignae sunt; variolae ovillae vero variolas hominum et exanthemata vaccarum malignum, quod ego variolas esse dico, omnino aequiparant. Variolae ovillae toto corpore diffusae ne optima quidem forma ruminum finibus continentur, et ex longinquo inficiunt et epizooticae sunt, quibus omnibus rebus a vaccinis vaccarum valde differunt. E nonnullorum symptomatum similitudine incautius de aequalitate illorum morborum conjectura facta, diversa animalium exanthemata commixta sunt.

Ad 7. Acrius animadvertendum est in id, quod nonnulli voluerunt: inoculationem variolarum exanthema vaccinis simillimum producere. Quum, ut supra demonstravimus, pustulis vaccinosis tabulae variolosae prorsus desint, variolosae autem pustulae pseudomeningem habeant, facillima est variolarum et vaccinarum distinctio. Gravissimi praeterea momenti ad variolas a vaccinis discernendas est, quod variolae eadem lympha genitae modo optimae, modo maxime malignae esse possunt, ita ut nunquam praedici possit, lympham a puero variolis mitissimis affecto sumtam in alio puero variolas gravissimas et toto corpore diffusas non producturam esse. Vaccinae autem insertae semper bene decurrunt, et ne uno quidem casu ab observatoribus fide dignis allato exanthema generale genuerunt.

Ad 8. Sonderlandii experimenta postea saepe repetita, certiores nos hac de re non fecerunt. Quibus in vaccis producta esse exanthemata, etsi minime dubitare velimus, tamen ea vaccinas fuisse non probatum est.

Ad 9. Ji, qui doctrinam aequalitatis defendunt, maxime eo nituntur, quod Thielus, Ceelyus et alii lympham variolosam vaccis inserendo vaccinas nacti sint. Quum jam diu inoculationem variolarum in pueris pustulas variolosas saepissime bonas, saepe locales producere constet, mirandum non est, quod variolae primum vaccis, deinde hominibus insertae bonae atque locales fieri soleant. Lympha variolosa sexcenties a magno medicorum numero, sed plerumque frustra, vaccis inoculata est. Pauca quidem, quae prospere cesserunt, experimenta lympha variolosa pustulas in vaccis generari posse demonstrant, sed quaeritur, sintne pustulae vaccinosae an vario-

losae? Jam Gregory [1]) mancam experimentorum Ceelyi conditionem notans dicit: „Areolam pustularum lympha variolo- vaccinosa (i. e. lympha, quae a vaccis, quibus variolae insertae sunt, sumitur) genitarum *fusciore esse rubore*, et *ipsam pustulam semper punctum viride in medio habere. Vaccinam margaritam super rosam jacentem, variolo-vaccinam margaritam rosa cinctam, zmaragdum includentem* reddere. Hisce notis variolo-vaccinas semper dignosci posse, ac praeterea *symptomata* earum *quum localia, tum generalia acriora* esse, quam vaccinarum. Addit: *Veram vaccinam nullas anomalias* exhibere; *pueros, quibus vaccinae insertae sint, eodem posterae hebdomadis die cum exspectato pustularum genere redire; eos autem, quibus variolo-vaccinae insertae sint, hac constantia carere; eandem lympham* iterum ac saepius translatam *modo mitissimum, modo acerrimum morbum* producere. *Omnibus modis variolo-vaccinas a veris vaccinis longe abesse, variolas autem veras aequare.*“ Ipse Brownius [2]) inoculationis variolarum defensor studiosissimus, Ceelyi experimenta non apta esse, dicit, ad confusam doctrinam vaccinarum extricandam. *Insitionem variolo- vaccinarum nihil aliud esse, quam inoculationem variolarum.* Ipsum Ceelyum symptomata et localia et generalia *talia* descripsisse, *qualia simplici variolarum inoculatione procrearentur. Ceelyi inoculationes nihil nisi lympham variolosam* produxisse.

Vacca, cui Berolini variolae insertae sunt, pustulas quidem nacta est, *lympha vero earum in homines translata veras variolas genuit.* Dr. Reiterus [3]) Monacensis, postquam intra decem annos amplius quinquaginta vaccis variolas diversis modis, sed frustra inseruerat, tandem anno 1839 in una vacca pustulam nactus est. Quae pustula rotunda, subflava, areae rubicundae, leviter inflatae insidens paululum super cutem eminens, foveolam centro instructa, exiguam lymphae copiam in cellulis continuit. Puer, cui Reiterus hanc lympham inoculavit, *non vaccinis, sed variolis* correptus est. Qua argumentorum copia plane firmatum esse mihi videtur, lympham, quam Ceelyus et alii variolas vaccis inserendo produxerunt, non vaccinosam, sed variolosam fuisse.

Ad 10. Lympham variolosam lacte dilutam vaccinas gignere in dubitationem vocare mihi liceat. Argumenta quidem in contrariam partem afferre nequeo, sed quantam, quaeso, vim probandi Thieli, qui variolas leviores a vaccinis ne distinguere quidem potuerit, argumenta habere possunt; imprimis quum ipse ex hisce insitionibus in pueris interdum variolas ortas esse dicat. Ceterum lympha variolosa quum lacte vaccarum, tum aqua, aliisque liquoribus tenuari quidem potest, vaccinosa fieri non potest.

---

1) *Henke, Zeitschrift.* 1841. *III. p.* 463.

2) Thom. Brown, An investigation of the present unsatisfection and defective state of Vaccination and the several experiments proposed for removing the new aknowledged defects of the Jennerian practise in a Series of letters addressed to Dr. Gregory, Physician to the smallpox and vaccination in hospital to London. Edingb. 1842.

3) *Henke, Zeitschrift.* 1840. *III. p.* 94.

Ad 11. Exanthemata generalia vaccinatione gigni posse, adhuc minime probatum et. In casibus, quos Woodwillius [1]) et alii afferunt, exanthemata generalia saepe infectionibus variolarum aut varicellarum progenita esse putem. Interdum fortasse lympha pustulae unguibus dilaceratae in aliam corporis partem translata pustulae exstiterunt, id quod factum esse ego aliquoties plane intellexi. Vaccinas autem secundarias, quae prope incisiones existunt, e parvis vulneribus lanceola factis oriri, multis observationibus certior factus sum. Interdum etiam vesiculae eczematosae sponte ortae in areola inveniuntur, quae nunquam pustulae perfectae fiunt. Pater meus et ego in 17651, quos observavimus, casibus nunquam nisi causarum, quas supra enarravi, aliqua demonstrari poterat, aliis locis vaccinas existere vidimus.

Omnia igitur, quibus ii, qui variolarum et vaccinarum aequalitatem defendunt, nituntur, nullo sunt argumento, imo vero differentia duorum exanthematum hisce rebus probatur:

Perfectae variolarum pustulae a vaccinarum haud difficiles sunt distinctu: variolarum enim pustulae neque tam certis finibus inclusae, neque tam rotundae sunt, quam pustulae vaccinarum; variolae proprium habent odorem, vaccinae non habent; variolae cicatrices cuti concolores atque evanescentes reliquunt, vaccinarum cicatrices albae et reticulosae, serius abeunt; variolarum contagium volatile, vaccinarum fixum est; vaccinae in vaccis sponte oriuntur, variolae epidemice sparguntur.

Si variolae et vaccinae aequales essent, simul decurrere non possent; id quod tamen non raro fieri Bednarum [2]) testem habeo, qui dicit: „*Dass bei Neugeborenen, deren Mütter während der Entbindung an Blattern leiden, diese am 7. oder 8. Tage nach der Geburt ebenfalls zum Ausbruche kommen, haben wir bestätigt gefunden, und weder das Entfernen des Kindes von der Mutter gleich nach der Geburt, noch die Vaccination vermögen mehr den Ausbruch der Blattern zu verhindern, wenn schon die Ansteckung geschehen ist. Die Kinder wurden gewöhnlich gleich von den mit Blattern befallenen Müttern entfernt und geimpft, aber trotzdem sah man die Blattern am 7—8 Tage neben ganz entwickelten Vaccinapusteln zum Vorschein kommen.*“ Saccus [3]), Aikin, Heimius, Schneiderus, Moreau, Steinmetzius [4]), Légendre [5]), Clérault vaccinarum et variolarum simul decurrentium exempla afferunt, in quibus exanthemata invicem se mitigaverint. Quin Willanus [6]) semel prope ad vaccinosam variolosam pustulam nasci vidit; lympha ex illa sumta vaccinas, ex hac variolas genuit. Eimerus ipse dicit: „*Dass die beiden Exantheme in der Weise, wie Clérault es angiebt, sich gegenseitig modificiren, scheint sicher. Die Art und der Grad der Einwirkung des einen*

1) Woodwille, Reports of a series of inoculations etc. London 1799.
2) *Bednar, Krankheiten der Neugeborenen und Säuglinge. Wien* 1853. *Tom. IV.* p. 121.
3) Sacco, Trattato di Vaccinazione. Milano 1809.
4) *Deutsche Zeitschrift für Staatsarzneikunde.* 1850. *VII.* 1.
5) Archiv générale de Médicin. Sept. 1844.
6) Willan, On vaccination. London 1806.

aufs andere wird bestimmt durch den Vorsprung, den eines vor dem andern voraus hat, und mit auch wohl durch den Grad der Intensität des einen oder anderen, und immer werden entweder die Pocken von beiderlei Ursprung gegenseitig sich in ihrer Entwicklung beeinträchtigen und umstimmen, oder, wenn das eine weit genug voraus war, wird dies mehr oder weniger vollständig sich ausbilden, und das andere dem entsprechend, den Character der Localpustulation annehmen." Pater meus quoque duo exanthemata saepius in eodem puero hoc modo simul decurrentia observavit. Quomodo, quaeso, duo contagia aequalia se invicem mitigare et modificare possunt? Si vaccinae nil nisi variolae levissimae essent, variolae, utpote quae validiores sunt, semper praevalerent necesse essent; variolae sponte exortae variolis simul insertis non mitigantur, vaccinis autem mitigantur.

Majoris etiam momenti ad aequalitatem duorum exanthematum infirmandam est, quod Baronus affert: „*Wenigstens wissen wir von Individuen, die vor vielen Jahren vaccinirt waren, und welche den letzten Winter, so wie bei vielen früheren Gelegenheiten der Pockenansteckung ausgesetzt wurden, und ihr widerstanden. Eine ganz kurze Zeit nach diesem wurden sie revaccinirt, und ein vollkommnes Bläschen erschien. Ebenso ist das Gegentheil durch eine Thatsache bewiesen worden, die kürzlich zu unserer Kenntniss kam. Ein Geistlicher, der in seiner Kindheit vaccinirt worden war, wurde vor ungefähr* 10 *Monaten revaccinirt, und widerstand vollkommen der Ansteckung. Zwei Monate nachher wurde er der Pockenansteckung ausgesetzt, bekam die Krankheit und hatte sie ziemlich heftig. Wir wissen auch von Fällen, in welchen die Pocken auf die Revaccination folgten; einer fand wenige Wochen nach diesem Process statt; ein anderer wird von H. Bayle aus Thetford erwähnt. Ein Mündel von ihm wurde als Kind vaccinirt; er besorgte mehrere heftige Fälle von Pocken, und aus Besorgniss vor der Ansteckung revaccinirte er ihn selbst und er bestand die Krankheit gut. Letzten Winter, während seines Aufenthalts im Guy's Hospital, bekam er die Pocken, hatte sie schmerzhaft, und war genöthigt, die Stadt zu verlassen und aufs Land zu gehen, um seine Gesundheit wieder zu erlangen.*" Eundem hominem in duo exanthemata diversa receptivitate esse, ipsa exanthemata diversa esse demonstrat. Neque contrarium probat, quod Woodwillius et alii inserendo lympham variolosam vaccinosa mixtam primum variolas, deinde vaccinas acceperunt. In prioribus inoculationibus contagium variolosum etiam tunc validum vaccinoso mitigari quidem, sed non reprimi poterat; quo invalidius autem insitionibus continuatis fiebat contagium variolosum, eo magis vaccinosum, quod semper multo minus mutatur, praevalebat, et denique variolosum omnino exstinguebat.

Unius denique rei mentionem facere mihi restat. Variolosae quidem lymphae inoculatione variolarum epidemiarum neque frequentia, neque gravitas minuebatur; quippe quum contagium ipsis inoculationibus continenter et conservaretur et propagaretur; post introductionem autem vaccinationis epidemiae non solum minus vehementes, sed etiam multo rariores factae sunt. Quomodo tandem hoc fieri posset, si

Digitized by Google

vaccinae et variolae aequales essent? tum enim vaccinis quoque contagium variolosum et conservari et tradi necesse esset.

Quibus argumentis satis probasse mihi videor:

Variolas et vaccinas non aequalia, sed valde diversa esse exanthemata, cognatione quadam fortasse conjuncta, ad modum scarlatinae et morbillorum, sed et pustùlarum structura, et modo, quo in hominibus et bestiis apparent, et decursu, et denique contagio prorsus distincta.

Utut res se habet, semper inventum illum Jenneri, viri laude immortali digni, hominibus saluti erit, quare et medici et laici pie ac diligenter retineant vaccinationem, solum variolarum violentiae diminuendae ac mitigandae remedium; pergant quoque civitatum gubernatores legibus tueri vaccinationem, innumerabilium civium servatricem. Holsatiae, quippe quae primas vaccinationes viderit, vaccinationem constanter retinuisse, eique omnibus adversariorum rationibus spretis confidisse in aeternum laudi fore spero atque cupio!

Digitized by Google

T H E S E S.

1) Exsudata, quae dicuntur tuberculosa, microscopica investigatione qua talia saepe cognosci non possunt.

2) Cataracta nonnisi operatione sanari potest.

3) In peritonitide perforatoria opium optimum remedium et potissimum est.

4) In diagnoscendis renum morbis microscopica et chemica urinae exploratio nunquam est negligenda.

5) Versio in caput versioni in pedes omnibus, quibus fieri potest, casibus praeferenda est.

6) Perforatio membranae tympani non semper progignit surditatem.

1855. VII.
MEDIC. V.

NONNULLA
DE
TUMORIBUS OSSIUM
QUI PULSANT.
CUJUS MORBI CASUS ADJICITUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

FRIDERICUS CREUTZ
FLECKEBYENSIS.

KILIAE.
EX OFFICINA C. F. MOHR.
1855.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *Aem. Frid. Goetz,*

h. t. Dec.

Anno circiter millesimo septingentesimo nonagesimo Pearson et Scarpa primi tumorum ossium, qui pulsant, mentionem fecerunt. Inde usque ad annum millesimum octingentesimum vicesimum sextum observationes desunt. Ex hoc tamen morbus ille ossium frequenter occurrit et accuratius maxime a Dupuytren, Lallemand, Breschet, Cruveilhier, Roux, Rokitansky, Stanley, Carnochan descriptus est.

Descriptionibus autorum illorum perlustratis et inter sese comparatis, non possumus, quin pro diversa texturae immutatione pathologico-anatomica, tres statuamus species tumorum illorum, de quibus quaeritur; et primum quidem aneurysmaticam seu aneurysma arteriarum ossium, tum telangiectaticam seu erectilem, postremo carcinomatosam. Quarum unaquaeque constanter a substantia ossium spongiosa nascitur, et frequentissime quidem ab epiphysi tibiae superiore, interdum simul a fibula (Lallemand), tum a condylis femoris, rarissime denique a diploë ossium cranii. In casibus viginti quinque a Crisp conquisitis caput tibiae terdecies affectum erat. Raro complura ossa ejusdem aegroti affecta erant — (Cruveilhier et Scarpa).

Anatomiam pathologicam specierum illarum spectemus atque consideremus.

I. Ad speciem aneurysmaticam tumores illi referendi sunt, qui dilatatione arteriarum ossis aneurysmatica efficiuntur. Osteoaneurysma stricte sic dictum perraro evenit; accurate atque diligenter a Sarpa et Carnochan *(Illustr. med. Zeitung Bd. III, Heft I, pag.* 41*)* descriptum et explicatum est. In substantia ossium spongiosa cavum invenitur forma irregulari, partim textura spongiosa, partim substantia corticali valde extenuata determinatum. Substantia corticalis plerumque ita extenuata est, ut digito imprimenti flexibilis appareat et impressione diffracta crepitet; fieri potest, ut singulis vel etiam omnibus partibus resorbeatur, ita quidem, ut periosteo condensato tantum et partibus mollibus cavum illud determinetur; textura ossis tam destructa epiphysis a diaphysi facile defringitur. Superficies sacci aneurysmatici externa periosteo condensato et arteriis articularibus amplificatis atque dilatatis trajecto formatur, quarum nonnullae in cavum aneurysmaticum penetrant; superficies sacci interna luminibus multarum arteriarum apertis perforata, aspera, irregularis, inaequalis, superficiei uterinae placentae haud dissimilis. Sacco aneurysmatico dissecto Carnochan singulis

partibus, liquorem, quo tumor injectus erat, inter parietes et infarctum sacci, ut ita dicam, invenit. Cavum sacci coagulationibus cruentis et fibrinosis impletum; interdum ossis destructi fragmenta restant. Articulatio finitima omnino integra permanet, quamvis textura ossis usque ad cartilaginem articularem ipsam destructa sit. Neque minus magnarum arteriarum stirpes prope ad tumorem aneurysmaticum integrae sunt.

Aneurysma ossium verum vel osteoaneurysma neque in telangiectasia (Breschet), neque in aneurysmate anastomosio (Chelius et Scarpa) positum est. Contra Carnochan statuit, illud omnium arteriarum, quae ad ossium substantiam spongiosam tendant, atheromasia effici; quae quidem sententia inter omnes proxime ad verum accedere videtur. Qua ratione praeterea Cornochan putat faccillime intelligi posse, quare vasa ossium in superficie sacci interna repente luminibus apertis terminentur et cavum sacci coagulationibus fibrinosis impletum sit. Pelletan tumores ossium pulsantes affert, qui arteriae nutritivae propriae, quae tendit ad substantiam medullarem, dilatatione et ruptura effecti fuisse videntur, et Morgagni semel foramen femoris, per quod arteria nutritiva trahit, tantopere dilatatum vidit, ut digitum minimum transmittere posset.

II. Species telangiectatica vel erectilis non saepius observatur, quam aneurysmatica. Ad hanc speciem tumores erectiles, vasculosi, splenoides, texturae cavernosae etc. autorum vetustiorum referenda sunt. Quae nomina diversa nunc quidem communi telangiectaseos nomine continentur. Rokitansky telangiectasin a textura cavernosa stricte atque accurate distinguit, quum illa a sani corporis vasis, haec a vasis morbo formatis proficiscatur. Contra Virchow *(Arch. f. pathol. Anat. Bd. III. Heft III)* statuit, et telangiectasin et texturam cavernosam a sani corporis vasis capillaribus proficisci, ita quidem, ut pro minore vel majore dilatatione vasorum et atrophia texturae intermediae, telangiectasis vel textura cavernosa exstet; quo patet, illam in minore, hanc in maxima vasorum capillarium dilatatione et ectasi positam esse. Tumores ossium telangiectatici forma rotunda, consistentia molli sunt et interdum pulsant; magnitudo eorum diversa, avellanae et capitis neonati circuitum habere possunt; ossium circuitus augetur, canaliculi medullares et cellulae dilatantur; textura ossea denique omnino resorbetur. Vasorum ruptura efficitur, ut tela cellulosa, qua vasa ectatica inter sese conjunguntur, sanguine infiltretur, ita quidem, ut excavationes spatiosae coagulationibus fibrinosis impletae nascantur (Breschet). Texturam cavernosam Rokitansky in ossibus cranii invenit; praeterea Cruveilhier (*Anatom. patholog. livrais. XXXIII, pl. IV)* casum describit, quem, quum maxime insignis sit, breviter narrare liceat. In capite aegrotae duodecim circiter tumores pulsantes avellanae et juglantis magnitudine, consistentia molli, in basi tamen duritate ossea, exstiterunt; tum in latere interno femoris sinistri supra articulationem genu et in superiore parte humeri dextri tumor pulsans exstitit; denique morbo progrediente in humero sinistro et in extremitate costae tertiae anteriore tumor idem ortus est. Autopsia instituta patuit, tumores illos pulsantes textura cavernosa, cujus cellae textura fibrosa inter sese separatae et determinatae

sanguine impletae erant, compositos esse. Tumor genu et humeri sinistri cum ossibus non cohaesit, quod bene notandum est; contra ceteri tumores omnes a substantia ossium profecti erant. Tumores cranii ossibus quasi implantatae erant; incisione facta sanguis liquidus ex alveolis magnitudine diversis profluxit. Omnium tumorum capsula fibrosa erat, a cujus superficie interna filamenta decussantia profecta sunt.

III. Species tumorum ossium, qui pulsant, frequentissima, sine dubio illa habenda est, quam supra carcinomatosam significavimus. Stanley dicit: „tumorum ossium, qui pulsant, natura diversa est, et maxime quidem eorum, qui majorum arteriarum stirpes contingunt; plurimi hujusmodi tumores pulsantes e carcinomatis medullaris substantia constant.“ Item Lebert: „tumores ossium erectiles tam raro eveniunt, ut, diagnosi incerta atque dubia, rectius tumores carcinomatosi habeantur.“ Denique Rokitansky primum telangiectaseos ossium initium saepe carcinomate ossium effici opinatur, itemque texturas cavernosas a multis autoribus cum fungis haematodibus confundi dicit. Si, quae autores de tumoribus ossium, qui pulsant, scripserunt et observarunt, perlustramus, prorsus plurimi tumorum illorum, quos exempli gratia Breschet et B. Bell afferunt, carcinomata medullaria aneurysmatica vel fungi haematodes veterum habendi esse videntur; quod prae ceteris omnibus Rokitansky et Dupuytren observationibus et descriptionibus suis confirmant atque approbant. Prae ceteris (Rokitansky) neoplasmatibus in carcinomate medullari vasa frequentissime luxuriantur; vasa tumoris recens formata cum illis, quae jam ab initio affuerunt, conjuncta sunt; lumen eorum permagnum, membranae tenuissimae, quare facile et frequenter extravasationes eveniunt. Vasa pseudoplasmatum recens formata praecipue et frequentissime dilatatione aneurysmatica afficiuntur; vasorum aneurysmata in carcinomatibus, maxime medullaribus, frequentissime inveniuntur. Quae quum ita sint, autores naturam tumorum, de quibus quaeritur, carcinomatosam saepissime parum intellexisse videntur; et Cruveilhier (l. c.) descriptiones illorum incertas et obscuras dicit, e quibus dijudicari nequeat, utrum agatur de telangiectasibus vel texturis cavernosis an de carcinomatibus medullaribus cum alveolis haemorrhagicis impletis. Exempli gratia, Scarpa tumores descripsit, quorum unusquisque periosteo condensato, spongioso multisque vasis trajecto tectus erat; sub periosteo substantia apparuit colore flavo et rubente aliis partibus mollis aliis elastica et permultis arteriis capillaribus, quibus rete compositum est, trajecta. Hac descriptione sine dubio patefit, tumorem illum e carcinomate medullari constitisse permultis vasis trajecto. Magni momenti sunt, quae Dupuytren de carcinomatibus ossium pulsantibus observavit. Carcinoma medullare aneurysmaticum bene cognovit; „textura erectilis non semper in statu primitivo et simplici, sed saepe cum materia carcinomatosa conjuncta invenitur et tunc fungus haematodes exstat“ (lec. orales). Tres osteocarcinomatum pulsantium casus diligenter observavit et accurate descripsit. Tumor primus in capitis tibiae latere externo et anteriore situs erat; Dupuytren osteoaneurysma conjiciens arteriam femoralem substrinxit; tumor aliquanto collapsus est. Septem annis tamen post

substrictionem circuitus tumoris adeo auctus erat, ut pluribus partibus ruptura cutis immineret; pulsatio cessaverat; amputatio femoris facta est. In tibiae latere interno degenerationis carcinomatosae vestigia inventa sunt; tumore ad perpendiculum dissecto caveae apparuerunt, quarum prima et maxima substantia gelatinosa impleta erat; aliae eadem substantia, aliae substantia sufflava passim subnigra, quae carcinomatosa visa est, refertae erant. In membrana, qua caveae illae intrinsecus tectae erant, vasorum ramificationes apparuerunt, quae arteriis liquore injectis dilatatae erant; quin etiam liquor injectus in caveas nonnullas penetraverat; in aliis denique cavearum illarum coagulationes fibrinosae, quae plerumque in aneurysmatibus inveniuntur, exstiterunt. Tumor secundus item a capite tibiae profectus erat; aqua per arteriam poplitaeam immissa per plurimas aperturas in tumorem multasque caveas haemorrhagicas penetravit, quibus ille trajectus erat. Tumor denique tertius in ossibus pedis situs; os metatarsi secundum carcinomate destructum erat; extremitates posteriores ossis metatarsi primi, secundi et tertii emollitae erant; substantia spongiosa ossis cuneiformis primi, quod partim destructum et emollitum erat, texturae splenis vasculosae adaequata est.

Quibus tumoribus a Dupuytren observatis elucet, qua ratione osteo-carcinomata pulsantia oriantur et immutentur. Nam morbo ineunte substantia ossium spongiosa emollitur et texturae vasculosae splenis adaequatur (cas. III); morbo procedente vasa tumoris magnopere augentur et amplificantur, arteriae ossium dilatantur; haemorrhagiis excavationes sanguine impletae nascuntur, quae cum arteriis ossis communicant (cas. II); denique in excavationibus illis coagulationes fibrinosae formantur, quales in aneurysmatibus veris exstant (cas. I). Quibus omnibus consideratis verisimillimum fit, tumorum ossium, de quibus quaeritur, naturam veram pro aetate eorum majore vel minore saepissime parum intellectam esse. Textura illa mollis, vasculosa, colore flavo et rubente, quam ineunte osteoaneurysmate jam Scarpa sub periosteo condensato observavit, a Dupuytren carcinomatosa habetur. Si Chelius dicit, in osteoaneurysmatibus veris interdum complures cavernas coagulationibus fibrinosis refertas, quarum unaquaeque cum arteria cohaereat, inveniri, contra tumoribus illis a Dupuytren observatis apparet, cavernas quoque illas haemorrhagicas, quae in osteocarcinomatibus pulsantibus exstant, coagulationibus fibrinosis impleri posse. Denique si in memoriam nobis revocamus, saepenumero complures tumores ossium pulsantes in eodem aegrato exstitisse nunquam vero una cum illis aneurysma in partibus corporis mollibus observatum esse et operatione facta morbum plerumque recidisse, dubitari jam nequit, plurimos tumorum illorum ossium, qui pulsant, e carcinomatibus medullaribus aneurysmaticis et cavernis haemorrhagicis trajectis constitisse.

Aetiologia. Causae tumorum ossium, qui pulsant, primae obscurae sunt. Quam osteoaneurysmatis veri causam Carnochan statuerit, supra jam commemoravimus; in qua statuenda mirum et obscurum videtur, quare tantum arteriae ossium, neque vero simul aliae corporis arteriae atheromasia afficiantur. Quod attinet ad osteo-

carcinoma pulsans, patet, diathesi tantum carcinomatosa effici posse. Plerumque momentis traumaticis tumor ingravescit, quare in illis causam morbi positam esse aegroti opinantur.

Symptomata. Specierum, quas supra descripsimus, symptomata fere eadem sunt. Primum mali signum plerumque dolor gravior vel levior exstat, qui interdum repente et sine causa perspicua, plerumque tamen vi traumatica excitatur; nunc leviter et nonnunquam tantum nunc vehementer et continuo aegrotum afflictat, nunc denique repentino motione membri una cum crepitationis sensu nascitur et tunc vix tolerari potest. Jam duobus vel tribus mensibus post doloris illius ortum in loco morbi tumor apparet celeriter increscens et prope ad articulationem finitimam accedens, cum cujus affectione facile confundi possit. Cutis, qua tumor tegitur, initio integra, morbo procedente rubescit, extenuatur venisque dilitatis trajecta apparet. Peripheria tumoris nunquam manifesto circumscripta et determinata sensim sensimque partes finitimas versus evanescit; palpatione elucet, tumorem cum osse cohaerere. Consistentia tumoris diversis partibus diversa; aliae fluctuant, aliae durae sunt, in aliis denique impressione crepitatio efficitur, haud secus ac si substantia ossis corticalis exstenuata frangeretur. Insigne tumoris symptoma pulsatio est, quae simul cum ictu cordis exstat. Unaquaque pulsatione tumor extenditur. Arteria supra tumorem compressa pulsationes cessant, compressione sublata statim redeunt. Compressione illa tumoris consistentia mollior fit, quo efficitur, ut immutationes ossis et maxime excavationes illae, quae substantia corticali perforata exstant, accuratius palpari possint. Arteria infra tumorem compressa tumor increscit et magis extenditur; si ipse comprimitur, paulo minuitur; tumoris ipsius compressione sensim sensimque cessante, sanguine in illum refluente strepitus editur (Stanley). Strepitus ille, qui a Francogallis bruit de soufflet dicitur, praeter alios maxime a Nélaton audiri non potuit. A Carnochan tamen distincte auditus est; neque minus in compluribus tumoribus a Stanley commemoratis et in sarcomate tibiae illo, quod nos infra describemus, exstitit. Articulatio, quam tumor attingit, magis magisque turbatur, ita quidem, ut denique flexio dimidia et rigor exstent. Una cum tumore dolorum vehementia increscit.

Priusquum de diagnosi tumorum ossium, qui pulsant, agamus, restat, ut nonnulla de pulsatione et strepitu (bruit de soufflet) eorum afferamus. Stanley tres pulsationis causas statuit: I) majoris arteriae stirpis vicinitatem; II) sanguinis vasa et cellas ita institutas, ut genus quoddam texturae erectilis intra tumorem efficiant; III) dilatationem vasorum ossis, a quo tumor profectus sit. Quaecunque causarum illarum exstat, non negligendum est, partium, quibus tumor circumdatur, firmitatem et densitatem magnam vim habere ad pulsationes illas efficiendas. Quare Stanley dubitat, num tumores illi pulsarent, nisi ossa vel indumenta ab parte aliqua rigida resisterent, et exempli gratia carcinoma medullare tibiae affert, quod primo initio pulsans, tum, substantia ossis corticali perforata, pulsare cessaverit. Strepitum (bruit de souflet)

Stanley nunc a sanguine per vasa et cellas intra tumorem fluente, nunc, si structura tumoris explicari nequeat, ab arteriae majoris vicinae pulsationibus deducit, quae tumore vicino ita immutentur, ut strepitum edant.

Diagnosis. Primum tumores ossium, qui pulsant et aneurysmata, quae in partibus mollibus exstant, discernamus. Signorum similitudine medici artis peritissimi decepti sunt. Tumores illi, quos Pearson, Scarpa, Lallemand observarunt, aneurysmata arteriarum genu vel arteriae tibialis anticae habita sunt, donec autopsia natura morbi explanata est. In statuenda diagnosi haec animo teneamus oportet. Tumor ossium, qui pulsat, cum osse quasi in unum conjunctum est; in superficie vel in basi tumoris substantia ossis extenuata exstat, quae impressa crepitat; tumore ipso et arteria supra eum compressis usura ossis mannifeste palpari potest; tumor pulsans ossium moveri nequit; contra aneurysmata partium mollium plerumque loco suo moveri possunt vel cum ossibus vicinis facile tantum cohaerent, ita quidem, ut ullo modo moveri possint. Strepitus (bruit de soufflet) nihil ad diagnosin confirmandam valet, quum non minus in tumoribus ossium, qui pulsant, exstare possit. Perdifficile vero est, tumores ossium pulsantes inter sese et maxime osteoaneurysma verum a carcinomate medullari aneurysmatico discernere, quum symptomatum similitudo maxima sit; nam utrumque cum osse, a quo profectum est, arcte cohaeret, ossa erodere, fluctuationem, crepitationem, pulsationem et strepitum praestare potest. Strepitum (bruit de soufflet), ut autores antea opinati sunt, signum osteocarcinomatum pulsantium pathognomonicum et singulare non habendum esse, sed etiam in osteoaneurysmatibus veris percipi posse, Carnochan docuit. Omnium (Nélaton) hoc solum restat, ut osteoaneurysma arteriae compressione continua omni vel quidem maxima ex parte evanescat, contra osteocarcinoma medullare pulsans compressione illa paulo tantum minuatur, quum tubera illa carcinomatis propria remaneant. At negari prorsus nequit, signum illud usu difficilimum esse et ad diagnosin confirmandam minimum valere. A tumore albo tumor ossium pulsans facile discerni potest.

Prognosis. Osteocarcinomatum pulsantium prognosin infaustam esse, dubitari nequit. Neque minus tamen osteoaneurysmatum prognosis infausta est, quum iis non solum ad operationes periculosas instituendas cogamur, sed etiam his institutis malum saepe recidat, quod in therapia agenda videbimus.

Therapia. Si quidem patet, tumorem ossis pulsantem e carcinomate constare, tantum de amputatione agi potest. Sin carcinomatis symptomata defuerunt et osteoaneurysma verum exstare visum est, medici aut supra tumorem arteriam substrinxerunt aut amputatione vel resectione sanare studuerunt. Arteriae substrictione in osteoaneurysmatibus sanandis haud profectum est; remedium est anceps. Dupuytren primus illam ad osteoaneurysmata sananda commendavit et instituit; ut jam supra commemoravimus, tumor primus, quem ratione illa sanare studuit, e carcinomate medullari constitit. Ex quo tempore osteoaneurysmata quinque substrictionis ratione tractata sunt:

unum a Lallemand, duo a Roux, unum a Nélaton, unum denique a Carnochan. Alii tumores, quos substrictione arteriae sanare conati sunt, post osteocarcinomata cognita sunt. Tumore, quem Lallemand descripsit, caput tibiae affectum erat; arteria femorali substricta, tumor sensim sensimque decrevit, ita quidem, ut aegrotus tribus mensibus post ambulare posset; tumorum, quos Roux commemorat, altero idem caput tibiae destructum erat; arteria femorali substricta aegrotus sanatus esse dicitur. Quum tamen aegroti tantum paucos per menses post operationem observari possent, jam dubium est, utrum malum non reciderit, necne. Contra in tumore, quem Nélaton descripsit, mense uno post operationem peracto pulsationes redierunt; neque minus Roux et Cornochan paulo post arteriae substrictionem ad membrorum amputationem instituendam coacti sunt. Quibus omnibus elucet, osteoaneurysmata, si jam longius progressa sint, tantum membrorum amputatione tractanda esse. Morbo tamen incunte Carnochan arteriae substrictionem tentandam esse censet, qua aegroto non multum periculi, sed, si bene successerit, commodum insigne afferatur. Neque minus resectio morbo etiam incunte instituenda est; post nimia ossium destructione contraindicatur. Num electropunctura et ferri chlorati injectiones ad osteoaneurysmata sananda valeant, id quidem amplioribus experimentis statuendum est.

Denique tumorem pulsantem tibiae, qui in clinice hujus urbis chirurgica occurrit, describere liceat.

Anamnesis. Margaretha B., viginti novem annos nata, nupta, tumoris causa functionem genu dextri turbantis anno vertente Januarii die vicesimo octavo in nosocomium Friderici recepta est. Habitus non cachecticus. Morbum Martio mense anni superioris incepisse opinata est, quo tempore, quum studiosissime laboraret, repente dolorem vehementissimum infra genu articulationem dextram senserat; dolore cessante in labore perseverare potuerat, et per proximum temporis spatium dolor summo labore tantum, post tamen minimis causis redierat, ita, ut aegrota primum baculo inniti, denique in lecto esse coacta fuisset.

Status praesens. Tumor in capitis tibiae dextrae latere anteriore leviter prominuit; unum centimetrum infra patellam incipiens, decem centimetros descendit; in spina tibiae maximum circuitum habuit, qui infra partem tibiae anteriorem versus sensim sensimque imminutus est. Circuitus, qui trans spinam tibiae dextrae protrahitur, centimetris tribus major erat, quam idem tibiae sinistrae. Cutis, qua tumor tegitur, integra et incolumis, in illo moveri potuit. Aliis partibus tumor consistentia molli et elastica, ita, ut fluctuatio palpari posset, aliis consistentia duriore; cum osse arcte cohaesit. Peripheriam tumoris versus margo ossis perforati, quod impressione crepitavit, palpatus est; articalatio genu incolumis apparuit, neque minus capitis tibiae pars

posterior. Extensio cruris incompleta et impedita, flexio integra. Pulsationes tumoris et videri et palpari potuerunt; eodem tempore, quo pulsus arteriae radialis aderant; in tumoris parte interna strepitus (bruit de soufflet) perceptus est. Arteria femorali compressa pulsationes et strepitus evanuerunt, tumor decrevit et cutis relaxata est; compressione cessante pulsationes redierunt et tumor increvit. Crus dextrum neque oedemate, neque atrophia affectum. Glandulae inguinales lateris dextri non tumuerunt.

Quod ad diagnosin attinet, osteoaneurysma verum statutum est.

Die Februarii secundo amputatio femoris instituta est.

Autopsia tumoris. Amputatione perfecta statim tumor per arteriam poplitaeam liquore injectus est. Praeparatione diligentissima arteriae dilatatae, quae ad tumorem tenderent, inveniri non potuerunt. Partibus mollibus, quae omnino integrae erant, paullatim remotis, in capite tibiae tumor conspectus est, cujus diameter maximus condylis determinatus erat; infra diametrorum latitudo minor. Pars anterior capitis tibiae omnino destructa erat, ita, ut periosteo tantum capsula tumoris formata sit; partium lateralium et posteriorum lamella tenuis restiterat; quo patet, capsulam tumoris partim osseam partim membranaceam fuisse. Tumore ad perpendiculum dissecto materia spongiosa et mollis, cujus color in aliis partibus albus, aliis flavus, aliis denique fuscus erat, apparuit; passim cellae parvae sanguine impletae exstiterunt; nullo loco liquor injectus in tumorem penetraverat. Succus ille carcinomatis proprius exprimi non potuit, sed liquor pellucidus, in quo cellulae singulae contentae erant. Cultro radente singulae tumoris particulae avulsae sunt. Microscopio apparet, tumorem reticulo fibroso non trajectum esse; quum maxima pars illius e cellulis illis fusiformibus uno vel duobus nucleis impletis constaret, inter tumores illos, qui plerumque fibroplastici vel sarcomata dicuntur, habendus erat; passim acervi forma irregulari interdum rotunda inventi sunt, qui e nucleis cum nucleolis impletis constructi et substantia tenuiter granulata contenti erant (plaques à plusieurs noyaux — Robin). In media tumoris parte inter cellulas illas calcis sales depositi erant.

Tibiae cartilagines et articulatio genu ipsa incolumes atque integrae; synovia aucta.

Dimidia tumoris parte aqua eluta in capsulae osseae superficie interna villi multis ramis diffusi restiterunt, qui, ut microscopio patefactum est, vasis sanguinis ramificatis contenti erant. Extrinsecus vasa cellis fusiformibus ab omnibus partibus circumdata erant.

Casu, quem supra descripsimus, satis apparet, quam dificilis sit stricta osteoaneurysmatis veri et pseudoplasmatis pulsantis distinctio, et quam similia sint utriusque symptomata.

Denique quaeramus, quo strepitus (bruit de soufflet) et pulsationes in tumore illo effecta sint. Causis, quas Stanley statuit, pulsationum in memoriam revocatis,

non possumus, quin, quamvis tumor poplitem versus lamella ossea ab arteria poplitaea separatus esset, hac illas effectas esse putemus, quandoquidem tumor ipse neque vasis dilatatis neque textura erectili trajectus erat. Neque minus strepitus eo effectus esse videtur, quod arteriae poplitaeae pulsationes tumore vicino tam proprie immutatae et affectae sunt, ut strepitum ederent.

T H E S E S.

1) Gastromalacia aegroto adhuc vivente non exstat.

2) Peritonitides, quae perforatione intestinorum efficiuntur, magnis opii dosibus et glacie optime tractantur.

3) Conjunctivarum et glandularum lacrymalium secreta palpebrarum motionibus maxime ex oculo removentur.

4) Ad catarrhum tubae Eustachii sanandum catheterismus nihil valet.

1855. VII.
MEDIC. VI.

DE
CORDIS MORBORUM VI AD ANIMUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

GUILIELMUS STENDER
SCHOENBERGIENSIS.

KILIAE.
EX OFFICINA C. F. MOHR.
1855.

Imprimatur.

Dr. *Aem. Frid. Goetz*,

h. t. Dec.

Casu quodam, quem in nosocomio academico Kiliensi observavi, concitatus facere non poteram, quin de conjunctione inter cor et animum diu ac diligenter meditarer. Atque quid cogitari potest jucundius studio hujus rei, ingenio hominis adhuc tam latentis? Itaque opera et antiqua et recentiora, quantum poteram, perlegi perlectaque alia cum aliis comparavi. Sed ut non in arte medica sola, verum etiam in aliis doctrinis saepe fieri solet, ut in antiquioribus scriptis ea inveniamus, quae apud recentiores auctores frustra quaesivimus; ita de hac re antiqui scriptores jam multa et vera locuti sunt, quum medici recentiores eam per longum tempus negligerent. Jam in scriptis philosophorum Graecorum nonulla reperimus de conjunctione inter cor et animum; atque Aristoteles cordis vim ad animum tanti aestimavisse dicitur, ut cor animi sedem esse statueret. Sed paulatim et philosophi et medici cordis omnino oblivisci et cerebrum solum animi sedem habere inceperunt; quo factum est, ut usque ad hoc saeculum in iis, qui animi morbis laborabant, cordis paene nulla haberetur ratio. Kreysig, Corvisart, Testa demum in operibus suis „de morbis cordis" ejus vim ad animum compluribus exemplis illustraverunt. Optime autem meritus est de hac re Nasse, cujus scriptum [1]) et ingenii et exemplorum plenum effecit, ut inde ab hoc tempore medici graviditatem rei paullatim intelligere inciperent. Attamen demum post multos annos passim de illa conjunctione scriptum est; atque inter recentissima opera paene nullum invenias, quod de re tam gravi aliquid novi attulerit.

Nasse summo jure in eo, quod nominavi, scripto affert, organa quaedam existere, quorum conjunctio cum animo aeque clara sit ac demonstrata, quam cerebri. Horum autem organorum, in quorum numero praecipue cor, hepar et organa sexualia refert, cor certe maximam vim ad animum exercet. Jam vulgus inde ab antiquissimis temporibus, si quosdam animi sensus verbis exprimere volebat, voce „corde" uti consuevit; atque quantumcunque medici hunc linguae usum exstinguere studebant, morem illum usque ad hanc aetatem conservavit. Atque quo jure vulgus hac voce utatur, mox videbimus. Neminem esse arbitror, qui nesciat singula sensuum genera certam ac diversam vim habere in statum cordis. Notius est, quam ut longius explicem, cordis ictum in gaudio accelerari, atque ut alii observarunt, saepe undulatum esse; in

1) *Nasse's Zeitschrift für psych. Aerzte* 1818. *Band I. S.* 49.

timore autem tremorem quendam accipere et nonnumquam fieri intermittentem. Minus quidem vulgata sed aeque vera atque a multis et claris viris observata haec res est: in terrore pulsum ictumque cordis primum retardatum esse et interdum intermittentem, mox autem sensim accrescere. Atque haud levem vim ad formam ictus cordis habet natura hominum. Ii enim homines, qui sanguinici nominantur, paene semper praebent ictum cordis frequentem facilemque irritatu, quum cholericorum pulsus tardus sit et a rebus externis minus dependeat. Aequo modo infantes, quorum animus merito cum navi, gubernatore carente, comparari posse mihi videtur, pulsum praebent frequentissimum et facillime irritatum. Sed homines provectioris aetatis, qui eo excellunt, quod a rebus externis difficilius afficiuntur quam infantes, pulsum habent tardiorem. Addere adhuc possum, pulsum generis feminini, cujus animus plerumque facilius commovetur, quam virorum, majore etiam esse frequentia ac mobilitate. Atque in iis etiam conditionibus vitae, quae perpetuam vim ad animum habent, ictus cordis fere semper cum sensuum commutatione convenit. — Nonne ex his omnibus elucet, sensus animi magnopere valere ad cortis ictum? Quibus de rebus etiam Eschenmayer [1]) bene disseruit. Attamen non solum ad ictum cordis, sed ad totum etiam ejus parenchyma animi sensus valent. Testa, Corvisart, Kreysig aliique scriptores clarissimi multa exempla afferunt, affectiones animi, atque praecipue terrorem, angorem, melancholiam causas fuisse cordis inflammationum, mutationum ejus parenchymatis, dilatationum ventriculorum, atque etiam subitae mortis cordis morbo ortae. — Sed non diutius loqui volo de re, quam his verbis satis explicatam esse arbitror. Atque quum ex his perspicue intelligi possit, quantum animi affectiones ad cor valeant, num mirandum est, quod etiam cordis morbi magnam vim habent ad animum? Non existere potest conjunctio inter duas partes, nisi mutua. Liceat igitur mihi transire ad hanc gravissimam partem hujus dissertationis.

Non in iis solum hominibus, qui clara et perspicua signa vitiorum cordis praebent, sed in iis etiam, quae dispositionem quandam habent ad cordis morbos, occurrit nobis irritabilitas quaedam sensuum. Alii enim eorum mirabili mollitate animi, alii levi melancholia excellunt. Klaatsch in opusculo [2]) suo bene de hac re disseruit. Quamquam quidem haud negari potest, in talibus hominibus animi morbos observatos esse, non tamen indubitatum esse mihi videtur, hanc praedispositionem ad cordis morbos causam fuisse illarum animi affectionum, ac non effectum. Quam sententiam etiam Nasse in scripto suo pronunciat. Sed aliter res se habet in vitiis cordis. Plurimis enim in casibus certe observatum est, cordis vitium jam multo prius constitisse, quam morbum animi; ita ut dubitatio, quin illud hujus causa fuerit, omnino non fieri possit. Nam observationes de vitiis cordis, causis animi morborum, factae praecipue

1) Psychologie. S. 199.
2) Dissertat. de psychica organorum dignitate.

sectionibus nituntur, quarum multae perspicue demonstrant, cordis vitium diutius exstitisse quam animi morbum. Pauca vero exempla animi morborum sunt observata in hominibus vitio cordis affectis adhuc vivis; ex quibus clare intelligi potest, animum demum, postquam cordis vitium longius breviusve constiterit, in morbum cecidisse. Postea redire volo ad hanc rem gravissimam. Atque roges fortasse, qui morbi cordis praecipue valeant ad animum? Ut incipiamus a superficie cordis, primum nobis occurrunt morbi pericardii. Is status, in quo pericardium cum corde, rarius cum pleura, concrevit, saepissime animi morbos procreat, maximeque melancholiam; quae quidem tantopere crescere potest, ut non paucis in casibus tales homines ipsi vita se privaverint. Corvisart narrat, juvenem quendam, qui melancholia commotus se veneno interfecerat, in sectione nihil praebuisse, nisi talem conjunctionem cordis cum pericardio. In milite quodam, qui saepe sine causa inquietus et angore affectus fuerat, cor et pericardium inter se conjuncta erant. Idem reperit Corvisart in juvene quodam, cujus facies jam per complures annos signa melancholiae tulerat, donec ipse veneno se perderet. Adhuc aliorum casuum mentionem facit ille magnus vir in operibus suis. Hydropem pericardii causam fuisse melancholiae, casus cujusdam memini, in quo, ut Schieber narrat,[1]) sectio et hypertrophiam cordis et hydropem pericardii praebuit. Greding[2]) affert, centum hominum mania affectorum triginta fuisse, quorum cavum pericardii magnam seri copiam in se continuerit; atque inter viginti quatuor melancholicos quatuordecim in sectione hydropem pericardii praebuisse. Non minus frequenter mutationes situs cordis ad affectiones animi valent. In homine, qui, jam diu melancholia affectus, in flumen se merserat, sectione facta, situs cordis transversus inventus est, ita ut basis ad dextrum, apex ad sinistrum latus versa essent.[3]) In alio homine, qui melancholia commotus ipse se occiderat, sectione facta, basis cordis ad sinistrum, apex ad dextrum latus versa erant.[4]) Quae commutationes situs cordis quum magnam vim ad animi affectiones exerceant, ita ut certum animi morbum, nempe melancholiam, gignere videantur, conquerendum est, quod tam pauci casus hujus vitii cordis existunt. Quod adtinet ad mutationes cordis magnitudinis, praecipue hypertrophia cordis cum et sine dilatatione attentione nostra digna est. Complures casus observati sunt, in quibus homines maniaci, rarius melancholici, cordis hypertrophia affecti fuerunt. De componendis talibus casibus praecipue Greeding meritus est. Atrophiam cordis rariorem causam esse morborum animi, item ex Greedingi observationibus elucet. Attamen silentio transmittere non possum, Müllerum in sectione feminae cujusdam dementis cor tam parvum invenisse, ut cordi infantis similis esset. Sed major est numerus eorum morborum animi, qui vitiis atriorum cordis orti sunt. In aneurysmatis cordis singulis casibus observatum est, homi-

1) *Damerow's Zeitschrift für Psychiatrie. Berlin* 1849. *Band* 6. *S.* 41.
2) 1. *Theil. S.* 344.
3) *Testa über die Krankheiten des Herzens, aus dem Italienischen von Sprengel. S.* 173.
4) Guislain traité sur l'alienation mentale. Tom. 1. p. 82.

nes tali vitio affectos magnam praebuisse iracundiam; atque Corvisart vel eo progreditur, ut iracundiam symptoma esse diceret, aneurysmatis cordis. Eandem iracundiam alii medici, ut Sandifort, Obet, Forret. in morbo caeruleo, cordis vitio orto, observarunt. Dilatationem cordis comitantur saepenumero infinita quaedam tristitia, timor, metus mortis, atque etiam cupido se interficiendi. Indurationes et ossificationes valvularum non rare efficiunt depressionem animi. Cujus vitii casum haud levem et lectu dignissimum, ubi nempe in sectione feminae mania affectae valvulae seminulares et bi- et tricuspidales ossificatae repertae sunt, Bergmann narrat sub nomine „Maniae metastaticae".[1]) Excrescentiae polyposae in cordis cavis sitae compluries in cadaveribus eorum hominum inventae sunt, qui vivi omnia maniae signa prae se tulerant. Bergmann[2]) singula ejusmodi exempla narravit. In homine quodam mania affecto, cujus sectionem Bergmann instituebat, in utroque ventriculo polypum densum et longum invenit, quorum alter in Aortam vel etiam in Carotidem, alter in Arteriam pulmonalem se extendebat. Greeding narrat, se in singulis sectionibus hominum melancholicorum et praecipue maniacorum magnam copiam sanguinis et coagulati et fluidi reperisse; atque eos casus, in quibus et haec sanguinis copia et polypi inventa sunt, in numeros composuit. Inflammationem cordis, sive adsit febris, sive jam evanuerit, haud tam rare, ut putes, causam esse morborum animi ex iis exemplis, quae Davis[3]) et Nasse[4]) afferunt, perspicue potest intelligi. Modus vero, quo animus ab his inflammationibus afficitur, diversus est. Nonnumquam tales homines subito delirare inceperunt, et Kreysig delirium habet symptoma stadii secundi endocarditidis, in quo, ut commemorat, aegroti quasi cum conscientia delirare videntur. Interdum in endocarditide angor quidam urgens, ita ut aegroti eadem verba saepe repeterent, observatus est. Rari sunt ii casus, in quibus homines inflammatione cordis affecti signa maniae vel status maniae similis praebuerunt. Exempla autem, cordis vitia effecisse, ut homines idëa quadam fixa caperentur, tantum tria existunt, quae Kreysig nobis narrat.

Non omittere possum brevibus verbis eam conjunctionem commemorare, quae inter vitia cordis ac corruptionem morum constat. Nam hac ipsa re magna illa vis morborum cordis ad animum magis illustratur. Res est notissima, nonnullos homines ab infantia immensa quadam et inani cupiditate impletos esse, certi cujusdam delicti committendi, ita ut vel furari vel praedari vel caedem facere necesse esse iis videatur. Etiam sunt, qui a pueris certas quasdam invincibiles animi perturbationes ostenderint. Talium vero hominum sectio non tam rare vitia cordis praebuit. Jam Mariam de Medicis,[5]) cujus perturbationes animi inter omnes viros doctos constant, atque regem

1) *Damerow's Zeitschrift für Psychiatrie. I. Band. S.* 574—582.
2) *Nasse's Zeitschrift* 1821. 3. *Heft. S.* 172.
3) *S.* 64 *a. a. O.*
4) *Im Archiv für med. Erfahrungen a. a. O. S.* 172.
5) Riolan, Anthropograph. Lib. 3. Cap. XII.

Dejotarum qui liberos suos interficiebat, in sectione illam quidem hypertrophiam cordis, cujus apex dextrorsum versus erat, hunc vero cor nimie durum et crinibus obtectum praebuisse, historici narrant. Complures alios casus, in quibus in sectione praedonum cor crinibus circumdatum inventum est, Benivenius [1]) Muretus [2]) et Amatus [3]) nobis tradiderunt. Situs cordis irregularis, hypertrophia cordis, dilatatio ventriculorum aliaque hujus organi vitia in hominibus maleficis tam saepe reperta sunt, ut haec exempla vim vitiorum cordis ad mores hominum perspicue ostendant. — Denique commemorare volo rem illam mirabilem, homines optimos et praestantissimos, qui quibusdam cordis vitiis laborabant, saepenumero opinionem terribilem dejicere non potuisse, se inane quoddam et horribile delictum commisisse.

Multa alia afferre possem exempla, nisi metuerem, ne longior fierem, quam par est. Atque, ut haud negem, non in omnibus casibus certe demonstrari potest, vitia cordis animi affectiones perfecisse. Sed quum complures observationes attulerim, quae perspicue demonstrant, vitia cordis prius exstitisse, quam animi morbos, in quorum numero praecipue sunt commutationes situs cordis, plerumque innatae, hypertrophia et atrophia, denique ii casus inflammationis cordis, qui in hominibus vivis observati sunt haud intelligo, cur non in iis exemplis, in quibus illud dubium est, idem statuendum sit. — Attamen sane scio, multis in casibus, in quibus vitia cordis vere existunt; sive id observatum sit in mortuis sive in vivis hominibus, niholominus nullam animadversam esse animi mutationem. Cujus rei quae causa sit, hoc tempore adhuc nobis latet. Aeque intelligere non possumus, cur eadem cordis vitia non semper eandem animi affectionem, sed mox melancholiam, mox maniam gignunt; quamquam, ut vidimus, fatendum est, nonnulla cordis vitia saltim in multis casibus certum animi morbum procreare videri. In quorum numero praecipue refero mutationes situs cordis, quos saepissime melancholia sequitur, tum polypos cordis, qui in plurimis casibus maniae causae esse videntur, denique aneurysmata cordis, quae sola iracundia comitatur. Etiam illae conjunctiones inter cor et pericardium frequentissime melancholiam perficiunt. Atque si mente agites morbos animi, cordis vitiis perfectos, non putes, quaeso, hos semper esse morbos veros et perfectos, sicuti maniam, melancholiam etc.; multis in casibus cordis vitia formas quasdam morborum creant, quae non eam altitudinem assecutae sunt, ut vere nominari possint morbi. Multi casus etiam sunt, in quibus animi affectiones quasi in medio stant inter duos morbos, ita ut mox huic, mox illi morbo adpropinquent.

Venio ad quaestionem gravissimam, nempe: qua via illa cordis vitia ad animum valeant, vel ut ita dicam, qualis sit conjunctio inter cor et animum, quam constare satis illustratum est. Duae solae viae patent, quas breviter exponam. Haud

1) Curat. med. Centur. VI. Cur. 65.
2) De abdit. morb. et curat. caus. C. 83.
3) Var. lect. L. 12. Cap. 10.

ignotum est, scriptores antiquos et recentiores valde differe de modo conjunctionis inter cor et animum. Illi enim docent, animum cum toto corpore, id est, cum omnibus corporis partibus aeque conjunctum esse; hi statuunt, alia organa immediate conjuncta esse cum animo, alia vero cum eo non cohaerere, nisi interveniente organo quodam graviore, praecipue cerebro. Est igitur rogandum, num cor cum animo immediate cohaereat, id est vere organon sit animi, an sola cerebri ope ad animum valeat. Nasse laudem illam summam meretur, qui primus hanc rem illustraverit. Sententia ejus est, cor sine ope cerebri, id est immediate vim habere ad animum. Quae sententia in his praecipue argumentis nititur, quae propter perspicuitatem suam affero:

1) In iis casibus, in quibus animus graviter affectus est, quum cor non minorem mutationem praebeat, saepissime nullum existit signum, cerebrum simul cum corde laborare. Neque enim capitis dolorem vel ardorem, neque obtusionem aliaque, quae prodere possint cerebri morbum, observamus. Atque etiam in iis cordis vitiis, qui morbos animi perfecerunt, saepissime nulla signa alicujus morbi in cerebro invenimus.

2) Connexio, quae nervis inter cor et cerebrum efficitur, parum cognita est. Huc accedit, quod cor a voluntate, cujus sedem cerebrum paene omnes viri docti habent, fere omnino non dependet.

3) Omnes irritationes cerebri et machanicae et chemicae et electricae nullam vim habent in cor, quamquam, irritationes animi facile cor irritare, clare demonstratum est. Hoc non explicare poterimus, nisi quum statuerimus, cordis vim ad animum cerebri ope carere.

Argumenta, quae Nasse profert, graviora sunt, quam quae vincere studeam. Imo vero cum hoc clarissimo viro omnino consentio. Attamen quispiam dicat, interdum in sectionibus talium hominum, qui et vitiorum cordis et animi morborum signa praebuerunt, in cerebro aliquid morbi, ut majorem, quam par est, seri copiam, sanguinis extravasata, inflammationis vestigia et alia inveniri, quo effici potuerit, ut animus in morbum caderet.

Sed primum quidem numerus talium casuum minor est, quam ut aliquid valere possit; tum vero hi cerebri morbi sola inhibitione sanguinis circulationis perficiuntur, et saepe in hominibus cordis vitiis affectis observantur, qui vivi nullam turbationem animi praebuerunt. Sed fuerunt etiam, qui in iis casibus, ubi vitia cordis deliria procreaverant, in inflammatione cerebri causam hujus delirii quaesiverint. Sed obductiones, quas Davis in compluribus ejusmodi casibus instituit, ostenderunt, cerebrum omnino sanum fuisse; ita ut ille vir doctissimus evocet;“ puto, delirium affectione cordis ipsa ortum esse. Nonnulli etiam in iis morbis cordis febrilibus, qui animum irritabant, in hoc ipso statu febrili causam animi irritationis quaesiverunt. Sed quum in morbis cordis, qui febre carent, nihilominus animi morbi observati sint, haud intelligere possum, cur in morbis febrilibus non eandem causam, nempe vitia cordis ipsa,

statuemus. — Haec sufficiant ad docendum, qualis sit scientia nostra conjunctionis illius inter cor et animum. Franseo igitur ad narrationem casus illius a me observati, cujus commemoratio fore ut non supervacua sit, merito sperare mihi videor.

Henricus Brammer, pistor, viginti duos annos natus, die quinto decimo mensis Februarii hujus anni in nosocomium academicum Kiliense receptus est. Statura est media et bene formata, facie sana. Compluribus diebus ante quum calefactus aeri frigidiori se exposuisset, primum in suris dolores sensit, qui mox genu sinistrum atque denique etiam articulum pedis dextrum afficiebant.

Die, quo in curam clinicam veniebat, de vehementibus doloribus in illis articulis conqueritur; sed, excepta levi febre parvaque deminutione appetitus edendi, nulla morbi signa adsunt. Statuendus igitur nobis est rheumatismus acutus articularis vagus. Quare praescribuntur mediocris abstinentia ciborum, ac nonnullae doses Kal. nitrici. Quum vero pulsus et frequentia et duritate crescat, die duodevicesimo venaesectio instituitur. Attamen dolores non modo non desinunt, verum etiam in aliis articulis oriuntur; quod efficit, ut aegrotus noctibus paene semper somno careat. Quod attinet ad organa gastrica, lingua fuligine obtecta est et alvus adstricta. Urina impleta est salibus uricis. Usque ad diem vicesimum quintum mensis Februarii nulla gravis mutatio in statu aegroti animadvertitur. Hoc autem die cordis, cui semper maximam attentionem habueramus, tonus primus paululum obtusus fieri coepit. Aegrotus igitur Infuso Digitalis, cui grana quatuor Tart. stib. addita sunt, uti jubetur. Die vicesimo sexto non modo audiri potest strepitus endocarditicus, verum etiam incipiens fremitus pericarditicus, qui quidem in basi cordis, regione arteriae pulmonalis, clarissime animadvertitur. Pulsus centum est et intermittens. Dolores rheumatici deminuti videntur; urina rursus clara fieri coepit. Pulsus in dies rarior fit, et die primo mensis Martii numerum septuaginta non superat. Sed magis magisque strepitus pericarditicus decrescit, quum fremitus systolicus adhuc eandem vim praebeat. Emplastrum vesicatorium, quod aegroto postremis diebus Februarii applicatum erat, tertio die mensis Martii cum alio novo commutatur. Nulla mutatio usque ad diem quartum mensis Martii. Sed hoc die quum hora clinica multa, ut fieri solet, de morbo aegroti ejusque eventibus quum faustis tum infaustis disserta essent, juvenis subito delirare incipit. Omnia, quae corpus suum tegunt, dejicere coepit, et nudatas extremitates longe protendit. Jussus decumbere, primum quidem obedit, sed, mox denuo lecto relicto, nullis neque precibus neque minis commoveri potest, ut lectum petat. Saepenumero curatricem sine ulla causa vocat. Rogatus, quomodo se habeat, „male“ respondet, atque denuo interrogatus, num dolores habeat, hoc affirmat. Atque quum ex eo quaeramus, ubi sit sedes dolorum, „nescio,“ inquit. Pulsus 64, mollis et facilis compressu. In corde nulla mutatio. Primum quidem nobis dubium fuisse, unde hoc subitum delirium exortum sit, facile intelligitur. Cerebrum non fontem esse hujus delirii, perspicuum erat, quum nullum signum congestionis ad caput adesset. Neque enim calor capitis,

neque pupillarum status et pulsus Carotidum abhorrebant a natura. Porro, aegrotum ebrium esse, a curatricibus negatum est. — Postero die aegrotus, quum nocte tantum per duas horas dormivisset atque saepe studuisset lectum relinquere, adhuc semper delirat, atque praebet hallucinationes. Mox ignem, mox homines, qui lectum suum circumcingunt, videre se putat. De quibuslibet rebus interrogatus aut non respondet, aut „mortuus sum“ inquit. Interdum verba evocat, quae omni connexu carent; atque de rebus praeteritis nihil scire videtur. Die VIto mensis Martis excretio alvi et urinae involuntaria sequitur. Inquies aegroti hoc die eadem est. Cibos non sumit nisi praebitos. Adhuc septimo die status idem est. Aegrotus modo declamat, modo locos e libris citat, modo numerat. Mirabile fuit, quod rogatus, num alvum dejecerit, respondebat“ semel, bis, ter etc., ac sic ad omnes interrogationes respondere pergebat. Auscultatio cordis hoc die instituta docebat, fremitum pericarditicum omnino evanuisse, fremitum autem systolicum adhuc adesse. Aegrotus quum noctibus paene omni somno careret, sequentibus diebus vesperi dosin Morphii accipit, quae nocte ter repetitur, ita ut aegrotus tota nocte unum granum Morphii acciperet. Sed usque ad diem nonum mensis Martii haec inquies durat. Hoc die, postquam balneo calido temperat. 28° R. impositus est, multo quietior fieri incipit. Itaque quotidie hoc balneum continuatur, et Morphium propter bonum somnum aegroti seponitur. In dies quietus animi status magis magisque redire coepit, atque excretiones jam semper fiunt voluntariae. Non pauca temporis spatia sunt, quibus aegrotus de patria, de parentibus aliisque rebus interrogatus semper recte respondet. Sed die XVI. mensis Martis subito mania afficitur. Nemo audet ad lectum ejus accedere; et qui audet, ei metuendum est, ne percutiatur et mordiatur. Rogatus, quid sibi acciderit, aegrotus respondet: diabolus studeat se auferre. Opus fuit, ut uteremur instrumentis mechanicis, ita ut juvenis se non movere posset. Praeterea aegrotus accipit solutionem Tartari stibiati. Eodem die complures impetus habet. Intervallis inter duos impetus aegrotus mox conscientia fruitur, mox delirat; omni vero congestionis ad caput signo caret. In corde fremitus systolicus adhuc audiri potest. Nocte sequenti et postero die aegrotus rursus compluribus impetibus afficitur. Usque ad diem vicesimum fere idem status. Hoc die atque sequentibus diebus aegrotus paene nullum habet impetum. Sed mox redit mania priore modo. Iuvenis incipit intervallis lucidis melancholiam praebere; saepe lacrymat, se in lecto condere studet etc. Die vicessimo sexto afficitur furunculo in regione scapulae. Inde ab hoc die ab impetibus maniae liberatur. Quo magis autem mens redit, eo major fit melancholia, quae eum tenet. Aegrotus respondet nonnisi rogatus, atque vultu tristi. Interdum magnopere ineptus est, currit ad fenestrum, ridet de omnibus rebus etc. Ceterum sana mente ad omnes interrogotiones respondet, curatrices novit, atque etiam de morbo suo recte judicat. Inde a primo die mensis Maji ei permittitur, in horto ambulare; quo autem melancholia non tollitur. Quarto die mensis Maji juvenis ad munera sua redire cupit, cujus rei patri in litteris mentionem

facit, in quibus totum cursum morbi recte exponit. Sed quum singulis diebus post adhuc semper vestigia praebeat melancholiae et subitae dementiae, hoc fieri non potest. Itaque die undecimo mensis Maji Slesvicum proficisci jubetur in nosocomium delirorum. Cordis autem, ut addam, vitium omnino evanuit. — Mense Julio aegrotus hoc nosocomium sanatus reliquit.

Experti sumus, cognatorum aegroti neminem esse, qui sana mente caruerit. Facere igitur non possumus, quin, hanc animi affectionem a cordis inflammatione dependere, statuemus.

T H E S E S.

1) Incisio lineae albae ceteris sectionis caesareae methodis praeferenda est.
2) Caustica optima sunt remedia in inflammatione faucium chronica.
3) Arteriarum vis elastica multum valet ad sanguinis motum.
4) Diagnosis partus geminorum in graviditate interdum fieri non potest.

1855. VII.
MEDIC. VII.

DE
INSANIA
EX MENSTRUIS SUPPRESSIS ORTA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

FRANC. CAROL. FRIEDR. SAGER
SLESVICENSIS.

KILIAE.
EX OFFICINA C. F. MOHR.
1855.

Imprimatur.

Dr. *Aem. Frid. Goetz,*

h. t. Dec.

Auctori pagellarum insequentium contigit, ut brevi post examen rigorosum munus medici auxiliarii in nosocomio Slesvicensi, curae insanorum dedito, quod viro illustrissimo et experientissimo Rüppell duce gaudet, ei traderetur. Hinc occasione morborum animi observandorum eorumque curae addiscendae jam praxeos initio oblata, insequentem morbi historiam dissertatione inaugurali promulgare paucisque addere ausus est, quaenam sit sua ipsius de natura insaniae sententia.

Catharina B., duodeviginti annos nata, ancilla rustica, a primis vitae annis bonae semper valetudinis et corporis et animi, staturae mediae, coloris faciei floridi, filia erat parentum, qui adhuc integra sanitate fruuntur, eorumque cognati, quatenus indagari poterat, animi morbis nunquam affecti fuere. Puella apud rusticum negotia agens, mense Junio a. CDCCCLII, quo tempore domus restaurabatur, non solum magis solito laborare debebat, sed etiam sudori et refrigerio in aedibus aëri perviis saepius exposita erat. Hinc factum est, ut menstrua, quae tunc secundo die effluebant, subito suppressa sint. Menstrua autem ex anno vitae decimo sexto usque ad illud tempus nunquam impedita sed justo semper spatio apparuere atque per dies quatuor vel quinque adfuerant. Puella jam sensu turbatae valetudinis ingrato et dolore capitis vexata in lectum se contulit, paucos cibos rarius appetebat, primo brevia, sensim autem paulatimque pauciora, denique nulla verba ore edebat. E vultibus modoque se gerendi domus incolae cognoscebant, ei inesse angorem paulatim accrescentem. Aegrota sui non compos nonnumquam omnia nutrimenta rejiciebat, atque e lecto surrigens paucis velamentis induta campum pervagabatur. Medicus tunc accessitus ancillam animi morbo affectam esse pronuntiavit, quam ob rem die III. mensis Julii, tribus circiter hebdomadibus post morbi initium, in nostrum nosocomium recepta est.

Aegrotae corpus erat mediae sed formosae validaeque staturae; cutis arida, facies coloris subflavi, vultus anxii, oculi non lucentes, pupillae justo latiores. Sanguinis congestiones caput versus non aderant. Si etiam respiratio irregularis ac plerumque levis brevisque, contra interdum alta ac suspirans audiebatur, thoracis tamen organa explorata non laesa esse videbantur, praeterquam quod pulmo dexter hepatis tumore altius sublatus erat. Pulsus parvus, cordis ictus LXXXXII ad C per sexage-

simam. Abdomen tumebat, et hepar non ita paulo majus esse percussione intelligi poterat, qua ex causa hypochondrium dextrum prominebat et manus adposita dolorem concitare videbatur. Lien quoque, si etiam gradu minori ut hepar, magnitudine eminebat. Linguae membrana mucosa subflavida, alvi excretiones tardae, sedes ipsae fuscae et durae. Urina sedimenta acidi urici ejusdemque salium deponebat.

E vultibus et habitu aegrotam gravi anxietate animique oppressione affectam esse videbamus. Pavida plerumque conclavis ostio adstabat, omni modo se subducebat, horti sepem altam aliquando transiliens passibus velocibus fugam celerabat. Neque sponte ulla verba ore edebat, neque quaerenti respondebat, si vero magis magisque verbis ei instaremus, submissa voce verbum „Ita“ proferebatur, quo quidem constabat, ut quae dicta essent, animo non comprehendisset. Operibus domesticis simplicioribus fungi non poterat, sed oculos hebetes anxie convertens iners et socors adstabat. Quum vespere diei, quo erat recepta, cibum sumere nollet, ipse postquam sub oculis suis edidi jusculum leve cochleari ad os dedi, quod haurire non renitebatur. Diebus insequentibus ipsa cibis et potionibus antepositis vescebatur. Etiamsi maximam anxietatem obtulit, tamen jussis nullum renisum opponebat, si balnei usum excipis, cui tantis viribus et laboribus repugnabat, ut de hoc incepto desistere oporteret. Cujus rei causa fortasse in consuetudine balnei deficiente quaerenda erat. Primis noctibus somno inquieto fruebatur, sed tamen e lecto non surrexit.

Curae nobis fuit, ut cucurbitae cruentae ad hepatis regionem atque ad cervicem emplastra cantharidum repetita apponerentur; nec minus instituebantur pedum lavationes, quibus puellae commodis et initio vespere secundo deinde tertio quoque die institutis singulis Aq. regiae Uc. jβ addimus. Fomenta ejusdem miscelae regioni hepatis imponebantur. Insuper solutio Natr. sulphur. et Extract. tarax. atque postea aqua mineralis, quae audit „*Mariakreuzbrunnen*“ praescribebatur. Tempore diurno erat in conclavi, in quo nonnullae ac tranquillae aegrotae de colo nebant, quibuscum etiam in cubiculo eodem dormiebat.

Cura tali modo instituta jam mense Julio magisque Augusto valetudo aegrotae et quidem paulatim celerius melior facta est. Neque vultus anxietate distorsi, neque pupillae justo ampliores erant; oculi attentiores, habitus validior. Ciborum desiderium alvique dejectio a consuetudine non aberant; pulsus arteriarum frequentiam et vim normalem ostendebat; conditio cutis panniculo adiposo adaucto in integrum rediebat. Hepatis tumor sensim multo evanuit, ita ut neque in hypochondrium promineret neque pulmonem comprimeret, quod perspicue intelligendum, quum in prima abdominis exploratione hepatis circuitum in cute lapide infernali designavissemus. Nec minus splen spatium brevius occupabat. Simul cum morbo corporis cedenti animi etiam insani symptomata dilabuntur. Angoris indicia pedetentim moribus consuetis cedebant; aegrota res hominesque attentius spectabat, colam tractabat, habitus sui et vestimentorum magis quam antea rationem habebat. Puella sub finem mensis Augusti, quo

quidem tempore verba pauca sponte edebat, quaerenti respondere valuit, sese aegrotam, neque sui compotem, magna vero anxietate cruciatam in hanc domum advenisse, nunc autem meliori valetudine ac quiete frui.

Mense Septembri praeterito bona corporis animique valetudine laetans puella hilaris et alacris omnia negotia domestica libenter et accurate perficiebat. Animo se aegrotasse bene conscia erat, maximasque gratias agebat, quod sanationem in nosocomio recuperasset. Quae ab initio morbi senserat, ipsa accuratius enarravit; se menstruis suppressis statim injucundo sensu ac capitis dolore apprehensam, deinde anxietate pedetentim accrescenti atque angore tantopere esse vexatam, ut sententias alias rerumque notiones comprehendere non potuisset. Causam vero angoris se haud intellexisse, sed adfuisse tantum sensum obscurum mali cujuscunque sibi instantis. Quo gradu angor esset minutus eo magis conscientiam rediisse.

Quum puellae menstrua adhuc suppressa essent, die XV. mens. Octob. cucurbitae femoribus impositae et Tartar. boraxat. solutiones ordinatae sunt. Die XXII. ejusdem mensis paulum muci rubicundi e vagina effluxit, a die XXIX. vero menstrua justa, valetudine bona non turbata, per spatium temporis solitum effluebant et fine mensis Novemb. reversa sunt. Puella hilaris et sana mense Decembri dimissa ad hoc tempus usque nulla animi turbatione affecta est, quamquam anno post sanationem praeterito oculus ejus alter calce illitus sub magnis doloribus destructus est.

Primum respiciamus ad ea momenta, quae aetiologiae et pathogeniae inservire videntur. Dispositio morbi ulla vel hereditate vel partu vel aliis causis acquisita, quae animi aut corporis aegritudini cuidam occasionem suppeditasset, non indaganda erat. Infans et puella bona valetudine semper laetata, neque virgo menstrua perturbata umquam passa erat. Puellae educatio, eruditio, vita transacta simplici parentum ordini aptae et idoneae fuerant, nec minus domini, quibus ancilla servierat, de morihus ejus et agendi ratione optime judicaverant. Animi pathemata numquam mentem tranquillam turbaverant. Causarum igitur praedisponentium menstrua sola aderant, quae non solum animi habitum magis minusve irritabilem ac plerumque demissum instituunt, sed etiam et corpus et animum procliviorem reddunt ut facilius solito noxis afficiantur. Puella, quum hoc in habitu versabatur atque graves sudoremque elicientes labores sustinebat, in domo aëri pervia refrigerio exponebatur. Fluxus mensium protinus destitit, et paucis signis aegritudinis corporis praegressis, continuo animi perturbati symptomata aderant, quae celerius augebantur. Fons igitur morbi totius refrigerium corporis sudantis habendum est, et quaeri possit, num illa causa in cerebrum ipsud ejusque velamenta agens aeque cerebri animique efficacitatem atque organorum sexualium secretionem oppresserit? Tali modo enim animi morbos enasci auctores referunt.[1]) Indicia autem, quae hanc morbi originem rationibus affirment, absunt, contra

1) V. Esquirol-Hille pag. 61.

aliae viae magis commodae ad morbi ortum satis explicandum patere nobis videntur. Has nos ingrediemur.

Effectum proximum refrigerii mensium suppressionem habemus, quod creberrime observari potest; nobis vero illum nexum hoc in loco non respecturis disserendum est, quo modo uteri secretio interrupta mentis alienationem effecerit. Omnes quidem auctores, qui de animi morbis scripserunt, menstrua ordinem non servantia causis insaniae adnumerant, morborum casus tamen nostro similes, qui ceteris aliis causis, quatenus intelligi potest, caret, rarius observentur. Si Esquirol[1]) dicit, suppressiones haemorrhoidum, mensium, leucorrhoidum animi pathematibus et libidinibus frequenter conjunctas et ex his ortas inveniri, ita ut observationes, in quibus illae causae ut verae descriptae sint, dubiae fiant, atque si iste illico mensium suppressionem partem sextam omnium causarum physicalium praebere commemorat, nobis hic numerus nimius videtur esse. — Guislain, vir experientissimus, suppressionem menstruorum conditionem insaniae directam rarissime appellari posse affirmat. Ille scripsit:[2]) „je ne me rappelle pas avoir jamais rencontré dix aliénées, chez qui cette influence de la suppression menstruelle sur la génération de l'état phrénopathique apparût nettement. Souvent je constate cet état mental à l'âge critique comme suite de la cessation du flux cataménial: mais je ne l'ai renconnu avec tous les caractères d'évidence rigoureuse que dans les cas exceptionels, chez des femmes ou des filles jeunes.“ — Griesinger[3]) haec dixit: „*Die einfachsten, aber auch seltensten Fälle sind die, wo bei zuvor gesunden Personen nach einer schnellen Cessation oder Unterdrückung der Periode acute lebhafte Gehirnhyperaemie entsteht und unmittelbar damit Geistesverwirrung ausbricht.*

Apud nostram aegrotam rem se ita habere putamus, etsi non cerebri hyperaemia acuta sed plethora abdominalis causa excitans fuisse nobis videtur. Consulto dicimus haec ita videri, quia aegrota morbo incipiente a medico non observata est, itaque non utique contendi potest, sanguinis congestiones caput versus defuisse, quin capitis dolor speciem earum forsan praebebat. Sed tamen ex symptomatibus alienationis animi indiciisque plethorae abdominalis nec minus ex his conditionibus in utramque partem aequo gradu delabentibus nostram opinionem justam habemus. Capitis dolorem, ut hoc symptoma illico dicamus, in principio omnium fere animi nec paulo minus plurimorum corporis morborum animadvertimus. Minime ille dolor semper cerebri hyperaemia incitatur; quod perspicuum, si consideres, dolorem, irritatione nervorum modo peripphericorum modo centralium ortum, sensum animi in sua integritate laesi esse.[4]) Commemorabimus quoque Flemming, virum doctissimum, capitis

1) L. c.

2) Leçons orales sur les Phrénopathies. Tome II. p. 75.

3) *Pathologie und Therapie der psychischen Krankheiten.*

4) *V. Psychologie und Psychiatrie von Hagen, Wagner's Handwörterbuch II,* 745.

dolorem ad angorem praecordialem arctius pertinere opinari;[1]) quae opinio etiam nostra morbi historia affirmatur.

Nostrum igitur est exponere, qua ratione corpus aegrotum et mentis alienatio inter se essent connexa. Sunt modi diversi, qui vel singuli vel inter se conjuncti, hunc nexum componant.

Primum, quum consensus inter cerebri et genitalium actiones ope gangliorum et medullae spinalis notus sit, ad nervorum vim efficacem respiciamus oportet; qua re, si genitalium functio turbata exstat, cerebri actiones saepius quoque perturbantur. Jam legitimae ac naturam sequentes vices et mutationes genitalium muliebrium in animi habitum satis cognitis et apud singulas feminas diversis modis agunt. Materiis enim organorum eorumque partium singularium mutatis, nervi peripherici utcunque incitati mutatique haec incitamenta ad conscientiae organon in cerebro transferunt, ubi incitatio ut sensus a consueto diversus animo percipitur.

Aliter opinari possumus menstruis suppressis sanguinis quantitatem et qualitatem commutatas esse, ac praesertim sanguinem prave mixtum aegrotam cerebri functionem effecisse. Negari quidem potest, sanguinis multitudinem parte menstruorum retenta pro tempore adauctam esse, quum autem sanguinis modus, qui in nostris terrae regionibus menstruis excerni solet, IV vel V unciarum sit, haec res minimi momenti est. Qualitas quoque sanguinis suppressione alia est facta, sed quis modus mutationi ipsi hujusque actioni fuerit, haud facile demonstratu. Litzmann[2]) experimenta Simonis, qui in sanguine menstruali nullum fibrinum, haematoglobulinum autem haematino impletum invenerit, respiciens opinionem conjicit, illum sanguinem fortasse maxima ex parte ex priscis et usu detritis corpusculis sanguineis compositum esse. Huic scriptori contradicit Leuckart,[3]) contendens, illum sanguinem, a Denis et Henle investigatum, omnes sanguinis communis partes eundemque fibrinum continere, atque conditiones ejus proprias proprio excretionis modo institui. Idem auctor etiam putat, hanc haemorrhagiam excretionem materiarum nutrientium, quae abundent, esse. Utcunque res se habeat, concedere debemus, ut sanguinis conditio menstruis retentis quacunque ratione mutata sit. Si vero ex mutationibus sanguinis morbos animi enasci scriptores referunt,[4]) tamen accuratius jam investigandum est, quomodo istae mutationes pro se insaniae causas reddant. Quaestiones de sanguine aegroto ad hoc usque tempus usui medicinae magnae utilitati non fuerunt. Quam ob rem et quum menstrua crebro et multifarie ab ordine decedentia valetudinem mulierum nonnunquam minime turbare videantur, hujus causae minorem rationem habere possumus.

---

1) *Allgemeine Zeitschrift für Phychiatrie v. Damerow etc. V.* 342.

2) *Schwangerschaft, Wagner's Handwörterbuch III,* 1. *p.* 37.

3) *Zeugung, Wagner's Handwörterbuch IV, p.* 879.

4) *Friedreich, allgem. Pathol. d. psychischen Krankheiten. p.* 373 *sqq.* — *Giesinger, l. c. pag.* 140. — *Jessen, "Insania", Encycl. Wörterbuch d. med. Wissenschaften.*

Maximi vero et gravissimi momenti sunt impedimenta, quae sanguini per venas in totum abdomen diffuso objecta erant. Causa proxima menstruorum est ovorum maturitas ac dimissio folliculis Graafianis diruptis. Hoc cum eventu conveniunt sanguinis congestiones ovariorum, tubarum, uteri, vaginae lacunaris, quin etiam interdum genitalium externorum, quam hyperaemiam haemorrhagia ex vasis sanguineis diruptis in cavam uteri prosequitur. Effluxus sanguinis est exitus hyperaemiae uteri et vehiculum ovi ad excretionem maturi. Si igitur ante finem justam interrumpitur effluvium, quo ex parte quidem illa genitalium hyperaemia compensatur, venas organorum pelvis eo magis sanguine impleri necesse est. Nimiam vasorum impletionem sequebatur apud nostram aegrotam hyperaemia venae cavae et venae portarum eademque quum ceterorum abdominis organorum tum hepatis. Venter prominens, tumor magnus hepatis, splen volumine exaggeratum, congestioni sanguinis tribuenda erant, quae conditio et hepate ad venam cavam incumbenti et digestione perturbata, nec minus strenuitate cerebri sublata, sustentata est. Hoc organorum statu aegroto nervi peripherici irritabantur, et haec nervorum affectio ad cerebrum adducta animumque incitans proximam causam animi alienati reddidisse nobis videtur.

Initio enim morbi puellam vexabat sensus valetudinis incommodae ac status illius, quem lingua vernacula diximus „*Unbehaglichkeit*“. Indicat autem, hic sensus turbationem digestionis, sanguificationis, secretionis, omnino organorum abdominalium, quia his vexatis nervi sympathici habitum gangliorum producunt, qui in animo istum sensum efficit.[1]) Erat igitur primum indicium plethorae abdominalis orientis. Deinde continuo cum signis anxietatis symptomata animi morbo affecti conspecta sunt. Auctore Hagen[2]) angoris sensus est conscientiae animique affectio, quae ex impedita functione organorum thoracis ope medullae oblongatae oritur. Flemming[3]) distinguit inter suffocationis angorem, qui ex circulo sanguinis minori turbato efficiatur, et angorem praecordialem, quem nervi vagi proprium morbum et symptoma melancholiae peculiare esse putat. Dixit, non jam satis constare, an incitatio medullae oblongatae, cujus ope angor producatur, primaria esse possit; secundariam vero affectionem medullae aut a cerebro magno, utpote cogitationis organo, aut ab organo sentiendi adhuc incognito, aut a nervis periphericis originem trahere. Simul ille vir doctissimus adnotavit, cum angore praecordiali saepius esse conjunctam affectionem aegrotam nervorum acusticorum et glossopharyngeorum in medulla oblongata quoque radicantium, quae intelligatur hallucinationibus auditus et gustibus depravatis, nec minus aegroti timore, ne veneno obeat. Hagen vero anxietatem praecordialem angorem cum peculiaribus tantum praecordiorum sensibus conjunctum esse putat. Apud nostram aegro-

1) *V. Hagen, l. c. pag.* 752.

2) Ibid. pag. 749.

3) L. c. pag. 341 sqq.

tam veri simillimum, anxietatem sensim paulatimque adauctam e tumoribus paulatim accrescentibus hepatis lienisque, denique e plethora abdominali ortam esse. Hepate enim diaphragma sublatum ejusque motus impeditus erat, quare respiratio brevior usui non sufficiebat, ideoque sanguis venosus in circulo minori coacervatus, processum oxydationis difficiliorum animumque ducendi necessitatem graviorem reddidit. Nervi peripherici, qui illa organorum functione vitiosa male affecti erant, ut nominentur sympathici, vagi, phrenici, produxerunt cerebri statum, qui in animo sensum anxietatis angorisque provocavit. Nervos sympathicos irritatos esse perspeximus quoque ex pupillarum latitudine, quas angustas videmus, si fibrae cerebrales ac praesertim nervi oculomotorii incitatae sunt. — Nec minus autem ignotum illis symptomatibus consociatis functionem cordis et cutis conditionem tali modo, qualem supra diximus, commutari. — Cibi taedium et sitophobia, quae nonnunquam intererat, partim in digestione perturbata partim in sensibus aegrotis nervorum glossopharyngeorum et vagorum habebant rationes. — Sedimenta urinae erant indicia concoctionem ciborum vexatam esse et materiarum mutationes ad finem legitimam non processisse. —

Symptomata autem mentis perturbatae omnia e unico et nimio angoris sensu eveniebant. Nam ille animo tantopere potitus erat, ut cetera mentis strenuae signa omnino fere remota essent. Vis animi res proponendi vel volendi ideoque mentis facultates superiores vi nimia illius sensus oppressae erant. Res factaque oculis et auribus puellae aegrotae velut nulla praelabebantur, nam angor omnipotens ceteras sensentias animo excolendas non passus est, quapropter aegrota nec questus nec voces in lucem edebat. Idem sensus quoque effecit, ut puella e lecto desiliret, sub divo incurreret, quoquoversus effugere studeret.

Conspiciamus nunc brevi formam et exitum morbi. Si de nomine agitur, eum melancholiam appellare passumus; sed nobis bene conscii sumus, illam affectionem gradum primum melancholiae sic dictae fuisse, et naturam morbi illo nomine non describi. Sed res de nominibus morborum animi sub judice adhuc. Anxietas vel angor est ex illis animi facultatibus, quas cunctas Germani comprehendunt nomine „*Sinnliches Bewusstsein, Sinnlichkeit*“;[1]) illarum organon fons morbi, et de illis etiam nomina essent adhibenda. — Quoad exitum commemoramus causas functionis cerebri perversae et ad unum tendentis delapsas esse, priusquam sententiae et opiniones perversae orirentur: quibus deficientibus prognosis melior erat.

De cura viri rerum gnari judicium ferant. Nos ipsi quidem non remedia adhibita sed nosocomium medicamen optimum fuisse putamus. Otium corporis et animi, consuetudo tranquillarum ac strenuarum aegrotarum, lex domestica firma neque vero molesta, tractatio puellae et corpore et animo aegrotae, haec profecto fuerint remedia idonea, quibus ne morbus procederet, impeditum est et sanatio instituebatur. — Quod

1) *V. Hagen, l. c.*

etiam et ab aliis commemoratum et a nobis crebro observatum atque hoc casu denuo affirmatum, commemorabimus, reditum menstruorum puellae salutem non reduxisse, sed menstrua tum demum ad consuetudinem reversa esse, quum aegrota jam per quinque vel sex hebdomades valetudine bona gavisa esset. — Hac occasione quaeratur an menstruis suppressis ovorum maturitas et dimissio atque organorum sexualium internorum hyperaemia omni casu praesto sint. Nonnullae observationes rem se ita habere affirmant.[1])

Ita morbi imaginem brevi adumbravimus, sed punctum saliens adhuc fere negleximus. De cerebri irritatione conscientiam animumque commoventi locuti sumus, neque vero diximus, quo modo excitatio illa ad animum transeat. Hic rei ambiguae et incertae mentionem facimus, quae ut perspicue cognoscatur fore numquam sperare possumus. Cogitamus enim sedem et naturam animi ejusque morborum. Nobis bene conscii sumus nos in hanc regionem obscuram parum iniisse; ideoque ipsi de nostra opinione petimus ut „nonum prematur in annum". Quum autem quaestio illa tholus quasi dissertationis sit nostram opinionem paucis proferre debemus. — Obsequimur doctrinae illi, quae audit: „*Somatische Theorie*". Credimus animum propriam et non materialem hominis partem esse, quae propriis ac sibi ipsi inhaerentibus rationibus explicetur. Fundamentum vero, in quo ille facultates suas explicat cujusque ope agit, praebet corporis materia, efficacitas quarundam cerebri partium, quibus transitus a corpore ad animum et illi gradus priores facultatum animi, qui vocantur: „*Sinnliches Bewusstsein*", inhaerent. Hujus facultatis errores sunt ipsi animi morbi, sunt insueta et perversa signa animi efficacis ex causis insuetis, quas producit conditio aegrota illarum partium cerebri ad animum spectantium. Causas proximas, sub quibus functiones psychicae et justae et perversae processum habeant, rationibus trophicis fibrillorum cerebralium inhaerere putamus. Itaque, si ex causis aut physicis aut psychicis fibrilli cerebrales functionibus psychicis respondentes magis solito incitantur, rationes trophicae tantopere commutari possunt, ut functio eorum fiat alia et perversa. Nam si animo semper strenuo imagines vel pauciores vel obscurae vel perversae a cerebro praebentur, animus eas rectas et veras concipiens et ex consuetudine explicans facta perversa et insana in lucem edit. Apud notram aegrotam conditio cerebri aegritudine corporis instituta concitaverat actionem, quam animus anxietatem legitime sentiebat; sed haec imago cerebri functionem tantopere oppresserat, ut animus nec observando nec sua sponte agendo perspicuas cerebri imagines alias invenire posset, quibus cogitationes veras excoluisset. — Homo mentis sanus errat, quamdiu animus notiones errori contrarias nec observationibus nec cogitationibus concipiat; morum aegrotus peccat, quia animi adhortationibus vitio contrariis non obsequi vult; mentis aegrotus insanit, quia animus cogitationes justas habere non potest. Sunt vincula corporis,

1) *V. Litzmann et Leukart, l. l. c. c.*

quae animum impediunt, ne vires libere exerceat. Sin autem cerebri functio perversa in consuetudinem redit, atque partes cerebri ad tunc usque oppressae et quasi dormientes denuo ad strenuitatem habiles fiant, est vis animi ipsius integra, quae cogitationes et sententias rectas et errorem abigentes evocat. Quid igitur est, in quod insanorum medicus curas impendeat? Est animus integer et corpus aegrotum. Causas cerebri prave efficacis removere, animoque conditiones recte agendi reddere medicus studet, qua ratione omnibus remediis potitur, quibus aequilibritatem facultatum animi restituat. — Quaenam denique sit cerebri functio animum agens? Nescimus. In quanam parte cerebri sedem habeat? hac de re sunt opiniones diversae. — Animum autem arbitramur nec aegrotare nec mori, sed eum esse: „*Der Odem des lebendigen Gottes!*“

THESES DEFENDENDAE.

1) Nulla functio psychica sine materiae immutatione.

2) In insania curanda medicamina minoris momenti.

3) Variola et variolois idem est morbus.

4) Nutritio et inflammatio gradu tantum differunt.

1855. VII.
MEDIC. VIII.

NONNULLA

DE

ENCEPHALOMALACIA ARTERIARUM OBSTRUCTIONE ORTA,

CUIUS MORBI CASUS ADIICITUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

HENRICUS HOLM

GLUECKSBURGENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

1855.

Imprimatur.

Dr. *Aem. Frid. Goetz*,

h. t. Dec.

Encephalomalacia arteriarum obstructione orta adhuc non saepe observata est. Primum Rostan ostendit, encephalomalaciam non sola inflammatione cerebri, sed etiam arteriarum ossificatione nasci. Deinde Abercrombie et Carswell contra sententiam, qua dicitur, encephalomalaciam sola inflammatione cerebri oriri, dixerunt, arteriarum obstructionem saepe illam efficere. Tam quoque Hasse et Günsburg huic sententiae assenserunt. Qui autores omnes obstructionem ex arteriarum sclerosi deduxerunt. Novissimo autem tempore caussa gravior obstructionis relata et cadaverum obductionibus demonstrata est, partes obliterantes ab altera arteria in alteram sanguine ablutae, quas primum Virchow invenit. Qui autor in scripto „*über acute Arterienentzündung*“*) casus quatuor tradidit, in quibus partim hac caussa partim sclerosi arteriarum encephalamalaciae orta sit. Uno in casu (casu IV Virchow) encephalomalacia obstructionem arteriae fossae Sylvii dextrae sclerosi ortam secuta est, in altero (casu VII) encephalomalaciae caussa obstructio arteriae ophthalmicae dextrae et carotidis cerebralis partis erat, quae coagulo a valvula mitrali degenetata abluto effecta est, in tertio (casu X) obstructio arteriae fossae Sylvii sinistrae partibus valvulae mitralis et valvulae aorticae degeneratae facta est, in quarto (casu XI) coagula atrii cordis sinistri, quae in ramos duos arteriae fossae Sylvii sinistrae inducta erant, encephalomalaciam effecerunt. Praeter quos casus Rühle**) duos casus nobis narravit, quorum in altero, arteria fossae Sylvii sinistrae concremento valvulae aorticae obturata, in altero carotide cerebrali sinistra coagulis valvulae mitralis obturata encephalomalacia nata est. Postremum Kirkes et Traube hanc encephalomalaciam commemoraverunt. Medio hoc anno mihi contigit, ut in nosocomio chirurgico nostro casum observarem, in quo coagulis aneurysmatis carotidis in cerebrum inductis encephalomalacia gigneretur. Qui quum casus maximi momenti sit, postea eum referam.

Priusquam autem de hoc casu agam, mihi liceat, ut nonnulla de arteriarum obstructione et encephalomalacia dicam.

*) *Archiv für patholog. Anatomie und Physiologie. Bd.* 1.

**) *Virchow's Archiv für patholog. Anatomie und Physiologie. Bd.* 5.

Arteriarum obstructio in partibus variissimis systematis arteriosi reperitur. Plerumque magnam perturbationem efficit, quae e magnitudine massarum obturantium pendens interdum tam parva est, ut perturbatio minima aut nulla accidat. De obstructionis caussis diversae sententiae habentur, novissimo denique tempore diligentissima investigatione anatomica pathologica adhibita caussarum cognitionem perspicuam accepimus. Maxime Virchow investigationibus suis egregiis hanc rem explanavit. In scripto supra dicto statuit, arteriarum obstructionem coagulis sanguinis eodem loco formatis aut coagulis ab alio loco sanguine abductis aut partibus arteriarum et cordis valvularum degeneratarum abruptis oriri. Praecipue in hoc scripto ei sententiae se opponit, qua obstructio coagulis inflammatione arteriarum membranae intimae natis effici putatur, quae sententia longe lateque dispersa erat. Sasse et Bouillaud experimentis in animalibus factis, in quibus membrana intima corporibus alienis irritabatur, inflammationem se reperiisse dicunt. Contra quos Virchow magnum numerum experimentorum eodem fere modo institutorum refert, in quibus nunquam inflammatio membranae intimae, sed solae mediae et externae accidit. Quomodo coagulatio eveniat, in eodem scripto et in eo „*über Pfropfbildung und Verstopfung*“ *) explicat. Ad illam faciendam sanguinis stagnatio et fibrini copia quaedam necessaria est. Sanguinis stagnatio vario modo accidere potest, ut parietum degeneratione atheromatosa, mediae et externae mombranae inflammatione, tumoribus qui compressionem in parietem exteriorem efficiunt, arteriarum ectasia, sicut aneurysmatibus, cordis vi valde minuta, Moosherr autore in arteriis minoribus membranae mediae degeneratione adiposa, quam in hominibus senioribus et junioribus reperit. Aëris aditus Virchow autore ad coagulationem fibrini in sanguine soluti efficiendam necessarius non est. Coagulum a Virchow thrombus, et coagulationis processus thrombosis nominatur. Coagula arteriam totam aut ejus partem obliterare aut eorum copia parva parieti adhaerente arteriae stenosin efficere possunt. Jam si coagulum ortum est, denuo e sanguine fibrinum ad illud se apponere potest, ita ut paullatim complures arteriae obturentur. A thrombo, sicut valvulis degeneratis, partes abrumpi et sanguine abduci possunt, quo efficitur, ut in angustiore arteriae parte affigantur, itaque sedimenta nova fibrini componantur. Quae massae abductae quum magnitudinem quandam habeant, perturbationes subitas commovent, quae praecipue se ostendunt, si hoc in organis, quae magni momenti sunt, accidit. Virchow hunc processum emboliam appellavit. Embolus eo se distinguit a coagulo sanguine non abducto, quod vasis parieti laxe adhaeret, et paries imminutatus est. Interdum arteria embolo statim plane obtnratur, saepe autem stenosis modo efficitur. Quum per longum temporis spatium affuerit, vario modo mutari potest, aut se dissolvere, aut in massam fixam se convertere. Arteria quoque, quae circa embolum sita est, mutatur, quod ex emboli statu pendet. Aut stenosis nascitur, aut in-

*) *Virchow, Patholog. und Therapie, Bd. I.*

flammatio, qua arteria paullatim deletur, quo efficitur, ut etiam partes circumferentes afficiantur. Perturbationis magnitudo embolo factae in eo sita est, utrum circulatio collateralis formetur, an non. Quum haec non nascatur, partes, quae arteriam obliteratam circumdant, anaemiam accipiunt, quare in organis internis functio minuitur, in partibus externis mortificatio perspicua oritur.

Si solius cerebri rationem habemus, in hoc organo, quum arteriarum obturatio formata sit, quae tam magna est, ut circulatio collateralis nasci non possit, malaciam accidere cognoscimus. In casibus observatis malacia praecipue nata est e ramis carotidis cerebralis obturatis, et semper in obturatione arteriae fossae Sylvii reperta est. Quod attinet ad malaciam ipsam, maxime flavam sic dictam, quam Emmert et Dietl gangraenam significaverunt, reperimus, Virchow tamen dicit, etiam hanc malaciam initio rubram esse, et Leubuscher*) in arteriarum obstructione malaciam quoque albam esse commemorat. Investigatione microscopica guttas adiposas, nucleos, fibras adipe degeneratas, sanguinis corpuscula et corpuscula Glugii cognoscimus.

Symptoma maxime manifestum, quod in vivo encephalomalacia nascitur, paralysis est, quae eo magis se ostendit, quo major malacia sit. Diagnosis difficillima est, puum homines, qui antea omnino valuerant, subito statu apoplexiae simili afficiantur. Embolo encephalomalaciam ortam esse animadvertere possumus, quum exploratione exacta cordis vitia et arteriarum demonstrentur, quae emboli caussae esse possint. Multo difficilior diagnosis est, quum in arteria coagula adsint, et ab iis partes abruptae sint. Quae coagula in vivo non facile cognoscuntur, quare apoplexia sola animadverti potest. Symptomata emboliae et apoplexiae fere eadem sunt. Etiam paralysis embolia facta in latere, in quo non inest malacia, apparet, et quidem in facie et in extremitatibus. Discrimen inter emboliam et apoplexiam praecipue id commemorandum est, quod faciei paralysis embolica manifesto in eodem latere, quo ea extremitatum, se ostendit, quod plerumque in apoplexia non reperitur. Reliqua symptomata primum irritationis signa sunt, ut deliria, cephalaea, contractiones et convulsiones, febris, deinde depressionis, ut paralysis et coma. Quorum praesentia e malaciae sede pendet. Si haec magis est in cerebri peripheria, irritatio, si magis in centro, depressio praevalet.

Prognosis infaustissima est, quum brevissimo tempore circulatio collateralis non appareat, quia arteriarum obliteratio tolli non potest. Eventus faustissimus, ut Virchow dicit, in eo est, quod thrombi in telam cellulosam mutantur, quo effici potest, ut sanguis rursus per arteriam fluat. Mors plerumque brevi tempore accidit, eo prius, quo magis cerebrum malacia deletum est.

De therapia in thrombosi pauca exspectari potest. Venaesectiones non adhibendae sunt, quum utilitatem non afferant. Parva modo remedia antiphlogistica et epispastica sunt praebenda. Praeterea irritationis symptomata narcoticis et refrige-

*) *Pathologie und Therapie der Gehirnkrankheiten.*

Вера Ивановна Арсеньева (1 (13) мая 1880, Москва — 1 (14) ноября 1962, там же) — русская писательница, переводчица, мемуаристка. Дочь историка и публициста И. Ф. Горлова, сестра писателя Н. И. Горлова, жена писателя Н. А. Арсеньева. Вера Арсеньева родилась в Москве в семье И. Ф. Горлова. Первый рассказ опубликовала в 1900 году в журнале «Мир Божий». Печаталась в журналах «Русская мысль», «Русское богатство», «Современный мир», «Вестник Европы», «Русское слово», «Ежемесячные сочинения», «Русская школа»,

Die morbi secundo sensorium non ita affectum erat. Aegrotus amicum cognovit, et cum eo locutus est, sed quidem tarde. Respiratio cum strepitu stridenti jam non conjuncta; paralysis extremitatum lateris dextri aderat; palpebrae justo modo se aperuerunt atque clauserunt, dextra modo paullo tardius quam sinistra; aegroti inquietudo adhuc exstitit; pulsus in sexagesima horae parte sexagies repetitus est. Data sunt infus. senn. cum magnes. sulphur., atque clysmus aceto paratus et sinapismi suris apponendi.

Die morbi tertio aegrotus per noctem inquietissimus fuerat; deliria et coma in vicem accesserunt, et recesserunt. E comate aegrotus magna voce facile excitatus est. Praeceptis ei datis obediit. Urina salibus acidi urici turbata; alvi dejectio non evenerat. Ordinata sunt clysmus ol. croton. guttas quatuor inhibens et epispastica.

Die morbi quarto aegroti status ad pejus se verterat. E comate excitari prorsus non potuit. Facies ruberrima; pupilla dextra distorta erat, sed, sicut sinistra, reactionem ostendit. Urina invaluntarie e vesica effluxerat; obstructio adhuc aderat. Data sunt hirudines duodecim temporibus sinistris apponendae, praeterea clysmus ol. eroton. guttas quatuor inhibens, et sinapismi suris applicandi atque frictiones extremitatum inferiorum.

Vespere inquietudo magna et deliria accesserunt, quae saepe comate mutata sunt. Hora circiter duodecima aegrotus mortem obiit.

Obductio postero die instituta est. Inspectione partium corporis exteriorum, quod commemorandum sit, non repertum est. In pulmonibus oedema loborum inferiorum erat; pleurae sinistrae pars adhaesa. In pericardio non multum liquoris; cor justo non major in superficie passim strias adiposas habuit; in eo mediocris copia sanguinis coagulati; valvulae insufficientiam non ostenderunt, sed omnes, praecipue valvulae mitralis margines massis atheromatosis obtecti erant; haec degeneratio major in aorta ascendenti. Cuti colli soluta tumor trigonum superius lateris sinistri implens apparuit, qui tela cellulosa lutea tectus erat. Tumor infra sternocleidomastoideum et omohyoideum ingressus est, quorum uterque partem tertiam tegit. Vena jugularis interna ad latus sinistrum pressa et nervus vagus inter eam et tumorem paullo profundius situs erat. Ramus descendens nervi hypoglossi super carotidem et sub tumore situs in progressu seperari non potuit. Praeparatione majore facta e tumore sursum carotis interna et externa egressae sunt, et deorsum carotis communis, et quidem fusiformis, qualis erat prope ad introitum in arcum aorticum. Tumore et carotide communi scalpello apertis, cavum repertum est, quod parietes diruptos et posteriore parte tenuiores quam in anteriore et in lateribus habuit, quae in crassitudine digiti dimidii fere solis coagulis sanguinis fixis composita erant. Ab eo loco, quo carotis ex arco aortico egreditur, usque in canalem caroticum maximeque in hac regione massae atheromatosae repertae sunt, quae flavam membranam arteriae intimam albam tinxerunt, et passim prominebant. Tumor sola adventitia justo crassiore circumdatus est, cujus

tamen in superficie interiore planum novum et leve natum erat, quod arteriae membranae intimae simillimum erat. Arteriae membranae interiores medio in tumore diruptae, et sursum atque deorsum ab adventitia digito sejunctae erant, ita ut sanguis inter hanc et illas membranas fundi posset. Quorum partes abruptae in cavum coagulis fibrinosis et cruentis impletum pependerunt. Tumoris in posteriore parte tertia membranae fere integrae erant, ita ut, quod hoc loco ruptura non acciderat, et fundamentum fixum aderat, extensio earum nasci non posset. Quare tumor in trigono colli superiore situs erat, in quo membranis interioribus diruptis sanguinis impressione extensus est. Quae cum ita sint, tres aneurysmatis species aderant, deorsum aneurysma fusiforme, in trigono ipso sacciforme, et deorsum sursumque dissecans. In progressu carotidis externae, quae a norma discedant, non inventa sunt. Carotide interna amplius praeparata prope ad introitum in canalem caroticum sanguinis coagulum apparuit, quod deorsum conice terminatum in arteriam intravit. Vulsella captum et extractum in regione circiter canalis carotici abruptum est. Cranio aperto cognitum est, hoc coagulum lumen carotidis internae totum implevisse, et partem parvam arteriae corporis callosi, et arteriam ophthalmicam atque fossae Sylvii, ejusque ramos obturavisse. Colore fusco et rubro erat, et in eo passim coagula albida formaque irregulari inerant, quae per longius temporis spatium exstitisse, et ab aneurysmate abducta esse visa sunt, cujus cum coagulis colore et constitutione histologica congruerunt. Cranium justam formam habuit. Sub arachnoidea liquoris serosi copia parva et vasorum piae matris injectio inventae sunt. Gyri hemisphaerae sinistrae paullum aplanati erant. Quum in eam incisio facta sit, massa magna malacia deleta reperta est. Cujus color albidus et flavus erat. Parte reliqua cerebri hemisphaerae sinistrae, quae malacia non affecta erat, incisa, puncta cruenta multa et majora, quam in latere dextro orta sunt. Utriusque lateris ventriculus copia non parva liquoris serosi impletus erat. Hemisphaera dextra immutata erat. Medio sub aquaeductu Sylvii et corpore quadrigemino haemorrhagia recens, quae magnitudinem fabae habuit, se ostendit. Altera illi similis, parvis extravasatis e capillaribus ortis circumdata magis in anteriorem partem versa est. Malacia maxime corpus striatum et thalamus nervi optici affecta erant. Investigatione microscopica detritus granorum et fibrarum brevium et tenuium exploratus est, inter quae nihil partium cerebri integrum inveniri potuit. Praeterea corpuscula sanguinis rugata et in glebis conjuncta aderant. In capillaribus idem status corpusculorum sanguinis, etiamque guttulae adiposae cognita erant. Massarum albidarum coaguli quoque, quod in carotide cerebrali inerat, corpuscula sanguinis rugata erant, et plerumque in glebis irregularibus cohaeserunt, eodem modo, quo in coagulo aneurysmatis colorato. In partibus albis multa sanguinis corpuscula alba apparuerunt, et quidem massa fibrinosa circumdata. Carotidis dextrae in loco divisionis degeneratio atheromatosa maxime profecta erat, quae hic massa alba et regularis erat, parietem totam interiorem occupavit, atque in carotidem internam, non vero in externam progressa est. — Hepar

incisum colorem clarum habuit. Splen fragile erat, sed justa magnitudine. Renum catarrhus parvus aderat.

In hoc casu manifestum est, compressione aneurysmatis facta ejus coagula abrupta, et sanguinis vi in cerebri arterias inducta esse. In arteriarum partibus compluribus massae repertae sunt, quae prorsus cum massis aneurysmatis reliquis congruerunt. Quibus embolis primo arteriae obturatae sunt, et deinde circa eos coagula orta sunt, quibus effectum est, ut tanta obturatio nasceretur. Malaciae obturationem arteriarum neque malaciam obturationis caussam esse, eo demoestratur, quod status membranarum cerebri arteriarum integer erat — usque ad initium canalis carotici degeneratio atheromatosa progressa est — et quod cerebri irritatio et paralysis tam subito accessit. Si malacia obturationis caussa fuisset, in vivo etiam per longius temporis spatium ante mortem majora cerebri morbo affecti symptomata affuissent, cognovimus tamen, aegrotum solo aneurysmate molestias habuisse, et quidem per breve tempus, quum diceret, se tumorem ante hebdomades nonnullas primum sensisse. Aegrotus reconvalescere non potuit, quum, tanta arteriarum obstructione orta, quae in ramos minimos se pertinuit, circulatio collateralis rapidissime accidere non posset. Mortem, quum malacia talem magnitudinem assecuta sit, brevissimo tempore eventuram esse, exspectandum erat. — Hoc casu nobis praeceptum datur, in aneurysmate carotidis cautissime explorationem instituendam esse, quum timendum sit, ne huic aneurysmati species similis adsit, aut in altero coagula insint, quae compressione parva facta solvantur, et emboli in cerebrum immitantur.

THESES.

1) In eczemate chronico internum remedium optimum Arsenicum est.

2) Corpuscula sanguinis e vasis non transsudantur.

3) Pelvis justo aequabiliter minor ante partum diagnosci non potest.

4) In hydrocele excisio tunicae vaginalis propriae optima operandi methodus est.

1855. VII.
MEDIC. IX.

DE

PERITONITIDE PERFORATORIA

CUIUS MORBI ADHICITUR CASUS SANATIONE INSIGNIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

ANTONIUS HENNINGSEN
FRIEDRICHSORTENSIS.

KILIAE.
EX OFFICINA C. F. MOHR.
1855.

Imprimatur.

Dr. *Aem. Frid. Goetz,*

h. t. Dec.

Respicientem quemque insignia, quibus aetas nostra gaudet, pathologiae incrementa, non fugiet, ea imprimis progressibus disciplinarum praxeos medicae auxiliarium esse tribuenda. Inter ea anatomia pathologica prae ceteris eminet, quae non modo de natura multorum morborum certiores nos reddidit, verum etiam causas eorum proximas accuratius perscrutata est et physiologicam eorum evolutionem exposuit. Hoc non modo de pneumonia, typho, dysenteria, metrophlebitide puerperali aliisque, sed etiam de peritonitide vera valet. Tantum enim abest ut adhuc nostra aetate, priorum annorum errore nisi, peritonitidem rheumaticam frequentiorem hujus morbi formam statuamus, ut, eam fere denegantes, peritonitidem primariam solummodo causae traumaticae externae aut perforationi viscerum tribuendam esse censeamus. Cum autem non omnes medici jam huicce sententiae adnuant, peritonitidis perforatoriae nosologiam et therapiam breviter exponere eo magis operae pretium fore existimavimus, cum casus hujusce morbi nobis in promptu sit, qui ad exitum faustissimum pervenit et idcirco publica commemoratione omnino dignus videtur.

Aetiologia. Peritonaei inflammatio e noxis aut universalibus aut localibus originem trahit. Morbus primo modo exortus, modo peritonitis spontanea, modo rheumatica, modo, quia in erysipelatis epidemiis observatus est „erysipelabosa“ *) nuncupabatur. Peritonitidis spontaneae doctrina usque in novissima tempora valebat et praecipue a viris, sicut Andral, Dugès, Duparcque, Billard **) et in Brittannia imprimis a Simpson ***) defensa est, qui peritonitidem jam in foetu ortam mortis foetalis causam creberrinam habet, et syphilidem matris secundariam momentum aetiologicum vulgare peritonitidis foetalis esse contendit. Peritonitis spontanea utrum singularis morbi species existet necne, experientia uberior ostendat necesse est, mihi quidem illa magis magisque addubitanda videtur, cui quidem sententiae viri in arte medica versatissimi adnuunt.

*) *Abercrombi. Pathol. und practische Untersuchungen über die Krankheiten des Magens, Darmcanals, Leber etc. pag.* 241.

**) Maladie des enf. 3 ed. 478.

***) Edinburgh medical and surgical Journ. Oct. 1838.

Originem peritonitidis noxis localibus exortae, variam et multiplicem esse necesse est jam propter magnam peritonaei extensionem. Vulnera abdominis penetrantia causae sunt peritonitidis traumaticae, quae saepenumero celerrime ad exitum lethalem pervenit; morbi illi puerperales, praecipue metrophlebitis, metrolymphangoitis et metroperitonitis causam exhibent peritonitidis puerperalis, quae saepe endemice tam perniciosa offertur. Prae ceteris autem cava illa abdominis viscera sunt, in quibus facillime processus ulcerationis oriuntur et perforatione peritonitidem hancce excitant In intestino abdominis quodam si pseudoplasmata se formaverunt, illa, dum ad tunicam serosam extenduntur, peritonaeum attingere et hoc modo peritonitidem plus minusve vehementem adducere possunt. In intestino cavo autem si ulceratione paries destruitur et peritonaei perforatio facta est, materias in intestinis contentas in cavum peritonaei effundi, et peritonitidis vehementiam ex quantitate et praecipue etiam ex qualitate contenti nocivi pendere necesse est.

Verumenimvero quatuor loci praeceteris exstant, e quibus peritonitis perforatoria originem trahit, viscera quatuor, in quibus processibus maxime variis parietum perforatio adducitur, processum dico vermiformem ileum, ventriculum et vesiculam felleam.

In *processu vermiformi* plerumque lapides sic dicti faecales (*Kothsteine*) ulcerationis et perforationis causae exstant. Faeces, resorptione partium liquidarum inspissatae et calcariae salibus, e secreto blennorhagico membranae mucosae praecipitatis, saepenumero durissimae factae, primo irritationem membranae mucosae catarrhalem efficiunt, quae deinde in ulcerationem perfectam transit et hoc modo paulatim membranae serosae perforationem affert *) Rarissime fructuum nuclei aut assulae osseae parvae, quae fortuito in processus vermiformis cavum inciderunt, perforationem illam efficiunt. — *In ileo* duo processus pathologici praecipue peritonitidem perforatoriam excitant, ulcera typhosa et tubercolosa, quae in casibus infaustis peritonaei perforatio sequitur. Ulcus typhosum magis, quam tuberculosum ad strati muscularis et subserosi destructionem tendit ideoque saepius quam illud perforationis causam offert. *In ventriculo* peritonitidis perforatoriae causa est, ulcus chronicum simplex (Cruveilhier) sive ulcus corrosivum (Virchow). Maximo jure igitur Rokitansky hoc ulcus nomine „ulceris perforantis“ significat, quippe quod ad perforationem maxime vergat. **) Casum peritonitidis ex perforatione ventriculi sanatae a me observatum infra narrabo. — *In vesicula fellea* calculi, quibus interdum plane impleta est, parietis perforationem afferunt. Processus hic omnino idem est, ut in perforatione processus vermiformis calculis faecalibus effecta.

Aliae causae peritonitidis perforatoriae nominandae sunt: herniae gaugraenosae repositae, ruptura vesicae urinariae, stenoses intestinorum, quae post ulcera tubercu-

*) *cf. Dr. Adolph Volz. Die durch Kothsteine bedingte Durchbohrung des Wurmfortsatzes etc.* 1846.
**) *cf. Handbuch der spec. path. Anatom. Rokitansky 2. Band, pag.* 187.

losa, dysenterica etc. cicatricata remanserunt, corpora aliena, quae fortuito in tractum intestinalem inducta sunt. Etiam atresiam ani, etiamsi operatione remotam, propter altiorem recti et flexurae sigmoideae angustiam neglectam et fistulas stercoreas sanatas perforationem coli efficere posse, quis est, qui neget.

Symptomata et diagnosis. Symptomata peritonitidis perforatoriae haecce sunt: dolor, nimia abdominis extensio, sonus mutatus, collapsus subitaneus. Facies hippocratica mortem appropinquantem aegroti, omnino sui compotis indicat.

Dolor, qui, subito et inopinato exortus, vehementiam maximam offert, conditione acuta, ardente est. Aut celerrime supra abdomen totum se extendit, aut circumscripte manet, siquidem, perforatione facta, jam adhaesiones definientes inflammatione adhaesiva circum laesionem continui formatae sunt. Dolor augetur omnibus causis, quae abdominis intestina sollicitant, sicuti compressione externe facta, tussi, respiratione alta, vomituritionibus, urinae et faecium excretione etc. Doloris origo in diagnosi statuenda, quo loco perforatio facta sit, nos ducere debet. Dolor vehementissimus autem, subito et inopinato ortus, signum pathognomonicum est peritonaei perforationis, quia perforatio plerumque subito et ex improviso e vi qualibet mechanica originem trahit; faeces accumulatae, meteorismus magnus in intestino tenui, temera ventriculi ulcere laborantis impletio, ictus externus aut lapsus processum vermiformem aut vesiculam felleam versus plurimis in casibus momenta occasionalia sunt perforationis. Doloris extensio, qui a perforationis loco super abdomen celeriter progreditur, ex quantitate et qualitate fluidi extravasati pendet. Dolorem ardentem, acutum mox sequitur *abdominis expansio*, quae in perforationis loco incipit et tum aut circumscripta manet, aut supra totum abdomen se extendit. Hujus effectus causam praebet expansio intestinorum, quorum tunica muscularis, ad paralysin vergens, compressioni gasorum continuo cedit, quo itidem fit, ut abdomen, digito percussum, sonum clariorem exhibeat, quam in statu normali. Brevi autem post, exsudatione in cavo peritonaei facta sonus percussionis obtusus auditur in partibus demissis, in quibus fluida et exsudata et extravasata confluxerunt. Hoc loco non omittam, abdomen nonnullis in casibus volumen normale conservare, aut applanatum videri. *Strepitus* ille peculiaris, quem primus Bright observavit, hinc etiam strepitus Brightii nominatus, semper adhuc a plurimis medicis negatur; strepitus, illi pleuritico similis, hic quoque frictione parietis visceralis et parietalis peritonaei oriri dicitur; certe non in omnibus casibus videtur adesse. *Vultus* eorum, qui peritonitide perforatoria laborant, maxime anxii sunt, inquietissimi, distorti, quod cum signo pathognomonico peritonitidis perforatoriae, cum exspectatione mortis appropinquantis certissima, maxime cohaeret. Effluvium magnum si statim peritonitis totalis secuta est, jam initio quoque faciem sic dictam hippocraticam videmus, quae in nullo alio morbo tam cito apparet; collapsus celerrimus, sudoribus frigidis, glutinosis et frigore extremitatum marmoreo eminens, satis nos certiores reddit de magnitudine mali. *Respiratio* brevis est et interrupta, quia aegrotus

dolorum vehementissimorum abdominis causa, diaphragma perfecte expandere non audet. *Arteriarum pulsus* primo tantum frequens et saepe plenus, mox parvus exsistit et debilis, denique filiformis et tanta frequentia, vix ut illum numerare queas. Inter symptomata consensualia peritonitidis perforatoriae commemorem oportet vomitum, qui aegrotum pervalde vexat, at tamen, cum anorexia fere semper adsit, levamen simul affert. Massae ejectae colorem viridem, peritonitidi pathognomonicum praebent, postquam initio magis serosae et muco immixtae fuere. Porro non raro cum peritonitide conjuncta est dysuria gravis, quae nonnunquam in perfectam urinae secretionis suppressionem transit. *Obstructio pertinacissima*, in casibus plurimis cum peritonitide conjuncta, eandem causam habet, quam meteorismus; efficitur paralysi strati muscularis intestinorum, quae motui peristaltico obstat. Obstructio, ut tam diserte primus dixit Volz *), videtur esse necessaria ad sanationem. quam natura ipsa affert, quum illa, ut infra adhuc videbimus, sine opii usu appareat et, etsi opium adhibetur, tamen, diebus sex vel octo praeteritis, desinat.

Sunt tantum pauci morbi, qui symptomata peritonitidis perforatoriae simulare possunt, plurimis in casibus signa hoc malum solummodo et accuratius indicant. — Cum peritonitide puerperali morbus noster non facile confundi potest, si modo consideramus statum aegrotae puerperalem, partum forsan difficilem antecedentem, epidemiam aut endemiam puerperalem et denique observamus, dolorem, abdominis expansionem, sonum percussionis obtusum in regione hypogastrica circa uterum et secundum ligamenta lata, vehementiores esse. Vomitus perpetuus, qui saepenumero ad ileum perfectum augetur, cum obstructione pertinacissima conjunctus, morbus tres alios, eadem symptomata offerentes, simulare posset: intussusceptionem, volvulum et incarcerationem herniae internam, sed partim his in casibus symptomata peritonitidis totalis non adsunt, partim aetiologia certiores nos facit de morbi conditione, partim etiam, sicuti in intussusceptione, abdominis palpatio et exploratio per rectum, qua conum illum mucosum nonnunquam attingere possumus.

Prognosis. Perforationis periculum minus ex sede loci perforati, quam ex quantitate et praecipue etiam ex qualitate fluidi extravasati pendet. Bilis, succus gastricus acidus, massae faecales decompositae, cum Phosphate magnesico-ammoniaco intermixtae, propter caloris gradum et fluidi abundantiam facillime in putredinem transeunt, et hoc modo pentonitidem gravissimam et plerumque lethalem reddant necesse est. Quam primum medico evenit ut peritonitidem exortam circumscriptam reddere possit et fluida extravasata pseudoligamentis formatis coerceantur, perforatio minus periculosa fit. Hinc nostra aetate, modo therapeutico congruo, nonnunquam tamen, etsi raro exitus faustus morbi periculosissimi observatur.

Therapia. Numquam therapia alterius morbi breviori tempore comprobationem tantam omnium fere medicorum invenit et triumphos majores habuit, quam usus

*) loc. cit. pag. 108.

majorum opii dosium in peritonitide perforatoria. Falsa opinione commoti et observationibus imperfectis nitentes in decenniis ultimis saeculi praecedentis viri artis medicinae peritissimi alia curandi methodo utebantur, antiphlogistica dico, quia in omni peritonitide inflammationem prae ceteris coercendam esse existimabant. Exitus infaustus sexcentia repetitus confidentiam huicce methodo dicatam et quasi vetustate sacratam convellere non potuit, quin necroscopiae quoque saepius institutae, medicos docere non potuerunt, saepissime peritonitidis causas medicamentis consuetis (Calomel, Oleum Ricini etc.) magis magisque augeri. Bene cognita erat illis temporibus peritonitis perforatione orta, sed rarissime eam adesse crediderunt. Plerumque medici illius temporis peritonitidem idiopathicam statuebant, quam, sicut inflammationem pleurae, pericardii etc. remediis antiphlogisticis tractandam arbitrabantur, si hanc curandi methodum exitus lethalis insequebatur, quantitate remediorum antiphlogisticorum non sufficienti tribuendus esse censebatur. Hinc efficiebatur, ut casum proximum iisdem remediis, sed paullo tantum fortius, debellare decreverint. Scripta viri doctissimi, Vogel, qui inter pathologos decenniorum ultimorum saeculi praecedentis primus exstitit, si evolvamus, ille jam descriptionem symptomatorum peritonitidis accuratam nobis exhibet, omnes autem casus methodo antiphlogistica tractare suadet. *)

Explorationes pathologico-anatomicae, accuratissime nostra aetate institutae, naturam peritonitidis perforatoriae accuratius ostenderunt, ita ut nunc opinio fere contraria de therapia ejus inter medicos exstet. A medicis britannicis primo peritonitis alio modo tractata est. Magnus ille Brittanniae medicus, Abercrombie, utilitatem methodi evacuantis per alvum, in omnibus peritonitidis casibus adhibitae, addubitare incepit et medico peritonitidis tractationem clysmatibus lenibus commendavit, quum a remediis purgantiis damnum magis, quam utilitatem vidisset (cf. loc. cit. pag. 231.). Notitia perforationis peritonaei exacta, quam necroscopiae in decenniis ultimis accuratissime institutae nobis praebuerunt, ad curam congruam duceret necesse erat. Postquam Graves et Stockes primi exitus faustissimos in tractatione peritonitidis perforatoriae, post typhum abservatae, magnis opii dosibus effectos, publicaverunt, brevi tempore post etiam in Gallia hujus therapiae defensores exstiterunt. Chomel, Petrequin, Grisolles hanc tractationem in patria, quam maxime propagare studebant, Etiam in Germaniam hujus curae novae fama pervenit, ubi praecipue a Volz (loc. cit.) maxime defendebatur. In libello illo, summa cura et diligentia scripto, observationes a se ipso et ab aliis factas enarrat, in quibus peritonitis, perforatione processus vermiformis orta, varie tractata est, ita ut ex iis magna opii vis in peritonitide disci possit. Quatuordecim casus peritonitidis perforatoriae, opio tractati, omnes ad exitum faustissimum pervenerunt, casus autem undequadraginta, qui alio modo tractati sunt, exitum lethalem habuere. Volz opium etiam in aliis peritonitidis casibus commendat, quod sane, quum peritonitis spontanea perdubia est et difficillimum saepenumero, perforationem

*) *S. G. Vogel, Handb. der pract. Arzneiwissenschaft. IV. Th. pag. 278.*

causam aetiologicam peritonitidis praejacentis excludere, pervalde respiciendum est. Opium certe in omnibus peritonitidis casibus remedium innoxium, calomel autem in casibus permultis perquam nocivum est. Opium, si magnae doses diutius adhibentur, plerumque omnia alia remedia adjuvantia, sicut glacies, hirudines, supervacanea reddit.

Peritonaei perforatio eo periculosior est, quo propius diaphragmati viscera sita sunt, quae perforantur. Res notissima est, sed minus pendet ex eo, quod fluida extravasata, gravitatis legem secuta, facilius super totum abdominis cavum effundi possint, dum explicationi huicce obstat perforationis orificium, semper ambitu minimo, ita ut inflammatio adhaesiva hic aeque facilius quam alibi pseudoligamenta finientes formare possit; imo vero periculum magnum ex eo oritur, quod bilis et succus gastricus acidus peritanaeum multo magis irritent, quam fluidum mucosum aut serosum, quod in casibus faustioribus, perforatione ilei typhosa aut processus vermiformis facta, effluere solet. Adhaesiones recentes, inflammatione levi nuper formatae, vi corrosiva bilis aut succi gastrici pari modo destruuntur, quo parietes ventriculi et vesiculae felleae, ita ut fere in omnibus talis perforationis casibus peritonitidem diffusam sequi necesse sit.

Etiam Bamberger in libro novo de systematis chylopoetici morbis dicit, omnem ventriculi perforationem ex ulcere chronico ortam semper ad exitum infaustam pervenire: „*Ist Perforation in den Bauchfellsack eingetreten, so lässt sich zwar das tödtliche Ende durch nichts abwenden.*“ *) Eo libentius jam ad descriptionem casus hujusmodi, in instituto clinico medico Kilionensi observati, transire mihi liceat, quippe qui exitum faustum obtulerit et mirum quantum magnam opii utilitatem in tractanda peritonitide, ex perforatione ventriculi orta, probare valeat.

Rosine Hein, ancilla Neostadtiensis, viginti annos nata die XIX. mensis maji in nosocomium academicum recepta est.

Anamnesis, Aegrota, mensium fluxu adhuc carens jam per duos annos e ventriculi morbo laboravit, qui usque ad tempus postremum paululum modo crescens, modo decrescens periodice in lucem prodiit. Tempore, singulis exacerbationibus interposito, aegrota, si modo nutrimenta concoctu facilia sumsit, valetudine perfecta frui visa est. Nunquam morbus situm tranquillum in lecto et raro tantum auxilium medici postulavit. In morbi exacerbatione dolores acerrimos, quos ardentes et acutos significavit, in regione pylorica aegrota conquesta est; si cibos, praecipue concoctu difficiles sumserat, dolores excitati sunt, aut, si antea jam affuere, vehementiores facti sunt; etiam regionis pyloricae compressione dolores aucti sunt. Simul cum doloribus anorexia et ciborum assumptorum vomituritio aegrotam vexaverunt, sed neque haematemesi neque melaena unquam se laborasse dixit. Ciborum appetitus omnino fere deerat, quotiescunque dolores orti sunt. Aegrota postquam per hiemem ultimam apud parentes suos fuit, initio mensis maji Kiliam rediit, quum adeo se esse sanatam putaret, ut labores consuetos sine damno suscipere posset, sed brevi tempore dolores illi,

*) *Handb. der spec. Path. u. Ther. Redig. von Rud. Virchow. Bd. VI. Abthlg. I., pag.* 200.

et vehementiores quidem, quam antea reversi sunt. Die XVII. mensis maji aegrota, prorsus sine doloribus expergefacta et alvo semel normaliter exonerato, mane subito, quum in lecto parando occupata erat, dolorem vehementissimum, acutum in regione pylorica sensit. Confestim sui non compos, sella, quae prope erat, usa est et sibi ipsi succurrere, prorsus non potuit. Sudore frigido tecta et vultibus faciei distortis in lectum collocata est, quo inter dolores vehementissimos continuos vomitus massarum viridium apparuit. Dolores, in regione pylorica orti, super ventrem se extenderunt, semper autem in loco originis vehementissimi manserunt; ventris palpitatio, dolorum causa suscipi non potuit; vomitus subinde repetitus est praecipue, si aegrota aquam frigidam biberat; sitis pervalde ursit, appetitus ciborum plane deerat; obstipatio pertinacissima et meteorismus modicus aderant. Die XIX. mensis maji, postquam symptomata illa jam descripta orta sunt, aegrota in nosocomium translata est. Quum recepta esset, dolores abdominis vehementissimos conquesta est; statum inquietum maximum obtulit, anxia extremitates et superiores et inferiores alacriter movit et caput modo ad hoc modo ad illud latus jecit, Pulsus centies octies in sexagesima repetitus est. Ordinata: Opii pulv. gr. $\frac{1}{2}$ singulis horis; praeterea pilulae glaciales et ad usum externum fomenta glacialia abdomini imponenda. *Status praesens.* (Die XX. mensis Maji.) Aegrota bene nutrita et calore faciei sano, apathiam permagnam offert. Interrogata non respondet. Abdomen, modice expansum, ubique sonum tympaniticum ostendit. Dolores post applicationem aquae frigidae et usum internum opii diminuti sunt, ita ut percussio abdominis suscipi posset; in regione ventriculi dolor semper adhuc fixus est. Lingua humida, parum stratis albis tecta, vomitus non adest, obstipatio continua; singultus, crebro reversus, aegrotam pervalde vexat. Pulsus plenus, sexies et octogies in sexagesima repetitur. Cutis temperatura non valde aucta.

Ulcus chronicum ventriculi hoc in casu adesse et neque cardialgiam, neque catarrhum gastricum chronicum, versimilius est, si consideramus, bonam aegrotae valetudinem tempore doloribus interposito adesse, porro regionem ventriculi compressione doloribus affici et dolores aut excitari aut vehementiores fieri statim post coenam. Abest quidem signum ulceris chronici pathognomonicum, haematemesis, nemo tamen nescit, ulcus chronicum saepissime per multum temporis spatium symptomata aut cardialgiae simplicis aut catarrhi gastrici exhibere, donec subito signa periculosissima apparent. Diagnosis nostra, ulcus chronicum adesse, prorsus certa est ex symptomatibus postremis diebus exortis, quae omnia tam perspicua peritonitidem localem ex perforatione significant. Etiam in decursu morbi casus nostri signa oriri, quae simul, peritonitidem adesse, demonstrent, porro videbimus. Verisimile est, perforationem ventriculi minimam esse, quia peritonitidis symptomata tam levia sunt, quo simul sperandum nobis est, fore ut cura apta peritonitis localis maneat. Maximam corporis quietem aegrota servare debet, therapia hesterni diei repetitus.

Die quinto post perforationem (die XXII. mensis Maji) aegrota primo tranquille dormivit, postquam die hesterno pulvis opii puri gr. ½ alternis horis sumere inceperat, abdominis dolores diminuti; appetitus ciborum et sedes omnino desunt. Pulsus sexies et nonagies in sexagesima horae parte adest. Datur opii puri gr. ½ tertia quaque hora. Die VIte post perforationem primum sedes liquidiores semel deponuntur, massae excretae coloris sunt viridis; dolores abdominis aucti sunt, ita ut necessarium esset, opium alternis horis praebere. Usque ad hoc tempus aegrota opii gr. XVIII. accepit. Die XXIV. aegrota denuo sedem liquidam exhibuit; singultus et sitis non tam vehemens; abdomen molle, non dolorificum; quum aegrota postrema nocte bene dormisset et doloribus, si modo tranquille jacuit, caruisset opium sepositum est. Die XXV. mensis Maji. In postremo nychthemero aegrota dejectiones alvi liquidas quatuor habuit, quo facto abdomen pervalde collapsum est et nunc molle et compressione parum tantum doloribus afficitur. Pulsus quater et centies in sexagesima movetur. Precibus aegrotae hodie conceditur, ut singulis horis cochlearia duo lactis ebyturati sumeret. Nocte postrema, quum somno careret aegrota opii gr. j datum est. Hucusque quantitas opii adhibita totalis est gr. XXI. ½. Die XXVII. subito dolores vehementes in regione costarum spuriarum lateris sinistri conqueritur aegrota; compresstone musculorum intercostalium, motione et respiratione augentur dolores et juncti sunt cum tussi et febre ardente. Exploratione thoracis instituta, in regione posteriore inferiore lateris sinistri sonum obtusum, tympaniticum, axillam et papillam mammae versus pari modo se extendentem, invenimus, simul etiam in regione submammali lateris sinisti respirationem vesicularem levem et strepitum illum, quem „frottement" vocant Franco-Gallici, audimus, ita ut, si symptomata omnia consideramus, exstare pleuritidem, certiores simus. Ordinantur cucurbitae sex ad pectus et ad usum internum Infus. digital. c. natro nitrico.

Symptomata morbi usque ad diem XXX. eadem manent, strepitus frictionis semper adest eodem tempore, quo respirationis motiones sequuntur; febrem immutatam sudor vehemens comitatur. Die XXX. tussis valde crevit et sputa copiosa, partim alba odore foetido edidit aegrota. Exploratio thoracis conditionem pleuritidis pejorem non ostendit, signa peritonitidis minores apparent. Foetor sputorum, quum proximis diebus immutatus persisteret, aegrotae ordinatur: electuarium e carbonis tiliae pulv. c. myrrh. paratum. Symptomata pleuritica proximis diebus eodem vehementiae gradu persistebant, ita ut aegrota, quamquam tussis vexantis causa Opii gr. j vespere acceperat, paululum tamen dormisset.

Pleuritis illa, quo modo orta sit, si quaeris, facere non possumus, quin putemus, exsudatum peritonaeale prope ventriculum perforasse diaphragma, ita ut fluida ex ventriculo excreta nunc in cavum pleurae facillime influere possint. Huc tendunt: initium subitum, febris ardens, affectionis sedes in latere sinistro prope ventriculum,

symptomatorum peritonitidis diminutio, denique odor sputorum excretorum foetidus et decursus morbi insequens.

Inter febris exacerbationem vespertinam et remissionem matutinam aegrotae status fere idem manet usque ad diem tertium mensis Junii. Quo die primum in regione iliaca sinistra tumor pugillaris, compressione facta dolores majores et resistentiam modicam praebens, se ostendit. Palpatione et percussione firmas tumoris fines cognoscere potuimus; cutis colore immutato tumorem tegit, dolores spontanei in tumore non aderant; simul abdomen modice expansum est, febris eadem, pulsus vicies et centies in sexagesima repetitus est. Jam postero die perspicue videre potuimus, tumorem deorsum descendisse regionem inguinalem et symphysem ossium pubis versus, ita ut finis superior jam die V mensis Junii perspicue in regione spinae ant. sup. ossis ilei cognosceretur et sequentibus diebus non amplius, palpitatione instituta, sentiri posset, quum in cavum pelvis minoris descendere tumor incepisset. Jam die VII. tumor, qui hucusque manus latitudinem ambitum habuerat, duos modo digitos latus, restiformis secundum ligamentum Poupartii lateris sinistri sentiri potuit; durus erat, si tactu exploravisti et compressione facta doluit. Symptomata pleuritidis nullo modo mutationem perspicuam ostenderunt; tussis minor quidem, sed semper adhuc cum secreto illo foetido conjuncta erat. Ceterum status aegrotae postremis diebus fere idem mansit; alvum singulis diebus aegrota deposuit, postquam die VI. post ventriculi perforationem primum sedes apparuere; sed fastidium ciborum, inquietudo nocturna, quae saepe opio aut morphio debellanda erat, denique febris continuus aegrotae vires adeo consumserant, ut color faciei, initio sanus in pallidum, corpus bene nutritum, robustum in macrum et macie tenuatum esset mutatum.

Non possumus, quin hunc abscessum peritonaealem, nunc exortum, partem saccatam primae illius exsudationis prope ventriculum intueamur; origo doloribus carens, diminutio celerior et discessus tumoris continuus a regione ventriculi usque ad cavum pelvis minoris opinionem nostram probant. Totum exsudatum, utrum retro a peritonaeo descenderit in pelvin minorem et hic resorptione diminutum sit, necne, accurate dici non potest, quum dolor levis, qui adhuc adest in regione pylorica et exsudatum et inflammationem adhaesivam in sacci pariete exortam, significare possit. Aegrota postquam per dies octo ex phlebitide venae saphenae cruris dextri et brevi tempore post sinistri laboravit, sub finem mensis Junii convalescere incepit. Appetitus ciborum indies crescebat; lingua pallida, alba; dejectiones alvi per nychthemerum semel secutae sunt et ad quietudinem nocturnam afferendam non opus fuit morphio. Empyema lateris sinistri sensim paulatimque diminutum est, tussis autem adhuc per longum temporis spatium aegrotam vexabat et sputa odorem foetidum servabant. In regione thoracis posteriore et inferiore lateris sinistri longo tempore post sonus percussionis obtusus et respiratio perdebilis audiebantur. Die XV mensis Julii aegrota lectum et die XX domum reliquit, sed si paululum tantum ambulaverat, facile et ce-

lerrime fatigata est. Nutrimentis validis et bene nutrientibus nunc aegrotam corroborare studuimus et prorsus non dubitandum est, quin brevissimo tempore, quum digestio prorsus normalis sit et abdomen nusquam, compressione facta, doleat, plane sanata e nosocomio academico emitti possit.

In casu proxime descripto opium aegrotae sanationem efficisse, dubitari non potest. Si modo paullisper modum sanationis necessarium, quem natura ipsa semper sequitur, in memoriam nobis revocamus, mox intelligemus, alterum remedium, quod celerius et melius sanationis illius conditiones efficere possit, non exstare. In omni enim peritonaei perforatione visceris cujuslibet cavi naturae adjumentum duplex:

1) Materiae e cavo effluxae definitio ex adhaesionibus ortis evenit, quo aliae peritonaei partes et totum corpus tutiores redduntur.
2) Orificii perforationis agglutinatio perficitur, quo prohibeatur, quominus fluida nova semper effundantur.

Quod ut impetraretur, praeter inflammationem adhaesivam, quae, cum reactione vitali efficiatur, numquam deesse potest, situ quieto et totius corporis et praecipue tractus intestinalis prae ceteris opus est. Etiam nostro in casu opium agglutinationem orificii perforati celerem tractus intestinalis tranquillitate effecit et hoc modo partim impedivit, quominus succus gastricus porro effluueret, partim fluidi jam extravasati definitione resorptionem paulatim factam adduxit. Obstipatio, symptoma illud peritonitidis fere assiduum, etiam nostro in casu, dum aegrotae opium datur, tantum per dies paucos permansit; sexto jam die post perforationem sedes plane liquidae secutae sunt, ita ut opium vis obstipantis causa, prorsus non sit timendum. Observatione nostra opinio illa Volziana denuo affirmatur, obstipationem ad sanationem natura effectam esse necessariam, illam tolli non posse, nisi nocere velis sanationi, sed sanatione facta sua sponte jam desinere. Hic casus, auspiciis maxime dubiis, ad sanationem perlatus, maximo jure denuo cohortari potest, opium remedium peritonitidis perforatoriae unicum promulgare et quam maxime commendare, quod item de aliis quoque casibus peritonitidis sic dictae spontaneae, subito prodeuntis valet, in quibus, si herniae et processus puerperales non adsunt, perforatio facillime momentum aetiologicum esse potest.

T H E S E S.

1) Sectio Celsiana, sectio bilateralis.
2) Encephalomalacia, orta ex embolia et apoplexia cerebri sanguinea symptomata habent prorsus similia.
3) Myosis, sternutatio, tensio tympani et salivae affluxus functiones similes.
4) In koremorphosi iridektomia methodus optima.

1855. VII.
MEDIC. X.

CONGENITUM
OESOPHAGI VITIUM IN NEONATIS OBSERVATUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

CAROLUS ROBERTUS MATTHIESSEN

GLÜCKSTADIENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

MDCCCLV.

Imprimatur:

Dr *E. F. Goets*,

h. t. Decanus.

Congenitum oesophagi vitium in neonatis observatum.

Duos hujus congeniti vitii casus, per benevolentiam illustrissimi Litzmannni, cujus in clinice observati sunt, hac in dissertatione describere mihi licet, quum ipse unum ex iis viderim.

Congenita neonatorum tractus intestinorum vitia non raro inveniuntur, praecipue ea frequentissime, quae in inferiore parte tractus intestinorum sedem habent, quum hoc loco auctore Cl. Westio *) in MDC—MMD casibus semel observata sint, qua de observatione illius auctoris probabile est non omnes in eandem sententiam discedere, quum omnia vitia congenita aliis temporibus locisque alio numero inveniri soleant. Novissimis autem temporibus vitia illa tractus intestinorum nomine atresiae ani saepe visa et descripta sunt, praecipue therapiae causa a Tüngelio **) doctore. Ejusmodi autem similiaque vitia congenita saepe cum vitiis aliorum organorum conjuncta sunt, ita ut in eodem organismo simul compluria, aut in decursu tractus intestinorum, aut simul in hoc et in aliis organis cognoscantur, rarius autem unum vitium congenitum sine aliis. Nostris quoque duobus casibus, oesophagi vitia non sola, sed cum aliis aliorum organorum vitiis congenitis conjuncta erant, id quod ex sectionibus institutis apparuit.

*) *Cl. West, Pathologie und Therapie der Kinderkrankheiten.*

**) Dr. *Tüngel, Ueber künstliche Afterbildung. Monographie.*

Anomaliae *) congenitae oesophagi omnino tales sunt, quales tubulatis in organis, imprimis in tractu intestinorum inveniuntur; defectum in toto dico, defectum partialem seu atresiam internam, diverticula, stenosin, dilatationem, situm vitiosum, denique rarissime id vitium, quod in eo versatur, ut oesophagi ostia in vicina organa decurrant. Illa anomatia autem, quam proposui mihi ut describerem, talis in secto corpore observata est: Oesophagus in superiore parte nullo modo perturbatus, stratum musculare, externum longitudinale, internum spirale habet, tunica mucosa intus obtectum; deorsum vero plane clausus cum ventriculo non communicat, aut ante finem sacculi instar dilatatus, aut eodem ubique lumine. A cardia altera pars oesophagi, clausam partem non attingens supra aut aperta, aut clausa adscendit; spatium inter utramque partem diversum est. Superior pars cum inferiore ne minima quidem continuatione conjuncta est, id quod altero nostro casu Webero professori exploranti non contigit, ut inveniret; aut superior et inferior resti quasi solida conjunctae sunt, quae utrum fibrillis muscularibus an sola tela cellulosa constituta sit, certe nescio.

Origini vitiorum congenitorum indagandae inde ab antiquis temporibus, viri doctissimi quam maxime operam dederunt. Quantumcunque aetiologia eorum observatis evolutionis corporis humani legibus recentiore tempore profecit, de gravibus tamen rebus magna adhuc inter peritos controversia, quin de nonnullorum origine plane nihil notum **) est. Ad pathogenesin declarandam quum in omnibus vitiis congenitis tum etiam in nostris describendis scientia primae conformationis corporis maximi momenti est. Quum vero evolutio non solum totius corporis, sed etiam oesophagi in animalibus vertebratis et facilius investigari possit, et ex auctorum ***) sententiis eadem fere sit, quae in hominibus, ea quae de illa statui possunt, scriptores ad hanc illustrandam adhibuerunt. Postquaum enim nervorum vasorumque systematis primordium evolvi coepit, tum demum tractus quoque intestinorum ex parte

*) *Fr Meckel, Pathologische Anatomie.* — *Rockitansky, Specielle pathologische Anatomie.* — *F. Weber, Pathologische Anatomie bei Neugeborenen.* — F. Lallemand, Observat. patholog. propres a éclairer plusieurs points de physiologie. — Billard, Traité des maladies des nouveau-nés. — W. Vrolik, De vrucht van den mensch en van de zoogdieren afgebeeld en beschreven etc. Tab. LXXXIX. — W. Vrolik, De menschelijke vrucht, beschouwd in har regelmatige en onregelmatige ontwikkeling. (Doleo, quod ipsi librum inspicere non licuit) Roederer, De foetu paresitico. Diss. inaug.: *„Die Speiseröhre dehnte sich zu einer Art Schlundkopf aus, nachdem sie 1½" weit offen verlaufen, war in der Gegend des dritten Brustwirbels blind und erstreckte sich als ein dünner Faden bis zum Zwerchfell, wo sie aufhorte.*

**) *Henle, Handbuch der rationellen Pathologie, Bd. II. S. 344: „Die meisten krankhaften Zustände des Embryo entstehen ungeahnt und geheimnissvoll, und die Ursache derselben kann nur aus dem fertigen Resultat erschlossen werden."*

***) C. W. Wolff, De formatione intestinorum. — *v. Baer, Entwicklungsgeschichte.* — *Bischoff. Entwicklungsgeschichte der Saugethiere und des Menschen.* — *Bischoff, Das bebrütete Hundeei.*

centrali laminae mucosae vesiculae germinativae oritur. Celeriter tum illae non saepius descriptae quam difficilius persequendae metamorphoses sequuntur, de quibus auctores supra dicti retulerunt, dum tractus intestinorum tribus partibus, superiore et inferiore recte decurrentibus, et media ansam formante constituitur. E superiore parte simul cum aliis organis oesophagus nascitur, qui initio cum trachea ita conjunctus est, ut Bischoffio *) auctore discerni plane nequeant, quamquam primae earum regionum metamorphoses fere nunquam **) observatae sunt. Postea demum separata organa cognoscuntur, et inde ab hoc tempore oesophagus non aliter mutatur ac crescendo. Qua in re autem, si Valentinum ***) sepuimur, etsi certius quidquam ob nimiam observandi oesophagi difficultatem definiri nequit, verisimile tamen est, oesophagi evolutionem non eandem esse quam inferioris tractus intestinorum, quia oesophagus non sicut reliqua intestina per mesenterium cum columna vertebrarum colligatus est.

Atresia vero oesophagi non posse oriri videtur, priusquam oesophagus formam tubuli gracilis recte decurrentis accepit. Sin autem tum evolutio ex retardata vegetatione cessat, ita ut oesophagus in posteriore vitae aetate statum prioris periodi retineat (*Hemmungsbildung*), forsitan gracilis oesophagi tubulus marcescit atque collabitur et in neonato in formam restis tenuis et solidae transit; aut si alio modo in illo evolutionis gradu foetus in aliquem statum pathologicum incidit, quod ex sententia non solum Bischoffii †) sed etiam Henlii ††) et Ottonis †††) certe fieri potest,

*) *Bischoff, Entwicklungsgeschichte der Säugethiere und des Menschen, S. 300: „Das auf die Mundhöhle folgende Stück des Anfangsdarms ist anfangs vereinigte Speiseröhre und Luftröhre, welche letztere sich indessen bald von jener abtrennt.“*

**) *Burdach, Physiologie, Bd. II. S. 312: „Nicht nur die Luftröhrenäste haben sich verlängert, sondern auch der Stamm der Luftröhre ist, wiewohl weniger, gewachsen, und besteht, der Speiseröhre ganz ähnlich, aus einem engen dunkeln Kanale von Schleimhaut, mit einer dicken äussern Lage der Gefässschicht bedeckt. — Man sieht also, dass Speisekanal und Luftweg sich so von einander trennen, dass die Scheidewand immer weiter nach vorne wächst:“ wozu Bischoff im angeführten Werke, S. 334, behauptet: „Allein auch dieses hat keiner der übrigen Beobachter gesehen.“*

***) *Valentin, Handbuch der Physiologie.*

†) *Bischoff, Entwicklungsgeschichte mit besonderer Berücksichtigung der Missbildungen in R. Wagner's Handwörterbuch, S. 903: „Endlich fehlen zuweilen einzelne Organe der Brust- und Bauchhöhle, die Leber, die Thymus etc., was entweder als reine Bildungshemmung, oder als Product einer krankhaften Zerstörung betrachtet werden muss.“*

††) *Henle, Handbuch der rationellen Pathologie, S. 355: „Unter den Atresien sind manche, welche den Titel Hemmungsbildung schon deshalb mit Unrecht führen, weil die Verschliessung der betreffenden Oeffnungen zu keiner Zeit norma ist. Gerade von der häufigsten Atresie, der des Afters, ist es wahrscheinlich, dass sie Resultat einer plastischen Exsudation sei.“*

†††) Otto, Monstrorum sexcentorum descriptio anatomica p. XV: „Jam supra me ita sentire significari, eas deformitates, quae ex nisus formativi aut excessu, aut defectu aut aberratione repeti solent, plerumque non vitia primae conformationis esse, sed tantum modo ad singulas quasdam regiones pertinere earumque originem ex certis morbis, quibus

oesophagus fortasse tantopere afficitur atque destruitur, ut sicut nostro in casu nulla conjunctio inter utramque partem in neonato inveniatur. Nunc forte evolutio tracheae aut imprimis bronchorum huc pertineat vix dijudicari posse mihi videtur. Mirum est et cognitione dignum oesophagum semper fere in eodem loco clausum esse, quod idem in multis aliis organis Bischoffius *) expertus est.

Symptomata imperforati oesophagi, siquidem malum complicatum non est, tam propria et certa sunt, ut in viro infante atresia interna certe agnosci possit, quod etiam nostro in casu per illustrissimi Litzmanni diagnosin accidit. Infantes simulac parti sunt, primo valent tanquam sani essent. Meconium excernunt, clamant, omnibus ullius morbi symptomatibus carent, mammis datis utuntur. Quamquam autem lac suctum statim evomitur, iterum aut sugunt, aut instillatum fluidum deglutiunt. Quod cum massa mucosa commixtum parvo temporis spatio intermisso rursus emomitur. Lac evomitum fere non est coagulatum et kalinam reactionem dat. Paucissima urina secerni videtur, quum paucis tantum maculis lintea inficiantur. Sponte aut clysmate adhibito nil nisi meconium excernitur. Lac cum meconio commixtum nunquam evomitur, quoniam intestinum tenue et oesophagus non communicant. In evomendo interdum ex regurgitatione lactis non solum tussis, sed etiam oris et totius corporis convulsiones consequuntur. Quo diutius vivit infans, eo magis emacrescit, gaster collabitur; mandibula propter auctam famem perpetuo movetur; extremitates subfrigidae fiunt. Quamdiu infans vires retineat, e totius corporis constitutione pendet. In eo casu defectus oesophagi, qui in Hufelandii **) diariis narratur, infans etiam diutius vixit, quam in nostris. Infantes fame absumuntur.

Ex his symptomatibus, praesertim si per aliquod tempus observari possunt, diagnosin omnino non difficillimam esse apparet. In universum vomitus per sese atresiam internam non indicat, quippe quo etiam aliis ex causis neonati laborent, sed accedere necesse est, ut etiam minimum et indifferentissimum fluidum evomatur, reactionem succi gastrici evomitum non ostendat, meconium sic, uti solet, sese habeat,

vitiosae partes embryonis mature correptae fuerunt, derivandam esse. Tales morbi pro aetatis qua oriuntur diversitate, aut majorem, aut minorem vim exercent, et modo totum aliquod organon sive systema pessumdant, modo evolutionem ejus retardant, modo magnitudinem, formam, situm, conjunctionem et structuram varia ratione immutant."

*) *Bischoff, Entwicklungsgeschichte mit Berücksichtigung der Missbildungen in R. Wagner's Handwörterbuch, S. 924: „Es ist ferner ein wohl zu beobachtender Umstand, dass, so verschieden und mannigfaltig auch die Formen der Missbildungen sind, dennoch gewisse immer in ausserordentlicher Aehnlichkeit und Uebereinstimmung ihres Baues wiederkehren, und dass man eine vollständige Reihe aus ihnen bilden kann, deren Glieder gewöhnlich oft wiederkehren, und in wesentlichen Bedingungen auf das vollkommenste mit einander übereinkommen. — Dieses gilt auch für jedes Organ, indem jedes vorzugsweise auf eine oder die andere Art missgebildet ist. — Es ist dieses einer der wichtigsten Punkte für die Untersuchung über die Ursache der Missbildungen."*

**) *Hufeland's Journal für practische Heilkunde, 1820: „Nach 8 Tagen starb das Kind den Hungertod" — „Die Speiseröhre fehlte ganz, und der Schlund endete in einem blindgn Sacke." —*

denique urina non reddatur. Ut diognosis etiam certius statuatur, specillum elasticum tenue usque ad eum locum, quo oesophagus sacculo coeco terminatur, induci possit. Compluribus aliis oesophagi morbis, quibus adulti laborant, quibusque diagnosis dubia fieri posset, nunquam, ni fallor, neonati arrepti sunt, nisi quod oesophagitis a Billardio *) et genuinus catarrhus oesophagi, tractu intestinorum non effecto, a Webero **) observatus est, quibus in casibus deglutitio ab initio tantopere impedita erat, ut instillatum lac regurgitando evomeretur. Qui casus eo differunt, ut propria symptomata plane desint. Praeterea Webero auctore, neonati inflammatoria intumescentia oesophagi tum afficiuntur, quum abscessus pyaemici inter oesophagum et columnam vertebrarum orti sunt, qua de re anamnesis certam praebebit diagnosin.

Difficilius autem malum dignoscitur, si praeter oesophagi atresiam internam etiam altera in tractu intestinorum adest. Quo fit, ut pars tractus intestinorum infra hanc atresiam sita, constricta, superior vero pars extenta est, quod quidem in diligentissima exploratione ventris reperires. Angustum enim et complicatum intestinum, post partum nondum functum, Bednario ***) et Tiedemanno ****) auctoribus massa mucosa tenaci et cohaerenti sane impletum est, quae per aquam calidam injectam aut sponte dejicitur, aut facile manu detrahitur. Ex longitudine detracti cylindri mucosi computari potest, quo spatio atresia ab orificio ani remota sit. Attamen quum digitus, aut exploratoria, quae dicuntur „*Bougies*," usque ad atresiam pervenire non possunt, diagnosis magis minusve incerta est. Quodsi rarissime observata atresia pylori sola adesset, evomitum reactionem succi gastrici ostenderet; aut si atresia infra ostium ductus choledochi in intestino tenui adesset, meconium evomeretur, quod solum sufficeret, ut a talibus vitiis ea, de quibus nos disserimus dignoscerentur. Quae eadem atresia ante hos duos annos mense Augusto in clinice Litzmanni observata est.

Jam vero mihi liceat, quos casus describere mihi propoui, eos copiosius exponere.

Casus primus hic est:

Machthauer, femina unius et viginti annorum, primipara die, XXXI mensis Maji hujus anni, graviditate nullo malo turbata, parvulam gracilemque puellam peperit, quae, postquam in partu jam meconium excrevit, initio quidem valde difficilius respirans mox mammis datis utebatur. Quod simulac fecit, cum massa mucosa commix-

*) *Billard a. a. O.*

**) *Weber a. a. O.*

***) *A. Bednar, Krankheiten der Neugebornen und Säuglinge.*

****) *Tiedemann, Anatomie der kopflosen Missgeburten.*

tum lac evomuit. Ac postridie mane iterum meconium excrevit, linteaque quibus involuta erat, paucissima urina madefecit. Quum vero mammae dabantur, lac continuo evomebat. Quo statu per complures dies vixit. Tertio die mensis Junii infans enervata, pallida, subfrigida cum clamore suctum aut cochleari datum lac deglutiebat, quod ubi vix in ventriculum pervenisse visum est, infans ut evomeret irritabatur et paullo post lac non coagulatum reddebat. Inde a primo vitae die neque urinam neque alvum dejecit, nisi quod clysmate adhibito larga meconii puri copia evacuata est. Quarto mensis Junii die infans valde inquieta, extremitatibus frigidis, perpetuo sugebat et evomebat, neque urinae neque alvi excretione, neque ventro inflato. Percutiendo sonus non valde tympaniticus effectus est. Umbilicus nondum deciderat, enemate applicato denuo meconium dejectum est. Sequentibus diebus infans inquietissima famem perpetuo labrorum motu ostendebat, lac instillatum avide deglutiebat, mammisque datis sugebat, atque paullo tempore post fere non cogulatum lac evomebat. Sponte alvi nihil excrevit. Clysmata aut continuo redibant, aut meconii dejectionem efficiebat. Urina omnino non reddi videbatur, quum lintea circumvoluta semper sicca manerent, nisi quod maculae subflavae et exsiccatae exiguam posse urinam excretam esse docebant. Mirum quamdiu infans calorem suum teneret dum tarde emacrescebat. Sub sexti diei vesperum celeriter tabuit; mortua est septimo die mensis Junii.

Novem horis post sectio cadaveris instituta est. Tela cellulosa et pericranium in posterioribus ossium bregmatis partibus et in extremo ossis occipitis sanguine impleta erant; inter ossa et periosteum in iisdem locis, exsudatum parum coagulatum et discolor apparuit; os bregmatis dexterum in sutura sagittali prominuit, neque in rectum statum redigi potuit; sinus longitudinalis superior vacuus; cerebrum ejusque involucrum sanguine satis plena, parum oedematodia; ventriculi cerebri sero copioso impleti; thymus glandula minoris extensionis, in superficie parvulis extravasatis sanguinis obtecta; pulmones latius extenti, ubique aëre impleti, exceptis singulis exiguis dexteri pulmonis partibus, quarum parenchyma infarsum erat, incertum utrum sanguine infiltrato an exsudato; cor vacuum; valcula Eustachii minime evoluta; valvula foraminis ovalis non ad superiorem foraminis marginem extenta; ductus arteriosus Bot perforatus ejusque paries interior rugosus; vasa umbilici nondum omnino clausa, thrombis abturata erant.

Cavum oris et fauces recte sese habuerunt. Oesophagus in regione vertebrae thoracis tertiae, ubi aliquantulum intumuerat, sacculo coeco terminata est, nulla restiformi communicatione conjunctus cum appendice aliqua, quae a ventriculo adscendit, quamquam cardiae parva quaedam pars, similis oesophago, adhaesit. Ventriculus gasibus vacuus et constrictus, tunica mucosa non abnormi, paucum mucum cum nigro et coagulato sanguine commixtum continuit. Valvulae pylori margo externus parvo

ulcere tunicam mucosam perforante affectus est; tractus intestinorum imprimis duodenum, cui meconium quoque passim inerat, gasibus extentum, intestinum crassum magnopere constrictum; lien, hepar, vesia fellea sic, uti solent, sese habuerunt. In renibus uricorum salium largior copia adfuit. Ureteres perforati; in vesica urinaria guttae aliquae turbidae urinae erant.

Hujus oesophagi praeparatum a Webero professore conservatum est.

Casus II. hic est:

D. Sell femina viginti quatuor annorum, primipara, die XVII. mensis Aug. anno MDCCCL praematurum puerum peperit. Quum mammis datis infans non sugeret, aqua cum saccharo ori instillata est, quae quidem statim ex naribus et ex ore profluit. Eodem die hora matutina urinam reddidit, meconium non excrevit. Anus imperforatus non prominens ob mollitiem facile comprimi potuit. In regione penis et symphyseos oedema inerat; venter magnopere inflatus et praecipue in sinistra parte doloribus affectus erat. Intestinorum ansae in conspicuo erant. Cutis et calor sic, ut in sanis neonatis sese habuerunt. Infans plerumque quieta jacens passim rauca voce clamabat. Instillatam aquam deglutivit quidem, sed fluidum certum tractus intestinorum locum quendam non superavit, ita ut, quum iterum cochleari minore aqua in os instillaretur, larynx vehementer moveretur, et fluidum in faucibus regurgitaretur. Quin tota facies colorem accepit subcoeruleum et periculum esse videbatur suffocationis. Tandem omne fluidum cum sputis commixtum evomitum est inter gemitum et vagitum. Sequenti nocte infans jam mortuus est.

In secto corpore tela cellulosa inter integumentum capitis et cranium valde sugillata; vasa capillaria sanguine injecta; ossa bregmatum coeruleo colore tincta, inter periosteum et ossa stratum sanguinis coagulati apparuit. Fonticulus spurius jam in partu cognitus, magnitudine parvi nummi, et digiti fere spatio supra angulum suturae lambdoideae situs; arachnoidea et pia mater massa exsudata copiosa infectae; extravasatum sanguinis non parvum in superficie hemisphaeriorum prope ad venas majores et inter fonticulum et falcem cerebri situm; cerebrum mollissimum et oedematodes; plenus chorivideus rubro tinctus; venae majores sanguine targidae; inter laminas tentorii cerebelli et in posteriori ejus margine sicut in superficie interna magna sanguinis extravasata; thymo, pulmonibus, cordi neque vitiosi neque pathologici quidquam inerat.

Oesophagus sacci instar extentus, supra originem bronchorum coecum habuit exitum. A ventriculo altera oesophagi pars adscendit, cujus lumen sensim angustius factum post bronchorum originem sacco coeco terminatum est, spatio dimidii pollicis ab altera remotum. Cavo peritonaei fluidi subflavi uncia circiter una infuit. Vasa

peritonaei capillaria passim sanguine injecta; intestina exsudatis fibrinosis parvis obtecta; flexura coli sigmoidea valde extenta et meconio impleta, in ima pelvi exitum coecum habuit. Reliqua organa nil abnorme habuerunt.

Therapiam oesophagi imperforati magis dubiam esse, quam in multis aliis vitiis congenitis, casibus ex descriptis jam apparet. Etenim atresia ani simplici incisione aut punctione et si eae ob nimium spatium, quo atresia ab orificio ani remota sit, fieri non possunt, ano praeternaturali applicato, variis rationibus diu notis, sanari potest. Stenoses tractus intestinorum minores Jörgio *) auctore non obstant, quominus neonati alantur, quia initio tantum lac aliaque fiuida alendis infantibus inserviunt, dum posthac quidem, simulac alimenta majoris consistentiae necessaria fiunt, stenosisis magno fit impedimento. Atresiae contra internae oesophagi per se curae medici omnino non favent, quoniam lumen oesophagi nequaquam aperiri potest, ita ut medico, Billardio **) auctore, therapeutice nihil agendum sit, nisi ut per clysmata lactis aut aliorum fluidorum, quae non difficile digerantur, est ad nutritionem apta sint, vita neonatorum quam diutissime servetur. Arteficiosa quoque fistulae ad ventriculum applicatio, quam complures auctores ***) recentioribus temporibus, ad adultiores, stenosi perfecta laborantes, nutriendos non solum commendaverunt, sed etiam adhibuerunt, etiam ad infantes nutriendos multum certe conferret, siquidem ex similitudine illorum casuum universalis hajus medelae utilitas conjici posset. Attamen in neonatis per gastrotomiam fistulatam conservari quidem infantum vitam sed infelicem et miseram reddi apparet. Sin vero medici est vitam aegrotorum quam diutissime servare, certe etiam in neonatis atresia interna oesophagi laborantibus gastrotomiam lege artis instituendam esse dico, quae, quum in adultis non necessario exitum letalem secum ferat, cur in neonatis plane non sit adhibenda, difficile est intellectu. Apparet vero de hac re ex experientia tantum dijudicari posse, quare ut atresia oesophagi interna illo modo curetur, quam maxime est optandum.

*) *Cl. G. Jörg, Handbuch der Kinderkrankheiten.*

**) *Billard a. a. O.*

***) Sedillot, Sur la gastrotomie fistuleuse. — *E. Senger in Kopenhagen, Ein neuer Fall von Gastrotomie, in Canstatt's Jahrbüchern erzählt.* — *Bamberger, Krankheiten der Oesophagus in Virchow's Pathologie und Therapie.*

THESES.

Amblyopia provecta therapiam antiphlogisticam postulat.

Carcinomatis cellulae natura specifica non sunt.

Causa diabetis melliti omnino incerta.

Uteri inversio post partum repositionem statim postulat.

1855. VII.
MEDIC. XI.

DE

MYELITIDE.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

THEODORUS DITTMANN

PLOENENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

MDCCCLV.

Imprimatur:

Dr *E. F. Goetz*,

h. t. Decanus.

Ex iis morbis, qui nervorum systema arripiunt, medicus myelitidem certe rarissime observat. Non saepe, ille in nosocomio, etiam rarius in privato usu medendi in myelitidem incurret et rarissime illius diognosis confirmationem, medullae spinalis obductionem hominis, qui illo morbo correptus et mortuus est, videbit. In nosocomio academico Herbipolitano ego ejusmodi casum observavi, cujus ratio et natura valde mihi placuit, ejusque sectionem vidi. Myelitidis, literis praemissis ejusque natura breviter adumbrata, descriptio in sequentibus paginis dabitur. Ex ipsa jucunda morbi natura sequitur, ut myelitidis literae uberrimae sint; celeberrimi viri antiquorum et recentiorum temporum illam descripserunt. Praecipue clarissimus autor monographiae de hydrocephalo Gölis [1]) optime et uberrime myelitidem adumbravit, deinde Ollivier [2]), Abercromby in operibus de morbis cerebri et medullae spinalis, Valleix [3]), Bergamaschi, Wunderlich, Canstatt et denique Rockitansky [4]) et Cruveilhier illius morbi anatomiam pathologicam explicuerunt. — Multa nomina illi morbo exempli causa spinitis — Niel — et Rhachialgitis — Brera — data sunt. Medicinae pater, ut nonnulli viri narrant, hanc affectionem cognovit et illam pleuritidem dorsalem nominavit, quod quidem utrum verum sit, an non, in medio relinqui debet. Medullae spinalis et membranarum, qui illam circumdant, inflammatio illius morbi ratio est. Semper fere inflammatio, etiamsi affectiones per breve tempus apparent disperse, et medullam et membranas arripit et sectione inflammationis signa cognoscuntur. A nonnullis scriptoribus [5]) omnino medullae inflammatio a membranoram inflammatione distinguitur, illa discrimina tamen ita minutiosa sunt, ut haec parvi momenti sint.

[1]) *Salzburger medicinische Zeitung, No.* 85.
[2]) Traité de la moëlle et des maladies.
[3]) Guide du medic. pract. IV.
[4]) *Pathologische Anatomie, Band I. Seite* 861.
[5]) *Albers.*

„Le meningite et l'inflammation de la moëlle est la même chose" Bergamaschi et similibus verbis noster Canstatt loquitur. Myelitis in acutam et chronicam et quod attinet ad locum et symptomata in myelitidem cervicalem, dorsalem et lumbalem distribuitur. Acuta myelitis plerumque brevi tempore occidit, interdum tamen illa in chronicam formam transit; chronica forma ex acuta vel paulatim per se nascitur. Rilliet et Barthez myelitidem in alias partes distribunt, quarum cum altera spasmus et tetanus conjuncti, cum altera non conjuncti sunt. Meisner [6]) denique parturientium myelitidem commemorat, quae una cum doloribus ad partum incipit, cujusque symptomata cum verae myelitidi propriis consentiunt. Omnes homines, cujuscunque aetatis sunt, ille morbus corripere potest et praecipue infantes. Viri saepius quam mulieres myelitide corripiuntur. In Europae meridie ille morbus quamquam saepius apparet, tamen non tam periculosus quam in septentrionibus est. Sed ad myelitidis causas transgrediamur, quae maxime variae sunt. Modo enim myelitidem laesiones vertebrarumque vulnerationes efficere solent, modo refrigerationes, modo effusae corporis contentiones, modo exanthemata, quae recessa sunt, modo sanguinis profluvia, quae suppressa sunt, modo caries et vertebrarum exostosis syphilitica, modo vitia cordis, modo libidines, modo soles, qui per longum tempus medullam spinalem afficiunt, eodem modo, quo encephalitidis insolationis, hujus morbi causae nominari possunt. Ut causae, ita etiam symptomata maxime varia sunt, quoniam modo morbus acutus, modo chronicus et deinde quoniam inflammationis locus modus cervicalis, modo dorsalis, modo medullae spinalis pars lumbalis est. Semper fere stadium prodromorum, ut plurimis morbis etiam myelitidi procedit. Aegrotus vir dolores in regione sacrali sentit et a levibus convulsionibus opprimitur. Ab hoc initio, si myelitis chronica est, magismagisque morbus progreditur, formicatio, spinae rigiditas, rhachialgia, dolores, qui a regione sacrali per inferiorum membrorum extremas partes diffunduntur, earum partium debilitas et paralysis et anaesthesia aegroti viri vires, vesicae et recti paralysi accessa, magismagisque debilitant et ille decubitu, moritur. Myelitidis acutae symptomata alia sunt. Vomitus biliosus, candentes, mordentes, dorsum cruciantes dolores, rheumaticis similes, febris frigusque aegrotum virum subito corripiunt. Dorsi dolores cum convulsionibus et tetanicis spasmis et cum paulatim crescente debilitate inferiorum membrorum, quae in paraplegiam transgreditur, conjuncti sunt. Ictu et compressione dolores augentur. Ad illa, quae jam explicui, rigor et ardor invicem accedunt, dum pulsus arteriae citatus est, et arteriae non aequis intervallis moventur et praeter vehementes sudores omnes secretiones cessant. Eodem fere modo, quo encephalitidis convulsiones inflammationis initio praevalent, deinde tamen paralyseos symptomata praecipue apparent. Apud myelitidem cervicalem spasmi, cervicis et superiorum membrorum dolores et rigiditas reperiuntur, simul

[6]) *Siebold's Journal.*

apparent singultus, pectoris oppressio, respiratio retardata, cordis palpitationes et deliria. Myelitis dorsalis convulsionibus corporis perpetuis, spasmis et paralysi se ostendit. Quod attinet ad myelitidem lumbalem colicae crurum contractiones, quibuscum et recti et vecicae et membrorum inferiorum paralysis conjuncta est, in ea repcriuntur. Semper fere myelitis acuta brevi tempore lethalem exitum habet, sin acuta facta est chronica per menses vel per annos durare potest. Myelitis dorsalis celerrime progreditur, quod eo efficitur, ut dorso canalis spinalis angustissimus est. Prognosis infaustissima; optima quidem in iis casibus, qui columnae vertebralis vulnerationibus et contusionibus effecti sunt, pessima tamen, si myelitis rheumaticis affectionibus aut exanthematica metastasi orta est. Mortis signa copiosi sudores et deliria sunt. Therapia, ut ex re ipsa intelligi potest, plurimis in casibus nihil efficit, quoniam morbus nullo remedio sanari potest. Et hirudines et cucurbitulae et venaesectio, tum hydrargyri cinerei unctiones, hydrargyrum muriaticum mite — Olliwier — et infusum florum arnicae commendantur. Si alvus adstricta est, oleum ricini dandum est et clysmi infundendi sunt. Ad urinae emissionem maxima cura adhibenda est. Praeterea Niese, frigidam aquam secundum dorsum perfundendam esse dicit. Ab aliis autoribus denique remedia incitantia, exempli causa unguentum phosphoricum, strychninum nitricum commendata sunt. Optimum sine dubio effectum habent aquae frigidae et calidae, munditia, calor et praeterea cura de alvi et urinae dejectione adhibenda est. Transeamus nunc ad anatomiam pathalogicam. Eadem ratione, qua encephalitidis ejusque rubrae malacosis medulla spinalis mutata est, medullae membranae vasibus injectae et condensatae sunt, praecipue dura mater, arachnoidea non pellucida est. Inter ambas membranas serosae et plasticae exsudationes cognoscuntur. Medullae spinalis membranae inter se conjunctae sunt et dura mater cum columna vertebrali cohaeret. Modo cinerea, modo alba medullae materia, modo ambae affectae et mutatae sunt. Inflammata medulla rubro colore colorata est, interdum tamen a rubeis locis — parvis sanguinis vasibus — mixta. Modo inflammata pars tumescit, modo non tumescit; tumoris causa et induratio — induratae partis color albus, cinereus et rubeus est — et malacosis — mollis medullae pars rubra est — esse potest. Tandem etiam medullae spinalis materia diluta et in album cum sanguine mixtum fluidum mutata est. Interdum hoc modo tantum cinerea pars mutatur et tum rubra seri columna, alba materia circumdata, apparet. Albertis centralis malacosis in medullae cineream partem coarctata est. Microscopica exploratione facta, in medullae spinalis comminuta materia disseminata discreta ac conglomerata elementa, nuclei et pigmentum reperiuntur. — Haec hactenus. Nunc myelitidis adumbrationem relinquamus et nos ad illum a me observatum casum vertamus. Illi casui rheumatica causa fuit et convulsiones, quas huic morbo proprias essa supra dixi, illi plane deerant. Franziscus Herget Herbipolitanus anno milesimo octingentesimo tricesimo septimo ab egentibus parentibus natus est. Jam puer supra vires se exten-

dere debebat. Parentes et tres fratres semper sani fuerant, Franzicus tamen ab initio vitae semper infirma atque etiam aegra valetudine fuerat. Septem annos natus capites porrigine et scrophulosis ulceribus correptus erat et insuper usque ad decimum annum male olente otorrhoea laboraverat. Sequentibus annis nullo novo morbo correptus erat, sed anno milesimo octingentesimo quinquagesimo primo mensis Juli thyphosa sanguinis alteratione affectus est. Nervorum incitatio, capitis dolor et deliria, quae octo dies duraverunt, praecipue illius typhi symptomata apparebant. Victus vitia et cum egestate conjuncta valetudinis pauca cura efficiebant, ut morbus tantum tarde progrediretur et ut aeger puer demum, octo hebdomadis transactis, sanatus esset, etiamsi illo tempore integram valetudinam amiserat. Capites dolores, qui in paroxysmis apparebant, nausea et vomitus accedebant et aegrum vexabant. Quod in parentium humido domo manere debebat, refrigeratio accedebat et aegrotum iterum lectulo affigebat. Inde ab illo tempore e lecto surgere non poterat, octo hebdomadis transactis, primum debilitas cognoscebatur, omnes corporis motus aeger graviter ferebat et magismagisque inferiorum membrorum paralysin sentiebat. Paulo post correptarum partium sensus deminuebatur et ejusdem anni auctumno recti et vesicae paralysis primum apparebat. Ultimis diebus mensis Decembris, ambustione natum aquis calidis effecta, inferiorem membrorum parvae convulsiones ingruebant, praesertim quum calidae aquae pedes tangerent. Anno milesimo octingentesimo quinquagesimo tertio mensis Aprilis valetudinis status hic fuit. Faciei color sanus erat et aeger puer cibum libenter sumit. Recti et vesicae paralysis magismagisque crescebat et aegrotus ad voluntatem alvum dejicere et mingere non poterat, sed quotidie eo invito dejectiones manabant. Crura pro longa tranquillitate non tabescebant, quaeque eorum manipulatio efficiebat ut pedes vehementer tremerent. Quae cum ita essent ejusdem anni mense Aprili aeger nosocomio academico Herbipolitano receptus est. Ibi multa, quamquam inania remedia ad morbum removendum et paralysin minuendam adhibita sunt, exempli causa nucis vomicae alcaloides et magneto-electricus apparatus. Quamquam medicorum diligentia statum levabat, morbus ipse tamen non abibat, sed paralysis recti, vesicae et inferiorum membrorum paulatim augebatur. Decimo tertio die mensis Decembris aeger in lectulo se convertens femur frangebat et decimo quinto die ejusdem mensis decubitus ingruebat, qui efficiebat, ut aegroti vires celeriter deprimerentur et exitus maturaretur. Quarto die mensis Januarii primum illum vidi, quo tempore inferiorum membrorum, recti et vesicae paralysis, fractura dextri femoris et gangraena natum, ex decubitu effecta, praecipue cernebantur. Usque ad sextam costam paralysis et anaesthesia se extendit, supra illum locum corporis sensus et motus adest. Pulsus citatus est, respiratio retardata. Percussio thoracis anterioris lateris omnibus locis normalem praebuit sonum, auscultatio ronchos siccos, strepitantes et sibilantes in pulmonum posteriore inferiore latere. Cor sanum et caput non captum est. Casus diagnosis est myelitis spinalis. Ab inferiore medullae

parte incipiens musculorum debilitas paulatim crevit et paulo post paralysis et anaesthesia, quibuscum recti et vesicae paralysis conjuncta erat, ingruerunt. Nervorum singulae incolumes partes tamen in pulti simili materia medullae se extendere videntur, quoniam interdum spasmi conspiciuntur. Tum, organicae materiae adductione diu minuta paralyseos causa, ossa inferiorum membrorum ita frangilia facta sunt, ut musculorum contractiones obsistere non possent. Femur fractum est. Tandem, viribus magismagisque depressis, decubitus et pyaemia ingruerunt. Illo die chininum sulphuricum et vinum rubrum Gallorum ordinatum est. Noctu aeger bene dormivit. Sub lucem aeger pluries frigore, alterato et contaminato sanguine affecto, correptus est, quod frigus hora decima demum cessavit. Aegroti pueri mentis et corporis nervi valde fracti sunt. Dyspnoea crevit et respiratio tantum tenuis et sibilans fieri potest. Alvi dejectiones retardatae sunt, sitis permagna. Ad vesperum illi morphium aceticum ordinatum est. Noctem iterum ille bene dormivit, matutine tamen bilioso vomitu affectus est et paulo post iterum frigus incepit. Pulsus lenis et citatus est, dyspnoea magis magisque augetur et copiosi sudores aegrum vexant. Pomeridiano tempore furibunda deliria accesserunt et sudores permanserunt. Noctu deliria praevaluerunt, quae usque ad vitae finem, qui brevi tempore interjecto ingruit, non cessaverunt. Praecipue, convulsiones defuisse et morbum tam tarde durasse commemorandum est. Sectio a professore Virchow facta hoc reddidit. Maxima erat emaciatio corporis; rigor mortis non nimius. Ossa cranii normali fuerunt qualitate. Vasa in piae matris superficie sanguine abundabant: in cerebro ipso praeter parvam seri quantitatem in ventriculis et hyperaemiam commutatio pathologica inventa non est. Medullae spinalis obductione facta, membranae medullae inter se conjunctae et medulla ipsa correpta, inflammata et in pulti simili materia mutata repertae sunt. Illum casum Virchow myelo-meningitidem nominavit. Myelitis septimae costae regione incepit et infra illum locum omnes membranae medullae inter se conjunctae sunt et praeterea medulla perdita et in mollem cineream, sanguinolentam materiam mutata est. In genuum artibus et circum femoris fracturam multum pus reperitur. Puris abscessibus hepar, lien et pulmones caruerunt. In pulmonum inferiore posteriore parte oedema, quod tamen morbo finiente natum est, adspicitur. Cor parvum et laxum pathologicam commutationem non praebet. Corporis ceterae partes sanae sunt.

THESES.

1. In syphilide inveterata kali hydrojodicum optimum remedium.
2. Thoracocentesis rejicienda est.
3. Haemorrhagia non est morbus.
4. In luxatione humeri reponenda Mothii ratio ceteris rationibus adhibenda.
5. In haemorrhagia uteri post partum placenta quam celerrime solvenda.

1855. VII.
MEDIC. XII.

NONNULLA
DE CEREBRI TUMORIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

AEMILIO BERG

PLOENENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

MDCCCLV.

Imprimatur:

Dr. *E. F. Goetz*,

h. t. Decanus.

Etsi jam antiquorum autorum nonnulli bona multa et vera de cerebri tumoribus locuti sunt, haec tamen omnino parum accurata ac subtilia sunt, quam ut nos ad rectam cerebri tumorum diagnosin ducere possint. Recentiore vero aetate res diligentius est tractata, et maxime quidem hac de re Friedreich *), Leubuscher **) et Lebert ***) meriti sunt, qui et ea, quae momenti sunt, ex antiquis scriptis satis comparaverunt, et novas haud contemnendas observationes perscripserunt. Quamquam autem optima et accuratissima nostro in statu medicinae haec tria scripta sunt, dolendum est, quod nihilominus adhuc nondum satis secure rectam cerebri tumorum diagnosin statuere possumus. E contrario et permultis casibus occurremus, in quibus, vere alio cerebri morbo cognito, tamen sectione instituta tumorem inveniamus; et aliis in casibus in sectione cerebri tumorem inveniemus, in quibus ante sectionem nullum cerebri morbi symptoma observavimus.

Mihi igitur est propositum, ut, praecipue illorum citatorum scriptorum ratione habita, symptomata, quae in cerebri tumoribus adhuc sunt cognita, conferam ipsaque inter se comparem. Quibus praemissis, cerebri tumoris casum aliquem, a me in nosocomio Kiliensi observatum, narrabo, ut denique de symptomatibus illis arbitrium meum secundum hunc casum quam optime disponam. —

*) *Beiträge zur Lehre von den Geschwülsten innerhalb der Schädelhöhle. Würzburg* 1853.

**) *Pathologie und Therapie der Gehirnkrankheiten. Berlin* 1854.

***) *Virchow's Archiv* 1851. *Bd.* 3. *S.* 463.

1) Sensibiliatis perturbationes.

Omnes autores consentiunt harum perturbationum capitis dolorem symptoma maximum et eminentissimum et plurimis in casibus primum esse observatum. Aliis in casibus ille capitis dolor aliter se ostendit, modo intermittens et in paroxysmis, et saepe quidem cum regulari typo; modo perpetuus, plerumque tamen demum procedente morbo, et tunc interdum in vehementioribus paroxysmis. Qualitas doloris varie descripta est, modo pungens aut scindens, modo pulsans, modo obtusus sive deprimens. Incipiente morbo dolor plerumque totum caput occupat, deinde se figit aut in dimidia capitis parte, aut nonnullis in casibus in certo circumscripto loco, ex quo radiate se extendit. Locus doloris nequaquam est idem tumoris. Praeter capitis dolorem multis in casibus vertigo observata est, eaque aut simul cum capitis dolore, aut — quod vero in maxime variis tantum casibus — jam ante cum se ostendit, et tunc diu unicum et primum symptoma adesse potest. Id, quod Friedreich in tribus casibus invenit. Sensibilitatis perturbationes aliarum corporis partium variis in modis et intentionibus se ostendunt. Plurimis in casibus statim symptomata anaesthesiae videmus, quae procedente morbo magis magisque perspiciuntur. Aliis vero in casibus in singulis corporis partibus dolores vagi et locum mutantes exsistunt, qui paullatim figuntur et tanquam formicatio, frigor etc. sentiuntur, et ex his antecedentibus demum anaesthesia se explicat, quae tamen raro perfecta est, et saepe cum hyperaesthesia variat. Aliis in raris casibus denique sensibilitas impetu quasi apoplectico subito tollitur.

2) Mobilitatis perturbationes.

His in perturbationibus agitur de paralyse et de convulsionibus. Quod ad paralysin attinet, omnes gradus a simplici musculorum infirmitate usque ad perfectam paralysin inveniuntur. Saepissime observantur in morbi initio minores infirmitatis gradus qui paullatim ad perfectam paralysin transeunt. Permulto rarius paralysis subito quasi apoplectico impetu oritur, in quibus casibus semper diutius alia symptomata antecesserant, quae cerebri malum indicabant. Vulgaris paralyseos forma hemiplegia est, multo rarius paraplegia, quae, si adest, plerumque ex hemiplegia paullatim nata est. Hemiplegia, quod attinet ad nervos cerebrales, plerumque est in eadem parte, in qua tumor, quod autem ad extremitates attinet, plurimis in casibus cruciata se ostendit. Sunt tamen casus, in quibus etiam nervorum cerebralium paralysin in parte tumori contraria videamus, et Friedreich quidem dicit, prae-

cipue tumores in magnis cerebri gangliis esse, qui hanc paralysin cruciatam efficiant. Interdum mutatio inter intermissionem et exacerbationem paralyseos invenitur, (a Lebert „*oscillirende Lähmung*“ nominata), paullo post autem hae mutationes cessant, et paralysis perpetua progreditur. Lebert has oscillationes proprias cerebri tumoribus notat, neque in encephalomalacia eas observari putat. Quae autem obtineri posse non videntur, quum Leubuscher in encephalomalacia ipsa eas notat. — Porro quod ad convulsiones attinet, in cerebri tumoribus non raro observantur. Non modo paralyticas, et plerumque quidem, sed etiam integras partes afficiunt, et tum leves convulsiones singularum extremitatum se ostendunt, tum autem dimidiam corporis partem, aut ipsum totum corpus comprehendunt, atque etiam, conscientia simul deficiente, convulsionibus epilepticis adaequare possunt. Denique commemorare mihi liceat, nonnullis in casibus contracturas et rigores singulorum membrorum in cerebri tumoribus observatos esse.

3) Organorum sensuum perturbationes.

Omnes autores in eo consentiunt, organorum sensuum perturbationes saepissime ad visum pertinere; permulto rarius auditus, etiam rarius odoratus et gustatus afficiuntur. Vis videndi paullatim hebescit, et plerumque ad perfectam caecitatem pervenit. Plurimis in casibus jam mature amplificatio pupillarum se ostendit. Morbo finiente plerumque ambo oculi affecti sunt, quum initio unus oculus affici soleat, et hebetudo postea paullatim alterum quoque comprehendat. Raro vis videndi subito tollitur. — Auditus perturbationes plerumque in ejus defectione aequabiliter et gradatim progrediente usque ad perfectam surditatem inveniuntur. — Odoratus et gustatus modo mutati, modo omnino sublati sunt. Organorum sensuum perturbationes plerumque mature se ostendunt, et praecipue in tumoribus baseos cerebri adsunt, et in eadem quidem parte, in qua tumor exsistit.

4) Animi perturbationes.

Quoties animi perturbationes in cerebri tumoribus reperiantur, singulorum autorum judicia inter se maxime differunt. Omnium animi virium perturbationes in forma communis dementiae aut impetus maniae rarissimae tantum observatae sunt; sed saepius memoriae perturbationes, lentitudo, ineptia puerilis, aucta animi irritabilitas etc. observantur. Saepissime morbo finiente coma adest. Multis vero in casibus cerebri tumorum nullas animi perturbationes videmus.

Si ad haec symptomata adjungimus digestionis perturbationes — vomitionem, alvum astrictam, flatulentiam, ructus — commemorata sunt symptomata ex illis in cerebri tumoribus observatis gravissima. —

Nunc igitur mihi liceat, casum cerebri tumoris, quem in nosocomio Kiliensi academico observavi, enarrare, ut postremo de symptomatibus supra dictis judicem.

Margaretha Jaeger, quinquaginta annos nata, Moenkebergensis, die nono decimo mensis Junii MDCCCLV nosocomio academico Kiliensi recepta est. Aegrota ab infantia semper se viguisse dicit. Hereditarii morbi abfuerunt. Menses, qui anno quarto decimo primum apparuerunt, et semper regulares, ultimo demum anno cessabant. Vicesimo sexto anno aetatis ejus in matrimonium ducta per viginti quatuor annos matrimonii quinque liberos peperit, quorum novissimus ante septem annos natus est. Ultimis decem annis aegrota interdum vehementibus capitis doloribus cum vertigine et sonitu aurium conjunctis laborabat. Dolores primo intermittentes praecipue in frontis regione adfuerunt. Ante duos annos aestate, opere diurno intenta, subito, conscientia amissa, corruit et in lecto eam collocari necesse erat. Quo in impetu caput ejus ardens et facies maxime rubefacta fuisse dicitur. Simul cum hoc impetu infirmitas totius corporis sinistri se ostendit, atque ab illo tempore defectionem quoque visus, odoratus et auditus sinistrae partis se observasse putat. Capitis dolor permanens, magis magisque crescens, interdum ad intolerabilem gradum auctus est. Aegrota digestione quoque affecta, ab illo tempore alvo pertinaciter astricta laborabat, et, appetitu edendi deminuto, amarum semper gustum in ore habebat, atque quotidie saepius vomebat. Cordis autem palpitationibus et tussi paullulo tantum laborabat. Qui status tardissime ingravescebat, ita ut aegrota per totum annum negotia levia gerere posset, tum autem paralysis ita crescebat, ut perpetuo lecto teneretur. Decimo nono die denique mensis Junii, ut supra dixi, nosocomio academico recepta est. Haec symptomata observantur: Aegrota, media statura, bene nutrita, in statu apathico jacet. Facies valde rubefacta. Cranii forma est normalis. Sinistrae faciei plicae non tam perspicuae sunt, quam dextrae. Angulus oris dexter ad dextram partem tractus est. Palpebra superior sinistra laxa non tam bene claudi potest, quam dextra. Pupillae non amplificatae, rotundae, normaliter se contrahunt. Lingua recte ejicitur; uvula est recta. Extremitas superior sinistra mediocriter debilis est, moveri autem ab aegrota potest; pressio sinistrae manus aliquanto levior est, quam dextrae. Paralysis extremitatis inferioris sinistrae magis perspicua est, atque paralyseos initium in extremitate inferiore dextra quoque animadverti potest, ita ut aegrota stare non possit. Sensibilitas omnium harum partium normalis est. Praeterea adsunt: vehemens capitis dolor in frontis parte sinistra, quem aegrota pungentem scindentemque esse dicit, minuta acies oculi sinistri, aurium tarditas,

anosmia, amarus gustus in ore, nausea interdumque vomitio, dolores trahentes in tergo, qui pressione non augentur, alvus astricta. Animus aegrotae perturbatus est, ejus responsa sunt incertissima atque inter se repugnantia; voluntas et diligentia fere tota deficit. Aegrota ipsa dicit, memoriam suam postremo anno infirmissimam factam esse. Quod attinet ad organorum sensuum perturbationes, haec intellecta sunt: sinistra aure omnino nihil audit, dum dextra auris integra esse videtur; sinistro oculo multo minus acute videt, quam dextro; res minus acriter olentes, nare dextra conclusa, odorari non potest; gustatus non valde affectus est, dulce ab acido discernere potest. — Thorax est bene formata, in pulmonibus nihil nisi catarrhus bronchi invenitur, respiratio non accelerata. Cor sanum, pulsus mollis, parvus, septuagies bis in sexagesima horae parte repetitur. Hepar et lien normale. Urinam et alvum continere non potest. — Alia morbi symptomata desunt.

Die vicesimo mensis Junii. Aegrota bene dormivit; ter alvus ejus nolentis dejecta, postquam priore die clysmus et Inf. spec. St. Germain ei ordinatum est. Pulsus minimus, eadem frequentia, qua hesterno die. Matutino tempore bis vomuit.

Die vicesimo primo mensis Junii. Somnus inquietus, alvus non dejecta, nulla vomitio, urina in lectum emissa. Pulsus parvus, mollis, facile comprimi potest, octogies quater in sexagesima horae parte repetitur. Vehementes capitis dolores. Vespertino tempore status maxime in pejus mutatus est; mens occupata, magna inquies, pulsus centies.

Die vicesimo secundo mensis Junii. Hodie matutino tempore aegrota mortua est soporosa.

Sectione, novem horas post mortem instituta, haec cognita sunt: Cranium et in parte interna et externa normale. Dum cerebrum eximitur, fundo ventriculi tertii dirupto, serum clarum effunditur. Ventriculi laterales seri clari multum continent. Cerebro exempto, haec videmus: In sinistra pontis parte singulae serosae cystae se ostendunt, in superficie pseudoplasmatis sitae, quod inferiorem partem hemisphaerii parvi sinistri tegit, et hanc, et pontis sinistram partem, et eandem medullae oblongatae comprimens. In cranii basi nihil abnorme. Dura mater contra tumorem posita normalis est. Pseudoplasma penitus in cerebri parvi substantiam intrare videtur, diligentiore autem inspectione instituta, id a cerebro parvo omnino abstrahi posse intelligitur. Substantia cerebri parvi eo tantum demota et compressa est. In incisione perpendiculari, $1\frac{1}{2}''$ alta, partim clarum partim flavum neoplasma cum singulis sanguinis eruptionibus et singulis cystis videmus. Microscopio in pseudoplasmate cystas et sarcomatosas cellulas fibratas animadvertimus, ut cystosarcoma se praebeat.

Ventriculi laterales, vasaque in iis, maxime dilatata sunt. Cavum infundibuli amplificatum. Ventriculus quartus, irregulari forma, sed non multo dilatatus. Ab sinistra parte prominentia, levi quidem superficie, pseudoplasmati in cerebro parvo respondens, intrat. Substantia hemisphaeriorum cerebri magni normali consistentia et sanguinis copia; talia sunt corpus striatum et thalami nervorum opticorum. In nervis intrantibus in duram matrem nihil abnorme invenitur.

Transeamus igitur ad judicanda symptomata. In casu nostro enarrato multa quidem symptomata invenimus, quae supra cerebri tumoribus propria dicta sunt, sed ejusmodi sunt, quibus alius quoque cerebri morbus, praecipue encephalomalacia, significari posset. Nam in nostro casu symptomata, quae momenti sunt, haec inveniuntur: Primum symptoma capitis dolor conjunctus cum vertigine et sonitu aurium, deinde post octo annos impetus quasi apoplecticus, et post eum demum multa symptomata cerebri morbi, ut animi perturbatio, fixus capitis dolor, hemiplegia lateris sinistri, paralysis sphincterorum vesicae et ani, paralysis sinistri nervi acustici et facialis, et optici et olfactorii, praeterea alvus pertinaciter astricta, et vomitus frequens. Omnia haec symptomata, ut supra dictum est, in cerebri tumoribus observata sunt, eadem autem omnia in encephalomalacia quoque animadvertuntur. Praecipue autem impetus supra nominatus, in quo aegrotae facies rubefacta fuit, conscientia ejus defecit, et illa corruit, qui ergo apoplecticus habendus erat, diagnosin in nostro casu difficilem reddebat, quum talis impetus interdum quidem, sed perraro tantum, in cerebri tumoribus exsistat, et eo difficiliorem, quum post eum demum symptomata paralyseos perspicua observarentur. Etiam aetas provecta nostrae aegrotae, conjuncta cum illis symptomatibus, encephalomalaciam probabilem reddebat. Nemo ergo dubitare potest, quam difficilis sit diagnosis inter cerebri tumores et alios cerebri morbos, praecipue encephalomalaciam, ut in nostro casu. Atque hoc in medicinae statu semper difficile, multis in casibus etiam impossibile, erit, ejusmodi casus ante sectionem accurate inter se discernere. Equidem unicum cerebri tumoribus proprium symptoma capitis dolorem per annos durantem, initio totum caput occupantem, et postea se figentem, esse arbitror, et tantum, si hic dolor adsit, nonnullo jure cerebri tumoris diagnosin statui posse, si praeterea alia symptomata organicum cerebri malum indicent.

THESES.

1) Quo plura in morbum commendantur remedia, eo incertior est therapia.

2) Trepanatio ex operationum chirurgicarum ordine omnino removeri potest.

3) Digitus optimum compressorium.

4) Albuminuria non morbus, sed morborum quorundam symptoma.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google